Cujus opus, ſtudio cur tantùm quæris inani?
Qui legis, & frueris, feceris eſſe tuum.

Cujus opus, ſtudio cur tantùm quæris inani?
Qui legis, & frueris, feceris eſſe tuum.

NOVÆ

SOLYMÆ

Libri Sex.

S. 18
8° S 36
Th

LONDINI,
Typis JOANNIS LEGATI.
MDCXLVIII.

NOVÆ SOLYMÆ

Liber Primus.

GRandinis hybernos Boreas exolverat imbres,
Brumaq; Judæi jam parte receſſerat anni,
Et caput abdiderat lapſum tellure ſub altâ.
Cum petit obliquo cœli faſtigia curſu
Sol pater, & lentis crudam coquit ignibus auram.
Parturit omnis ager; ſylvæq; herbæq; recentes;
Et viridem pictis intexunt floribus oram;
Vocibus & blandis cœli jucunda ſalutat
Lumina progenies pecudum; pubesq; volantum
Per nemus omne canit, nidis emiſſa relictis.
In ſe merſa fluit glacies, rivisq; ſerenis
Apparent nitidi piſces; & læta propago
Ludit ubiq; vadis; nulliſq; offenſa procellis
Æquora marmorei rident immania ponti.

HÆc veris gratiſſima facies, cœlum, mare, terras, conde coraverat; cùm tres ſimul egregii juvenes, illi Britannicè, hic Siculo more veſtitus, triſti, & inauſpicato itinere jam proſperè peracto, montem, cui Solyma inſidet, equis conſcendebant. Urbs erat in faſtigio edita, mœnibus præaltis, ampliſſimiſq; et in quaternos

æquales angulos per latera montium circumductis. Portæ pro mœnibus duodenæ, valvæq; ex ſolido ære fabrefactæ, ſuperq; firmiſſima turrium propugnacula præmuniebant adeundi licentiam. In his totidem familiarum gentiles notæ frontiſpiciis inſculptæ, cum præſcriptis majorum nominibus, portarum paritatem diſcriminabant. Illis a Juda ingredientibus ingens platea ſe aperit; ædificiis ſaxeis, lateq; diductis; quæq; pari, & per longiſſimos ordines conformi fronte totidem continentium domorum ſpeciem referebant: neq; extabant ulla veſtigia prioris Solymæ; ſed alia ab integro renovata eundem loci ſitum porrectioribus ſpatiis occupaverat. Ubi paulo intra mœnia devenerant, ecce in oculis ingens hominum conſeſſus, & in ipſo compitorum trajectu ſpectacula breviter pertranſire viſa ſunt. Illi ocyus appropinquantes, quouſq; per multitudinis interventum liceret, poſt terga ſubſidentis populi, ſublimes in equis ſe erigebant. Univerſa ferè pompa proceſſerat, reſtabat unica, ſed hæc omnium pulcherrima ſpecies, jam tum ipſis conſiſtentibus objecta: Vitis erat, frugum, foliorumq; feraciſſima, & hinc inde procurvatis brachiis in tecti faciem inclinata. Duo palmites, qui cæteris præſtabant, hic dextram, ille ſiniſtram invalidæ arboris, æmulâ firmitate in oſtium ſtatuminabant: Bis quinq; præterea ab eâdem radice progerminantes, interq; ſe textim complicati, in parietes utrinq; dividebantur. Super his reliquus erat unus, ſed diſpar, diſſituſq; ab aliis, qui ſanguineo ſucco inumeſcens, dorſum totius arboris ad ſpinæ modum ſuſtentaret. Virgo ſedebat in medio, habitu inſigni, & præter humanum morem cœleſtibus ornamentis conveſtita. Velum erat è cæruleâ byſſo, & tenuiſſimis argenti filis intertextum; ſtellulis quoq; ex multicoloribus gemmis ad faciem ſyderum

derum conformatis, undiquaq; conſperſum. Aurea zona, ſub papillis modicè protuberantibus, repreſſerat laxitatem veſtimenti ad formam caſtigatiſſimi ſinus. Aureamquoq; virgam decenter erectam dextrâ præferebat, lævâ binas tabulas denis legibus inſcriptas. Bis ſex radii coronabant frontem; & capillorum longè diffluentium ſeriem auri concoloris vinculo coercebant. Faciem verò ipſam omnem ornatum ſuperare, ex eo ſatis apparebat, quod hæc omnium oculorum aciem in ſe unam, quaſi meta, contraheret. Ut cùm in magno hominum conventu dulciſſima melodia auditum ſubit, ſinguli ſimul aures arrigunt, advertuntq; intimiq; ſenſus penetrari, ac ipſa præcordia tangi pariter, & commoveri videntur: neq; abſimilem quandam voluptatem anima per oculos concipit ex inenormi compagine formoſi vultûs, quàm quæ ab harmonico numerorum concentu in ipſam per aures illabi, & mirabili conſenſione naturæ ad ſuos modulos circumducere ſolet. Mille millies in illâ enitebant gratiæ; quas, qui viderit, illico agnoverit; verbis nemo unquam ſatis expreſſerit: & jam ſeu pudore publici aſpectûs, ſive plus ſolito agitato ſanguine, inſtar Phœbi primulùm orientis, juvenili rubore perfuſa eſt. Præterea novitas pretioſi habitus, pompæq; ex improviſo oblatæ ſolennitas, magis, magiſq; rapiebant in immenſam admirationem venerandæ virginis: tum accidit aliud, neq; id exiguum momentum, quod labantes animos & plus ſatis primo conſpectu perculſos ad altiorem inſaniam præcipites egit: nimirum dum propiùs adventaret, ab equis altius eminentes obiter conſpicata, & excita inſperato ſpectaculo, mirari primùm, ac trepidare, deinde micare oculis, geſtire ſecum, & tota propemodum exilire videbatur; nec cùm abiret, continere ſe potuit, quin & cervice paululùm inflexâ,

blandiſſimo luminum rejectu ipſos ſubſiſtentes referiret. Britannici juvenes, quænam eſſet hæc tanta & tam ſubita propenſio, haud ſatis certi; nec quid ſibi vellent adhuc conſcii, pudore, ſpe, metuq; & gaudio turbidi, totis præcordiis intremiſcebant ſimul & exultabant. Deinde averſam, avectamq, e medio, oculis longiſſimè inſequuntur, tanquam in conſpectum revocarent. Cum illâ omnis reliqua ſcena, & ſatellitum turma vaneſcere viſa eſt, Ipſius imago ſic animum impleverat, ut nihil præterea ſpectare poſſent, aut ſuis oculis dignum cenſerent. Poſtea dum turba dilaberetur, ab altero, qui dux itineris erat, ſciſcitantur, quorſum, aut quid hoc eſſet oſtenti. Ille breviter reſpondebat, eſſe urbis conditæ annuam celebrationem, virginemq; illam pro Sione, ſive (ut ipſi loquuntur) Sionis filiâ repræſentatam. Inter hæc verba decedente populo, in viam a dextrâ abeuntem equum fræno inclinaverat: eoſq; veluti jucundiſſimo ſomnio, ſeu potiùs cœleſtium rerum viſione delapſos in proximum vicum deduxit. Ibi ædes magnificæ, ampliſſimæq; quarum unam oculis ſortitus, propius adibat, primuſq; deſiliens, equum ſervo, præ foribus tum fortè aſtanti, tradebat. Illi ad ejus exemplum idem faciunt; ipſumq; in domum familiariter irrumpentem a tergo conſequuntur. Ut in aulam devenerant, defeſſiq; paululùm conſederant, in hoc carmen fortè incidunt, tabulâ ad parietem ſuſpenſâ deſcriptum.

Hic neq; marmorei ſudantia terga Gigantes
Ingenti ſub mole premunt; nec eburneus altis
Ædibus albet honos; non auri plurimus ardor
Perſtringit tremulos patrio ceu ſydere viſus:
Non vitreis ſeſe tingit tranſmiſſa feneſtris
Picturata dies, ſpargitq; coloribus aulam:

Nullaq;

Nullaq; nocturnas ſcintillat gemma per umbras;
Non ſcelerum merces, oſtentataeq; rapinæ
Inſanas torquent media inter gaudia mentes.
Sed juſtis opibus, nulliſq; innoxia ſurgit
Criminibus fundata domus, quæ plurima duret
Secula, perpetuos domini viſura nepotes.
Non hîc ebrietas aditu ſcelus omne patenti
Excipit; aut veros, vitiis operata, labores
Mens ignava fugit; non fœlix alea nulli:
Non furtivus amor, rixaq; iræq; nocentes;
Sera vel occultum latrat vindicta cruorem.
Ergo nec queruli manes ſua tecta requirunt:
Nec Satyri triſtes tollunt, Fauniq; cachinnos,
Et vacuas lacerant infeſtis unguibus ædes.
Has pietas ſedeſq; colit miſeretq; piorum:
Geſtibus & nimiis menſam defendere neſcit
Frons ignara doli: ſtudiiſq; augeſcit honeſtis
Diſpertita penus: labor hic ſuus omnibus inſtat:
Et læto reſonat fœlix concordia cantu.
Sunt nitidi cultus, & quæ mortalis egeſtas,
Et brevis intereà poſcit via: cætera cœlo
Quærimus, & patrii ſperata palatia regni.

Dum in hujuſmodi occupationibus diutius otiantur, ipſe qui huc adduxerat, in patrem familiâs, jam tum a ſpectaculo quoq; redeuntem, obiter incurrit. Hæſere primùm in conſpectu mutuo: mox juvenis ocyùs appropinquans, ſe ad genua pariter occurrentis ſuppliciter proſternebat. Ille brachiis circa collum effuſis, tanquam in ſe reciperet, arctiſſimè complectebatur; nudæq; cervici indulgentiſſimum oſculum affigebat: lachrymæ quoq; præ gaudiò ſponte emanabant ex oculis. Hâc mutâ gratulatione diu ſatiatus, necdum ſe erigens, ſic demum abrupit. Jam vivo! jam vixi ſatis! quando te

mí Joſephe, incolumem teneam, quem vix poteram ſperare ſuperſtitem : & quidem fama diverſum retulit. Hæc dicens avidiùs conſtringebat ; ac deinde expeditum conſurgere juſſit. At ille, Habeo, inquit, quod te prius exoratum velim : vides hos juvenes, Politiannm, atque Eugenium, qui comites fuere itineris mei, liceat nobiſcum híc hoſpitari, & hodiernæ fœlicitatis participes fore. Cui pater annuens, mox ad ipſos hilari & benigno vultu approperabat. Conſtiterant interim hæc omnia tacitâ admiratione contemplantes : nec quiſquam aderat, qui vim paternæ charitatis jam tum primo congreſſu erumpentem aſpexerat, quin ipſe quoque amoris, gaudii, & miſerationis affectus in ſuo pectore gliſcentes perſentiſceret. Vir erat ípſo aſpectu venerandus : veſtitu purpureo, & ad talos uſque demiſſo, cum annularis catenulæ ornamento (pariter publicæ ſervitutis, atque honoris indicio;) pictique lintei volumine, crinibus paulò infra effluentibus, ad morem Orientis pileatus. Ubi juxtâ ſubſtitit, capite deorſum inflexo, dextrâque manu lævo pectori admota, humaniſſimo more ſalutabat, eoſque invicem congredientes ſic allocutus eſt. Salvete juvenes, qui me quoque ſalvum feciſtis, ex filii reditu: unde & vos pariter ſuſcipere oportet cum filio tanquam in paternâ domo. Politianus hoc non eſſe diverſorium ſentiens ; & primùm cum ſtupore quodam, deinde non ſine ſuſpicione tam inuſitatæ humanitatis, excuſationes plurimas moliebatur. At Jacobus (id ſeni nomen fuit) vehementiùs inſtabat. Quinimo, aiebat, hoc noſtrum gentile officium eſt, peregrinos benignè tractare ; non immemores, nos quoque olim in Ægypto, ac dudum per univerſas ferè gentes peregrinatos eſſe : neque poſt myſticam illam avitæ gentes ſeparationem, nunc omnium ſanctorum communione

nione ſublatam, quenquam a nobis alienum dicimus. Cum his verbis, Politianum manu comiter prehenſum in cænaculum ſecum trahebat. Ad eundem modum alter a Joſepho premebatur: qui per moram blandæ objurgationis pedetentim ſuccedens, Hoccine, inquit, eſt illud quod nobis pollicitus es diverſorium? ita nos in carcerem induxiſti, unde non licet egredi? Tum ille; ſiqua eſt hæc culpa, ſanè veſtra eſt; qui tot erga me meritis efficiſtis, ut majus ſit nefas dimittere, quàm detinere. Vix dum reſederant, cum duo fraterculi, pictis veſtibus inſignes (major Auximus, minor Augentius dicebatur) incitati ſtudio reviſendi fratrem, in cænaculum unà irrumpunt. Primùm patremque & hoſpites reverenter ſalutabant: continuò Joſephi, hic dextram, ille lævam manum amplexi, ipſique blandiſſimè inſiſtentes, ingenti lætitiâ exiliebant. Poſtquam ſe abſolverat, ad familiam intro abibat, ut immitteret, qui hoſpitibus miniſtrarent; & edulia cum potu inferrent. Dum ipſi Jacobo propinante combiberent; Politianus Auximo placentam dabat, qui cum gratiis accipiens, ac ſtatim in medio dividens alteram partem fratri defert: quod Eugenius advertens Augentium quoque aliâ placentâ donabat: neque ille ſecius hujus dimidio fratrem impertit. Ipſe hoc magis annotans, interrogabat, Quare non potiùs ei partem dimidiam redderet, ſuam ſibi integram ſervaret? Subjicit extemplò puer: Quia frater mihi dedit de ſuo, ego illi reddebam de meo. Auſcultans interim Politianus ab Auximo quærebat, Cùm adeo liberales ſint, quidni ergo totas traderent? Retulit ille: Quia fratres neq; volunt, neq; debent accipere. Hoſpites tantam indolem in ea ætatulâ admirati, tum facta, tum dicta adulanter laudabant. Unde Jacobus, occaſione oblatâ, & puerorum laudibus (uti ſenes ſolent) de-

linitus,

linitus, hunc ſermonem ingrediebatur. Annus jam proximè adeſt quinquageſimus, ex quo longè latéque disjecta Judæorum gens in hanc tantam fœlicitatem redintegrata eſt: neque (opinor) vos fugit priſtinæ calamitatis memoria; quæ quidem ut immaniſſimi facinoris a parentibus noſtris perpetrati, & ab omni poſteritate, ceu tot calculis adjectis, comprobati, pœna inſignis fuit; ita futuræ hujus reſtaurationis certiſſimum pignus, & fundamentum: quem enim talem populum conſtare poteſt ullis temporibus extitiſſe, qui tot annorum ſpatio, per tot diſſitas regiones, ubique depreſſus ſervitutis jugo, & omnium contumeliarum injuriis exagitatus, neque promiſcuâ nuptiarum confuſione deletus, victusve perpetuâ malorum mole tam graviter incumbentium fuit? neque cùm in tantam multitudinem excreſceret, ut vix maximis gentibus numero cederet, tamque aſtuto, & pervicaci ingenio eſſet, unquam tamen antea in aliquam libertatis, nedum reipublicæ, aut imperii ſpeciem aſſurgere potuerit. Certe is ſtatus Judæorum ſemper fidem fecit, illud ingens Chriſtianorum votum, quod pro reditu noſtro tam diu conceperant, perfici poſſe, & jam tum antequam perimpleretur, impleri. Ut verò ſubitâ coruſcatione divinæ lucis iſta pervicax animorum cæcitas dilapſa eſt, & cœleſti inſtinctu perciti Meſſiam agnovimus, atque ad ipſum acrioribus ſtudiis converſi ſumus: tum nos iidem in imo miſeriarum fundo tam longâ ſeculorum ſerie demerſi, tanquam a mortuis reſuſcitati, in faſtigium divinæ benignitatis attollimur. Atque ut hic olim omnium populorum ſolus fuit, qui ſectatus eſt veram virtutem cum perfectâ pietate conjunctam, ita nunc quoque ſummus eſſe contendit. Itaque (ſicut in omni rectâ republicâ eſſe debet) puerorum curam præcipuam habemus: neque in

hac

hac re providentia Dei noſtram deſtituit induſtriam: pulchriorem enim ac magis ingenuam ſobolem nobis poſt reditum ſuccreſcere notiſſimum eſt. Hìc Politianus interpellans, Imò verò, aiebat, id fortè fit, ex mutatâ cœli, victûſque ratione. At Jacobus, Hæc quidem aliquid adjicere poſſunt, non tamen rem totam conficiunt; cùm videamus homines diverſiſſimæ indolis, naſci in eâdem plagâ, eodem ſeculo, & (quod maximum eſt) ex iiſdem parentibus; quod ferè non accidit in cæteris animalibus: hominum quippe generatio eſt maximè mendax; ut item nutritio: illa enim, ſi quieſcant, & grato pabulo abundent, certiſſimè pingueſcunt; quod in nobis eſt longè diverſum. Adjecit hic Politianus. Id quidem fateor: cæterum ut in gemellis; ita in fratribus, & conſanguineis par plerumque natura: & ſanè in omni gente, tanta corporum, & animorum ſimilitudo eſt: ut quantumvis inter ſe diſſimiles ſint, ab alienis facilè dignoſcantur: ſic Æthiops ſemper generat Æthiopem, & Maurus Maurum. Vera ſunt quæ dicis ex aliquâ parte, referebat Jacobus, non tamen quantùm tu reris: nimirum corporeæ iſtæ affectiones, quæ ipſam cutem pertingunt, ut & morbi quidam, cum patrimonio ad liberos tranſeunt: non autem Æthiopum pueri ipſis per omnia ſimiles ſunt; & gemelli, quorum inter ſe ſumma comparatio eſt, a parentibus fortè uterque diſcrepant; ipſorumque iſta ſimilitudo pro miraculo ab omnibus haberi ſolet: præterea veſtitus, geſtus, & vox conſonans, hac in re plurimùm fallunt; & conſentaneam ſpeciem inducunt: verùm hi mores, ut plurimùm, oriuntur ex convictu & educatione; quodq; major pars populi fortè affectat, aut ex aliquâ occaſione, vel uſu recipit ad id ſe quiſq; fingere conatur: unde fit, ut mutatis, ſive in melius ſive in pejus

publicis

publicis consuetudinibus, gens ipsa prorsus immutetur, & quasi in alienam gentem transeat. Ita Britanni, Galli, Germani, quondam immanes, & feri, hodie sunt culti, & liberales. E contrà Turcæ in placidâ regione, & olim optimorum ingeniorum feraciſſimâ penè avitam barbariem retinent. Duo itaque sunt statuenda: primùm corporis nostri naturam a corporeis causis omnino pendere: eas tamen adeo perplexas esse, & curiosè connexas, ut aciem humanæ mentis plerumque fugiant: sic neque omnem curam abjiciamus, neque non referamus egregiam prolem, inter propria & pulcherrima creatoris munera: quapropter omnis navanda est opera, ut liberi corpora nanscisscantur, quàm possumus, sana, robusta, & ingenua; neque illa, quæ in equorum, & canum generatione officiosè disquirimus, nos ipsi negligamus, in tantâ, tamque paternâ re. Tum etiam licet anima sit propriæ cujusdam originis, & a Deo profecta, est tamen corpori coaptata; & per sensuum mediationem, non minùs ab illo adjuvatur, quam ipsa prævalet. Nos tam corporum, quàm animorum dotes, quas nostri naturæ beneficio sortiuntur, omni arte, & culturâ attollimus: ut tum ingeniorum suorum proventu, tum ex his, quæ de nobis hauriunt, usque ad extremum culmen humanæ perfectionis ascendere nitantur. Corpuscula infantium, quantum veniâ medicorum licet, ad omnem duritiem, sensim assuefacimus: & in eo collocamus indulgentiæ nostræ maximam ostentationem, ut vitæ casibus perferendis, ab ipsis incunabulis sint præparati: expertum est enim pauperiorum liberos, in summâ parsimoniâ victûs, atque vestitûs educatos, & ad omnium rerum injurias expositos, exinde saniores, & firmiores evadere, quàm si molliter, & fastidiosè nutriantur. Ubi primùm pedibus uti,

uti, atque insistere possunt, ire docemus, decenter, & strenuè: scilicet turpis, & ridiculus gressus, aut malo usu in pueritiâ contrahitur, aut si naturâ accidat, arte tamen plurimum corrigi potest: neque est aliud quicquam, quod proximè post ipsam formam, sive homini, sive quadrupedi majorem gratiam & dignitatem adjicit, quàm decorus, & magnificus incessus, vel sponte naturæ, vel non invitâ consuetudine acquisitus, & ab omni affectatione seclusus. Inter hanc ambulandi disciplinam, addimus gestum, motumque totius corporis. Tum inde ad cursitationem impellimus: quippe pedum velocitas non modo per se utilissima est, sed etiam ad respirandi perpetuitatem, & agilitatem omnium membrorum valet: neque in hoc nostri Barbaris cedunt, qui per syrtes, & ulveta discurrunt. Cum his saltandi, nandique & sagittandi atque ejusmodi studia adjungimus: & vix credibile est, quantum his artibus, & indefessâ consuetudine promoveant: ita ut quæcunque apud exteras gentes pro monstris edantur, inter nos sint pervulgata, præsertim si ad usum accedant: quicquid enim aliorum exemplis fieri ab hominibus posse sentimus, ad hujus imitationem incitamus nostram juventutem, cum istâ cautione, ut hæc virium tentamenta moderatè & gradatim exerceantur; ne nimiis, & violentis nixibus, aut præsens periculum, aut infirmam contrahant senectutem. Neque sanè corpus indignum est tantâ curâ, atque impendio; cùm sit conjunctissimum animæ instrumentum, in cujus virtute, & valetudine plurima vitæ officia consistant. Quocirca, non, ut Europæi, elegantiis, & disciplinâ mentes solùm excolimus, corporis ferè nullam rationem habemus: neque tamen ut Barbari solent, dum robustos, ac fortes fieri volumus, ab omni cultu, & literaturâ

able-

ablegamus: ſed quæ priſca Græcorum, Romanorumque laus fuit, has utraſque virtutes admiſcemus. Iracundia, atque immodica flendi libido, prima ſunt quæ in illis apparent vitia: ad hæc contumacia, ſuperbia, atque invidia: quæ noſtri primùm debellanda ſuſcipiunt. Spontaneam patientiæ, ac benevolentiæ conſuetudinem, magis artibus, ac præmiis, quàm præceptis conciliant. Lachrymis nihil a nobis patimur extorqueri; quin ad alia quævis remedia divertimus. Tum iſta puerilis animi obſtinatio, metu, ac reverentia frangitur. Ultro ſuperbientes minimè inflamus vanis incitamentis, ſtultiſque ſermonibus. Liberales, atque beneficos eſſe monemus, ac non in aliorum miſeriis, ſeu veris, ſeu fortè fictis, voluptatem capere, aut irridere permiſſum eſt. Præcipuè temperantiæ, & continentiæ vinculis coercemus impotentiam cupiditatum. Somnum inprimis & gulam moderamur: diluculò ſurgere, ac victu fortuito uti coguntur: eſcas dulces, & delicatas rariſſimè attingunt: rurſus interdum uſque ad ſatietatem ingerimus. His inſtitutis mores optimè formari poſſunt: neque factu difficile eſt, ſi maturè caveatur: nempe videmus canes inter nos enutritos, plagisque & blandimentis aſſuefactos, tametſi naturâ acres, & rabidi ſint, ſuam feritatem ſponte deponere: pullos vero equorum, qui per tres, aut quatuor annos, in campis, ſylviſque liberè divagantur, non ſine vi & concertatione maximâ perdomari. Neque ſolùm hos exceſſus affectuum refrænamus, verùm pari ſtudio defectus ſupplemus: metum, pudoremque ſubruſticum, familiari conſpectu; hominum, rerumque formidabilium ſenſu allevamus. Summam denique artem ac operam intendimus in accendendis puerorum ingeniis: haud enim eos, qui tantùm obvia, & vulgaria ſectantur,

magnum

magnum aliquid & egregium auſuros, nedum unquam effecturos ſperamus. Interim ſalem ſobrietatis & modeſtiæ inſpergimus, ne in heroica Ethnicorum vitia per intemperiem excurrant. Auſpicamur hanc diſciplinam vel ab initio ipſius infantiæ; tum verò potiſſimùm, cùm verba primùm proferre condiſcunt, quod cùm adeo operoſum, atque difficile ſit, manifeſtò prodit, puerorum mentes, quæ tot vocabulorum diſcrimina, cum naturâ rerum minimè convenientia, ad certas ſignificationes conformare poſſunt, citiùs quàm credimus, hujus inſtitutionis capaces eſſe. In quâ autem ſcientiâ ipſorum ingenia nos primùm verſare cenſetis? Eugenius: In Grammaticâ ſcilicet. Ita quidem, reſpondet Jacobus, ſed in Arithmeticâ quoque & Mathematicâ: etenim iſtas artes, quæ ab humanis inſtitutionibus minimè pendent, habentque ſua principia in naturâ poſita, ac ſenſibus probata, ad rationis ſemina elicienda, vagamque & inſtabilem aciem tenellarum mentium confirmandam, maximam habere efficaciam viſum eſt. Minores, & tardioris ingenii pueros, ſimplicibus quæſtiunculis, majores, aut præcoces, perplexioribus penſis exercemus. Ludos etiam, qui numero vel menſurâ conſtent, pro iis exquirimus: neque vanè aut temerè inſitare conceſſum eſt; quin illam ſtudioſam ludendi libidinem in iſtis mollibus ac minimè ſeveris animis, aptiſſimam eſſe opportunitatem cenſemus ad excitandas corporis vel ingenii vires, ac nullam ferè partem vitæ vacuam relinquimus, quæ non aliquem proprium fructum ad ſummam conferat. Ante omnia fidem & imaginationem occupamus: ad res turpes, & impudicas, tanquam monſtra & prodigia cohorreſcere diſcunt; infinitum atque inviſibile numen ſummâ cum reverentiâ agnoſcere. Mendacem cum muris animantibus in-

cludimus, quasi hominum societate indignum. Per hæc initia, ad Dei cultum, ad patriæ curam, & charitatem, ad parentum, majorumque venerationem, eaque fraternam benevolentiam, quæ hunc colloquio animam dedit, cum omni diligentiâ erudiuntur. In his primum ferè decennium absumi solet: atque junior filiorum jam anno minor est; alter vix anno præcessit. Hæc locutum Politianus excepit: Quanquam satis sentiam, teque principem virum in excolendis liberis maximos sumptus collocare, eosque non incapaces hujus eruditionis; suspicari tamen jure debeo, non omnium esse parentum talem educationem in suos conferre, neq; omnium liberorum istos fructus, & proventus reddere. Atqui, pergebat Jacobus, hæc nostra præscripta est, & popularis institutio, a morum, & literarum præceptoribus tradita. Utique habemus prudentes viros, qui de his peti, & consuli possunt, quique inspicere debent, & exercere censuram. Præterea publici sermones ubique celebrantur, non tantùm de rebus sacris, sed etiam de moribus, deque familiâ, & ejusmodi negotiis. Unde fit, ut hæc educatio privatos quoque parietes penetret, ac licet pari profectu non ubique succedat, si quis sit tamen nobiliori ingenio præditus, illum exquirit, excitatque, neque ad altiora natum in domesticis tenebris (ut sæpe aliàs fit) latentem destituit. Qui verò à naturâ minùs prompti sunt, non idcirco fastidimus, & ut omni disciplinâ indignos damnamus; quinimò his diligentiorem operam adhibemus, ut saltem consurgere possint ad ultimum sux capacitatis gradum; ac olim aliquam reipublicæ partem non ineptè capessant: & quidem si ipsam perfectionem spectemus, optimi non sunt tales, quin ex suis defectibus plus offensionis ac molestiæ creent, quàm ingenii bonitas docen-

tem

tem explcat. Hunc ſermonem prolaturus erat, cùm Joſephum ad eos revertentem aſpexit. Primùm de tutore quæſtionem habuit; deinde de omni itineris curſu, ſuſpenſoque adhuc & ancipiti ſucceſſu. Tum ille, Ex quo, inquit, ego & tutor meus Apollos ad Europam peregrè abieramus, primùm Siciliam inviſere libuit. Hîc a latronibus intercepti ſumus, & omni viatico ſpoliati: tum, quod maximè dolebat, ſervus occiſus eſt. Apollos in Italiam abactus, egoque in ſummâ inopiâ & ſolitudine relictus. Hæc pauca breviter referebat: ſive erubeſceret animus ad fœdiſſimæ calamitatis memoriam; ſive quòd ultro properaret ad merita hoſpitum patri aperienda: tantùm excuſans ſe nihil reſcripſiſſe de reditu quotidie meditantem. Tandem, addit, horum beneficio evaſi; qui omnem reditionis ſumptum meo nomine perſolvebant: neque eſt hæc noſtra gratuita benignitas, ſed juſtiſſimi debiti compenſatio. Haud ita, reiiciebat Eugenius; te enim, & jucundiſſimum comitem, & indicem opportunum hoc tantillo pretio ſortiti vel ob id adhuc debitores ſumus. Tum Jacobus, enarra, quæſo, paulò apertiùs, quid hoc rei ſit: ut qui me tanto munere obligatum tenetis, ſaltem conſcium & confitentem habeatis. Sollicitatus his verbis juvenis ſic exolvit. Dum in patriâ una Cantabrigiæ literis operam dabamus, auditâ hujus reipublicæ famâ, quæ per totum orbem circumquaque diffuſa eſt, ingenti cupidine ferebamur hanc urbem populumque viſendi, moreſque veſtros & inſtituta propiùs cognoſcendi: itaque ignaris parentibus, qui præ nimiâ indulgentiâ nobis vix facilè conſentirent, ſoli ſine ſervis, ſine duce, conquiſitis pecuniis, ad Dubrin ſublapſi, inde clanculum ſolvebamus; cùm hîc nobis fortè navis oblata eſſet, ad Joppam jam tum abitura. Panormum obiter appulſi,

in urbem egredimur, ad neceſſaria quædam comparanda, quæ propter fugæ feſtinationem omiſimus. Dum ad navim revertimur, in littore tuum filium offendimus cum nautis pro trajectu paciſcentem : at illi, quoniam pecuniam præ manu non ſolveret, recuſabant excipere; & quamvis ſerum diei eſſet, vento tamen faventè, eâ nocte ſtatim vela dare pergebant. Nos hic commodè intervenientes, juvenem eruditum, neq; ignarum morum locorumque Judaicorum, nobis pro duce aſciſcendum rati, naulum non ita magnum pro ipſius vecturâ pendebamus. Hic Jacobus erumpens, atque iterum utramque aggreſſus, inter mutuos amplexus gratias in ſinum effudit. Mox ſedem capeſſens, vultu compoſito, atque paterno, ſic inſiſtebat. Laudo equidem veſtræ peregrinationis inſtitutum, quod neque ex prurigine curioſæ vanitatis, neque patriæ tædio, ceu ſponte relegati, ſed more veterum philoſophorum, ob nobiliſſimam ſcientiæ mercaturam, in exteras partes migraviſtis : quòd tamen id feciſtis, inſciis & inconſultis parentibus, laudare nequeo. Nam illi Deo ſimiles, cùm maxima beneficia in vos conferant, nihil præterea viciſſim expetunt, quàm ſenſum veſtræ fœlicitatis, quoad ipſos verò parùm intereſt, an extincti penitus, ac mortui ſitis, an ab omni conſpectu, & cognitione ſemoti. At non tanta eſt, & tam nativa authoritas, aut domini in ſervos, aut regis in ſubditos, aut mariti in conjugem, quanta parentum in liberos. Quid enim poteſt eſſe magis proprium, quàm quod homo ex ſe creat? neque habet quiſquam ex lege naturæ ampliorem poteſtatem, quàm in illud quod eſt maximè ſuum : non tamen obſtat, quòd parenti filium, ut pecudem occidere non licet; cùm id minimè oriatur a modo proprietatis, vel autoritatis, ſed ex diſpoſitione univerſalis juſtitiæ :

ſtitiæ: haud enim fas eſt jugulare ſeipſum, imò longè immaniſſimum nefas: neque ſoboles (cujus perpetuâ ſucceſſione mortaliti ſuccurritur) nobis a naturâ data eſt, ut letho perdamus, ſed ad ſupplendum cenſum humani generis, parteſque ſui ſeculi obeundas. Verùm, in primis mundi ætatibus, quæ ad naturam proximè accedebant; numeroſam propaginem inter maximas divitias ponebant: quippe & illos, & omnia quæ ipſi acquirere poterant, in ſuo cenſu numerabant: ac non ceſſat hodie idem naturæ jus, niſi quatenus ex communi conſenſu in publici juris poteſtatem abeat: & adhuc liberi ſuis viribus opibuſque parentes ſuſtentare tenentur: neque tamen parentum eſt quippiam ab iis deſumere, ſi non ipſâ neceſſitate cogantur; quin potiùs omni curâ, & ſumptu augere, quos poſt ſe relicturi ſunt; tanquam ſuperſtites ipſorum imagines, omniumque ſuarum rerum hæredes. E contra non video, quo jure nati, aut alimentum dum vivant, aut poſt mortem hæreditatem expectent, ſi deſiſtant obedientiam, & revetentiam referre; illam quidem, cum hac ſolâ reſtrictione, ut nec imperata patriæ legibus, neq; divinis mandatis repugnent; hanc, ſine omni excuſationis prætextu; ſint enim duri, ſint deliri, ſint etiam nefarii; non autem temnere, vel irridere, nedum maledicere aut petulanter tractare licebit. Quo verò nomine veſtrum crimen deſignem, qui in tam proclivem indulgentiam peccare potuiſtis? certè, ſi aliquis paternæ mentis ſenſus ineſſet, longè aliter decerneretis: mihi quidem opportunè ſuggerit horum affectuum experientiam recens deſiderium abſentis filii: quocirca ſinite nunc alienis malis humanitùs ingemiſcere; &, quod in me eſt, remedium apponere; neque ab hac noſtrâ domo diſcedite, donec ubi terrarum

tandem conſiſtatis, patri per literas ſit indicatum. Subrubeſcebant uterque juvenum hâc leniſſimâ caſtigatione compuncti, & jam demum ſecum reputabant, quantum facinus inſtituiſſent. Mox, Jacobo tacente, ultro gratias agebant pro juſtiſſimâ animadverſione, & tam liberali ſupplicio, quod vel muneris magnitudinem augeret: ſe verò, quam primùm opportunitas daretur, reſcripturos pollicebantur. Vix hæc ediderant, cùm adeſſent qui menſam inſternerent, mox quoque cœna eſt inſecuta. Apparatus erat non ambitioſus, purus tamen et ſplendidus. Cibi ſimplices, aut eo more conditi, ut recentiſſimum ſaporem palato præbeant. Vinum ſic temperatum, ut halitus ebrios penitus amittat, & retineat geniales ſpiritus. Injuriæ loco ducunt ultra proprium deſiderium ad comeſſandum irritari, & vix minoris culpæ quàm ad ebrietatem provocari per ſtolidam compotandi benignitatem. Solertiſſimi quoque ſunt in ciborum temperie diſpiciendâ: neque ullâ modeſtiâ prohibentur eos decerpere quos ſaluti ſuæ commodos experiuntur, aut abſtinere contrariis: qui enim minimum de multis delibat, ſe non minimam denique in molem congerere ſentiet: at verò unumquemque ferè nimium, neminem, ſi valeat, cibumque appoſitum habeat, parum edere compertum eſt. Poſt benedictionem divinitus impetratam, ipſi ſuper cœnam Jacobum de his plurima interrogabant, qui liberaliter, ac ſobriè reſpondens, non inutili, neque inſuavi ſermone convivium hoſpitibus gratiſſimum fecit, ad id, triſtitiam & intempeſtivas cogitationes, nec minùs ruſticam ridendi licentiam abſcidit. Inter iſtius modi colloquia hunc quoque altioris contemplationis ſermonem adjecit. O hoſpites! quàm nos Deo devincti ſumus ob hanc quotidianam mortalitatis refectionem? Quis tantus eſt imperator,

rator, qui ſibi cibum ac potum cæteraque ad vitam neceſſaria ſuo nutu poſſet e nihilo evocare? quis talis artifex qui ullâ induſtriâ non facta fingeret? quis tam pollens divitiis, qui ea quæ nuſquam edita ſunt, pretio redimeret? Divina ſunt hæc munera, per orbem undique ceu miſſilia cœli, diſperſa; Nos tantùm carpimus atq; dividimus pro fortunis ac opibus noſtris: atque iſte rerum ordo, quem inani vocabulo naturam appellamus, nihil aliud in Deo eſt, præter legem perpetuæ benevolentiæ; quam vel eâ ratione perpetuò agnoſcere & comprecari debemus: neque eſt homine dignum in res ipſas, ceu bruta animalia, ſine ullo contemplationis ſenſu incurrere: hoc unicum vobiſcum perpendite: quàm vaſtam, ac planè tyrannicam dominationem nobis in cætera animalia rex iſte atque opifex omnium largitus ſit; quibus, cauſâ indictâ, ſeu potius nullâ de injuriâ, verùm ad neceſſitatem, imò voluptatem noſtram ſatiandam, crudeliter trucidare, manducare, vorare, fas & licitum eſt, illa inquam animalia, quæ nos proximo naturæ ordine ſubſequuntur: certè hic victus eſt revera regalior, quàm ſi pretioſiſſimam unionem dilutam & liquefactam unico hauſtu ebiberemus. Poſtquam cœnatum eſt ſatis, ſervique menſam exoneraverant, ac Jacobus cum gratiis abſolverat; mox ſeniorem puerum ad ſe vocans canticum recinere jubebat, quod a magiſtro poſtremum didicerat. Ille ubi ſe pauliſper collegerat, tollens liquidiſſimam vocem, quam ipſi, ſicut avibus natura propitiam indulſerat, artiſque elegantiſſimæ præceptis magiſter formaverat, ſic incepit;

Primi veris honos
Lætum parturit annum:
Auroram roſeis diem

Spargentem digitis poscit arator:
Cum terras humili Sol adit osculo,
Et montes liquido lumine purpurat.

Ævi, chare puer!
Uti flore memento,
Fructus addere floscnlis:
Est præcox potior vite racemus:
Nunc & vere novo quæ tibi conseris
Autumnus rapiens, brumaq; distrahet.

Pleno quale solent
Pullis ore columbæ
Egestum dare pabulum:
Sic te nunc inopem cura parentum
Multæ lactat alens ubere copiæ.
Mox versâ repetent quam vice liberi.

Instat summa dies,
Et mors æquat adultis
Crescentûm tumulos breves.
Serâ primitias labe carentes
Gratas redde Deo, qui sua parvulis
Indulget patriæ munera gratia.

Ubi desineret, Josephus citharâ arreptâ, chordas acutissimo tactu ad eosdem numeros percurrebat: tum uterque simul, hic vocis modulamine, ille digitorum pulsu, jucundissimâ concentione certabant. His musicis artibus maximè delectantur; quarum usus, neq; lassati corporis exercitium, neque severam animi intentionem exigit: interque miracula naturæ ducunt, vanissimum aërem in tot vocum varietates, secum harmonicè conspirantes, & cum ipsius animæ genio consentites, tam facilè atque fœciliter formari. Cum jam diu per-

pernocteſceret, Jacobus, congregatâ familiâ, ac brevi uſus præfatiunculâ, de gravitate, & efficaciâ Chriſtiani cultûs, qui illis quotidianis ſacrificiis ritibuſque ſucceſſerit, mentes omnium metu & maximâ veneratione defixit: deinde res ſacras peregit in ardentiſſimas preces humillimè effuſus. Unde cœleſti benedictione imploratâ cubitum dimiſit. Juvenes lecto compoſiti, animis ſibi vacantibus, & ad memoriam priſtinarum rerum per otium noctemque redeuntibus, ſpecies illas quas diurnis ſenſibus altiùs imbiberant, avidiſſimâ contemplatione revocabant: iterum pompam, populumque, & vitem; iterum virginis cœleſtem habitum, ipſamque divinam faciem ſpectare videbantur. Dum hæc ſecum ruminarent, Politianus ſic tandem abrupit: O Eugeni! quàm fœlicibus auſpiciis, in hanc beatiſſimam regionem pervenimus? jamque nox ipſa, & ſopor diſplicent, quæ perpetuo aſpectu tam inſignium rerum nos intercludunt. Neque Eugenius his immodicis laudibus parciùs inſiſtebat. Quinimo, aiebat, nunquam me pœnitebit hujus itineris, etſi præterea nihil aliud retulerim. Quàm auguſtum, quàmque magnificum fuit illud hodiernum ſpectaculum? omnium autem operum ornatuumq; ſplendorem, illa, quam filiam Sionis appellant, ſuâ nativâ pulchritudine ſuperavit. Forſan, addebat Politianus, in amorem prolapſus es, hanc tibi adeò perplacere narras. At ille: Amare quidem non audeo, niſi quo more numina amari ſolent, mirari & venerari non deſino; &, ut mihi viſum eſt, totus hic populus mecum idem facit: vidiſtin' ut conſciis & conſentientibus oculis in illam unicè propenderent, illi ſe dederent, & ceu vinculis validiſſimis conſtricti, quacunq; triumphum duceret, capti ſequerentur? tum in nos quoq; ut novam prædam involare,

ic, ut, ne quid adesset quod imperio suo non subjaceret, potentissimo oculorum reflexu animas e mediis pectoribus elicere, secumque abducere videbatur. Hic Politianus. Jam planè deperis, qui modestissimæ virginis (si quid ex fronte conjicere licet) fortuitos aspectus in amantium lenocinia pervertis. Cave, mi Eugeni, & jam ab initio abjice has ineptias, ne nos ipsi tantorum beneficiorum principia per stultitiam corrumpamus. Dum hæc dicerent, lassi ex itinere, cibisque cerebrum gravantibus, labuntur in somnum. Crastino sole jam altè exorto; postquam sensus a sopore receperant, & se vestibus indumentis erexerant; Josephus ad consurgentium strepitum cum servis in cubiculum ingreditur. Ipse mutato habitu se ad patrium morem cultumque ornaverat. Sagulum erat fericeum, colore coccineo, quod usque ad medias tibias pertingebat. Nempe illi summa honoris indicia, non in sumptu, aut pretio ponunt, sed in colore, & longitudine vestium; legibusque sancitum est, ut hanc quisque differentiam teneat pro gradu & dignitate suâ, non minùs quàm ipsa sexuum discrimina. Curtam motibus & negotiis obeundis commodiorem censent, longiorem gressus gestumque & totius corporis speciem ad majestatem quandam sponte componere. Itidem in armis, in equestri apparatu, & cæteris quibusque indumentis certas notas et distinctiones observant. Ille ad hunc modum vestitus pulcherrimi viri personam præferebat. Erat staturâ procerior, & stricto corpore, vultu miti atque affabili, sed qui vividis & virilibus oculis quædam recondite severitatis non occulta præbebat indicia. Politianus eum intuens, interrogare cœpit, an ipsi quoque deberent ad morem Judæorum se convestire. Non verò, referebat Josephus, neque nos ad ullius externi habitûs speciem.

ciem horremus, aut puerili irrisione persequimur: neque si advenæ nostratem induere velint, id sine adulatione, aut affectationis studio facere suspicamur. Posteaquam apparati essent, e cubiculo in cameram ambulatoriam quæ proximè adjacebat, omnes transibant. Hic iterum Jacobo occurrunt & inter matutinas salutationes variè colloquebantur. Interea Josepho allatum est, sororem adesse, & conventum ejus præstolari. Jacobus subaudiens. Quin eam potius ad nos, dicebat, introduci volo. Mox servus progrediens cum ipsâ revertitur. Virgo fuit nomine Anna, insigni specie, albis vestimentis induta. Ut accesserat, haud longè factâ salutatione, postquam resalutata est, tacitè subsistit. Josephus ei properè occurrens, & manum molliter stringens, cum fraternâ familiaritate tractabat. Illa oculis in astantis faciem avidè defixis, suavissimè renidebat. Ubi de mutuâ valetudine quæsitum est, frater in medium pertrahens, & ad hospites conversus. Hæc, inquit, heri fuit Sionis filia, hodie Jacobi est. Juvenes primo intuitu ceu fulguris aurâ perculsi, nec quid in causâ esset satis gnari, postquam speciem hesternæ imaginis animis paululùm revocaverant, omnemque ab illâ præciderant ornamentorum pompam, ipsius faciem memoriâ complexi, deinde magis, magisque permoti, haud facilè tegebant affectuum æstum, & vehementem vim cogitationum accensâ mente coruscantium: illud desideratissimum spectaculum tam insperatò revisum recognitumque: ipsamque in hospitis familiâ numerari, & tam propinqua cognatione conjungi. O fœlicem hanc domum, quæ tot decora humani generis, cujusvis ævi, & sexûs parturit! jam quidem fata sibi laqueos nectere, & cessantibus ultro inicere. Dum hæc taciti reputarent, non oculi, non ora, non universi corporis

poris habitus ſibi conſtitit: quod ut Eugenius, qui hæc impotentiùs ferebat, a ſe averteret, ad Joſephum hæc verba reddebat. Poſſunt ea quæ dicis utraque eſſe vera, cùm hic parens veſter urbis quoq; maritus videatur, unde vos utriuſque liberos appellari fas eſt. Imò verò (rejecit Jacobus) hæc urbs noſtra communis eſt parens, cujus vivimus beneficio, quamque nos omni ſtudio conſervare & condecorare debemus. Tum Joſephus ad ſororem ſe referens, O ſoror, inquit, quantam mihi lætitiam attuliſti, cùm te primo adventu conſpicerem collocatam in faſtigio virginalis gloriæ. At tu verò, reſpondit, tam inexpectato tuo obventu, præ ſtupore & gaudio ferè mei ipſius, atque omnis pompæ immemorem feceras, & ex iſto faſtigio deturbaveras. Reſpiciebant invicem Politianus atque Eugenius ad hæc verba, ſeque oculorum ſuorum ictu, & mutuâ ſignificatione caſtigabant. Virgo matre defunctâ habitabat foris in alio vico cum materterâ ſua; quò fratre reviſo diſcedere parabat. Pater eam unà comitabatur. At juvenes cum Joſepho diutiùs commorati, forte ad feneſtram, per quam in hortum proſpectus patebat, uterque ſe inclinaverant. Hic nova res oculis oblata eſt. Duos illos fraterculos, de quibus heri ſermonem habuerant, ad parietem ſimul aſtantes vident: ante hos ſedebat anilis matrona, quæ jam pueros ſic alloqui cœpit. Adeſte chariſſimi mei alumnuli! & priuſquam in ſcholam exeatis accipite hoc meum ſomnium quod pro vobis ſollicita ſomniavi. Videre viſa ſum vos in littore cujuſdam inſulæ, in Atlantico (ni fallor) mari poſitæ, ſolos eſſe relictos. Habitabat illic longævus rex, quem illi Philoponum vocant. Regnum erat non ampliſſimum, ſed opulentum ſatis excultumque; quod ipſe adhuc ſuperſtes, inter unicum filium, & filiam, quam

ex

ex concubinâ ſuſceperat, ſecum diſpertiverat. Hujus nomen erat Philomela, illius Philocles. Ipſe ſummam regionem obtinebat, ſoror infimam, pater regnabat in medio. Vos in Philomelæ ditionem ejecti, rerumq; & locorum ignari, in actâ ſedebatis. Littus erat gemmantibus conchis, & arenulis aureo colore nitentibus ubique conſperſum : campus pulcherrimis arboribus conſitus, neque ſatis patebat ad culturam, neque ambulandi ſpatia cohibebat : ubique umbraculorum fluctuantium frigiditas, ubique apricandi copia. Foliorum perpetua viriditas per ſe gratiſſimam ſpeciem præbebat : præterea multicoloribus floſculis interpicta, cærulam cœli plagam ſtellarum frequentiâ ſcintillantem, propè pari æmulatione, referebat : quippe in hanc florum varietatem frugum ſpes omnis conceſſerat. Ambulacra undique divertebant, planitie facili, & molliſſimo gramine conſtrata : ſumma inſiſtendi voluptas, ſed plurimorum nullus terminus, aut finis certus ; quin multivii tramites flexuumque ambages, per modum labyrinthi, vanos vagoſque hoſpites perpetuis erroribus circumducebant. Unica patebat in medio via, cæteris amplior, apertiorque, quæque proclivi ſemitâ rectâ a littore tendebat ad regiam Hâc progreſſos anciliarum chorus more meretricio adornatus improviſò adoritur : pſallebant illæ, ac ſimul modulabantur inconſpecti ſub arboribus fidicines : ac ſi Zephyri inter folia ſuſurrantis ſpiritus ipſarum vocibus alluderet. Carmen autem quod puellæ decantabant (uti probè memini) hujuſmodi erat.

Vivit in ſaxis onager remotis :
Vivit in ſylvis numeroſus ales :

Vberes

Vberes illis inarata tellus
Parturit escas.

Ludit Arctois satiatus undis
Cetus: expertos refugit labores
Liber in campis equus, & soluti
Colla juvenci.

Totius princeps dominusque mundi
Indiget cunctis; gravibusque curis,
Cæcus argenti nitido metallo,
Quærit, & auri.

Pallidus sæcli studio futuri
Ditat ignotos opibus nepotes:
Seque neglecto fugientis ævi
Munera perdit.

Læta poscenti genio repugnat:
Objicit sævis animum periclis:
Clarus ut vani referat tumentem
Nominis auram.

Quisque naturam melius parentem,
Optimum numen colit, & supremum:
Omne, quod lædat, fugit; & deorum
Sæcula regnat.

Finito carmine, puellæ blandissimè salutatos, & inexpectatâ rerum novitate attonitos, ad reginæ domum recipiunt. Jacebat aditus omnis declivior, ipsa in rupis præcipitio constructa, ad amphitheatri formam, moenibus vitreis, & columnis concavis, ædificiorum molem ægrè fulcientibus: omnia ad ostentationem magis quàm ad usum comparata. Regina in horto, qui ab anteriori parte domus undique includebatur, nunc avium in vivariis spatiantium cantiunculas sedulis auribus captabat,

bat, nunc innumera atque inaudita floſculorum genera fœmineâ curioſitate colebat. Recenti ſerto coronaverat frontem; nudamque cervicem & brachia gemmis, oneraverat fictarum gemmarum monilibus. Facies erat primo aſpectu venuſtiſſima, & quæ acutiſſimam aciem ex longinquo falleret: at quò propiùs accedatur, eò magis prodebat pigmentorum fraudem. Induebatur byſſinâ veſte, ex rariſſimis filis contextâ, per quam ſeipſam pretioſiùs conſpici quàm tegi malle videbatur. Circumferebat ubique cryſtallinum ſpeculum, ad cujus imaginem adulatoriè repræſentatam, comam, vultumque fingebat. Hæc utrumque manibus arripiens, nunc unum, nunc alterum indulgentiſſimis ſuavis deſuaviabatur; & his deinde blanditiis demulcens, Salvete, inquit, meæ deliciæ! divino ſanè ductu attigiſtis hunc fortunatam regionem, extra quam habitant omnes miſeriæ, & curæ vigiles, & inane deſiderium earum voluptatum quibus hic nos perpetuò fruimur: hìc aurei ſeculi fœlicitas: hìc omnia nobis ſuppetunt, quæ natura mortalibus grata procreat, quantumque ars ipſa intendere poteſt: hanc vobis maximam injuriam facio, quòd a ſenſu jucundiſſimarum rerum tamdiu detineo. Quamobrem hic in limine deponite onus omnium curarum & ſtudiorum, & faſtidioſam illam inſtitutionem, quam miſeri mortales virtutem vocant: neque pulcherrimæ juventutis florem finite ſenili invidiâ corrumpi. Cum his dictis, tanquam inſigni gratiâ impertitos, ancillæ intro ad palatium deducunt. Aula ſcenæ conſimilis erat, ubi ingens hominum multitudo comparuit: alii ſaltantes, alii titubantes: hi ludebant, illi rixabantur invicem, & in pugnam ardebant: iidemque mox in arctiſſimam amicitiam denuo coibant: plurimi ſedentes oſcitanter ſpectabant; adeoque incertum fuit,

an reverâ vitam exercerent, an potiùs ludum, & fabulam agerent. Horum plurimi vos, ut novos hospites, illico accedunt, & mirâ benignitate insistentes, in partem voluptatum tentant adducere. Ancillæ per medios abstrahebant, & monebant esse jejunos, & cibi vacuos, mox a cœnâ ad lusum redituros. Abhinc itaque in cœnaculum disceditur. Ibi non minor convivarum turba antiquo more toris discumbentium. Quidam epulis indulgentes avidissimis oculis totoque ore inhiabant, & lautissima quæque carpentes fœdissimâ abliguritione deglutiebant. Alii pasti, & temulenti stertebant ad mensam. Cœna erat, pro palato, non ad salutem, condita: modus vescendi ventris capacitas est, quam etiam sæpius expletam vomitu renovant: totam noctem conviviis impendunt: neque mensa unquam imparata est, quin aliis ferculis decrescentibus alia semper succedant. In vestro adventu gaudere visi, interque se medios recepturi erant, si non ministræ innuissent lassos ac somnolentos ad lectum deferri. Tum continuò in thalamum perducunt; cujus parietes peripetasmata e multicolori byssо, internitentibus auri atque argenti micis, in nudas atque obscœnas imagines virorum fœminarumque conficta, undique vestiebant; peristromata ejusdem materiæ ac operis insternebant mollissima cubilia. Vela præ fenestris opposita diurnæ lucis interventum avertunt; & luminaria a cæruleo laqueari aureis in lychnuchis dependentia nocturnas syderum faces imitantur. Phantasmata plurima huc illuc circumvolantia vanissimis contemplationibus vacuas & malè feriatas mentes exercent. Vos ad hæc omnia obstupescentes, ministræ interea, tanquam cubilibus imposituræ, nudatos vestibus; denique tabulâ, in hanc fraudem præparato dispositâ, clanculum resolutâ, improviso dolo, in

cloacam

cloacam præcipitant: tantâque benignitate in rapinam conversâ, se nihil vestræ calamitatis miseratas ab omni curâ & conspectu includunt. Neque ullus erat alius ab hâc domo posticus exitus, præter illam in quam vos lapsi decideratis, sentinam. Illic epularum reliquiæ, & nauseantis stomachi ejectamenta, cum omnimodis excrementis computrescebant: nec non ossea defunctorum cadavera, qui aut ictu violentæ necis, aut morborum spurcitie, aut denique fame & frigore enecti, sævissimæ crudelitatis monimenta præbebant. Audiebatur quoque catenarum stridor, & belluarum fremitus prædam impunè rapientium; juxtaque immane præcipitium, & in fundo ingens atque innabilis fluvius, in quem multi miserorum, ne moram tam horrendæ necis, aut ferarum sævitiam perpeterentur, seipsos ultro mergendos dederant. Ego quidem ad imaginem tantæ calamitatis, tanquam vivis verisque sensibus perterrefacta, somno excussa, me usque præ metu palpitantem, & sudore frigido perfusam sensi: ac diu fuit, antequam horrescere, clamare, circumspicere, vigil desisterem: mox agnita somnii vanitate, ob id magis exultare, ac deinde iterum quiescere cœpi. Inhiabant interea, & stupescebant uterque puerorum; ac dum anus spiritum tam longâ narratione fatiscentem resumeret; Auximus sic interlocutus est. O mater! lachrymas fetè mihi exprimis, meiq; misereri me cogis lamentabili commemoratione tam atrocis somnii. Tum Augentius, atqui spero, inquiebat; non tam crudelis es in alumnos tuos, ut tu quoque in hoc statu relinquere velis. Ita est profectò, retorquebat matrona, uti eventurum credidi: nunc in extremis angoribus meum consilium & opem requiritis; at inter scelestas incanta-

tiones neuter veſtrûm ad me reſpexit, aut unquam inclamavit abſentem. Utcunque verò hæc ita ſint, deſperare vos nolim: nam mox in ſoporem relapſa, neque abrupto prioris ſomnii curriculo, vobis præſens adeſſe videbar. Porrò uterque miſerabili clamore & tremore maximo circumſiſtere, atque importunis precibus obſecrare, ut ab his malis continuò eriperem. At ego ſic primùm pro meritis increpans, Annon vos ſæpe ſemperque præmonui, ne venificarum voluptatum illecebras ullo modo delibaretis: ſed potiùs per laborem atque virtutem ad ſolida gaudia contenderetis. Hic vos lachrymis ubertim profluentibus: Ignari ſanè atque incauti in hanc inſulam abrepti fuimus: ac mox fallaci hoſpitalitate pellecti, in omnium voluptatum affluentiam, ceu participes futuri, immittimur: vidimus quidem atq; audivimus, cæterùm ab omni guſtu & contactu immunes ſumus: heu, quantas tamen hujus ſtultitiæ pœnas perſolvimus! quin tu, o mater! quæ tam opportuno tempore huc nobis demiſſa es, ſi quid potes, his eximе miſeriis: quod cum ſemel effeceris, ab ipſo aſpectu tantorum ſcelerum nos longiſſimè alienatos recipies. His auditis, ſubinde retuli; Hæc eſt illa Philomela, quæ ſuis opibus per ſummam prodigalitatem corruptis, furto, rapinâ, & quibuſvis malis artibus, fortunas reſarcire conatur, & immenſam ſumptuum voraginem explere. Vos quia novitii & peregrini parvæ ſpem prædæ ferebatis, tam leviter & perfunctoriè tractati eſtis: reliqui, ubi funditus exhauſti fuerint, per eundem exitum abibunt: quin ad ſalutem haud parum refert, quòd hoc faſcino ſitis non altiùs imbuti. Quocirca ſi nunc demum errorem recognoſcatis, & ultro quæratis ad ſanitatem reduci, præmonſtrabo vobis illam

unicam

unicam viam, quæ trans fluvium dimittet incolumes. Sic præfata, mecum devexi in anguſtum callem, inter juga ſaxorum utrinque imminentium, & frequentiſſimos ramos feralium arborum ſuprà coeuntium adeò occultatum, ut a paucisſimis quærentium deprehendi queat. Conſiſtendi quoq; ſummum periculum: quippe ſolum leve ac ſabuloſum non niſi citiſſimè prætervolantes tranſmittit: neq; multum iter intererat ad ripam fluminis: verum in pontis veſtibulo ſtatuebatur ingens & immanis Coloſſus, pedibus in maximam amplitudinem divaricatis, ſub quibus pons ipſe adeundus erat, rectus, & lubricus, & anguſti itineris. Oculi prægrandes, & truculenti, flammarum inſtar per vitream feneſtram noctu tranſlucentium, horribili ſpecie fulgurabant: univerſum corpus aut plagis livebat; aut perrubeſcebat cruentis vulneribus. Ora miſerabiliter diſtricta. Manus quoque, quas ultro venientibus exporrigit, ferreis unguibus obarmatæ, abſterrent plures quàm attrahunt. Tabella autem quæ a dextra pendebat his verſiculis invitabat.

Fœliciſſimus omnium,
Rectam qui tenero puer
Ingreſſus pede ſemitam,
Curſu perpetuo premit
Metam mortis ad ultimam.
Fœlix, qui refugo gradu,
Orci præcipitem viam
Pertæſus, ſuperos petit.
Quiſquis tramite devio
Captus ſe redimi cupit,
Me non horreat indicem,
Vultu terribilem truci

Sed pronus facilem piâ
Exoret prece transitum.
Cassis lumine præscio
Hoc solum supereſt iter.

Hac ſpe confirmati pontem humiliter occupatis, qui ab initio vix pedem latus, quo longius pergitis, eò in ampliora ſeſe ſpatia ſpargebat. Adverſa regio ſenſim a ripâ ſurgebat per Philoponi ditionem ad aurei montis faſtigium. Campus omnis, quàm longè patebat, herbarum ſatorumq; ac frugiferarum arborum ordinibus ubiq; conveſtiebatur. Huc tranſmiſſi non diu proceſſeratis, antequam incideretis in ruſticum, qui agris colendis exercitatus, ex laboribus victum merebatur, & familiam non ignavam collatâ ſtipe ſuſtentabat: neq; regiis opibus invidebat; ſed eâ animi ſecuritate, & ſalubritate corporis degebat, cui reges ipſi inviderent. Hic nudos ac palantes obiter aſpiciens, ultro quæſivit, qui mortales eſſetis, quibus e regionibus hucuſque delati, & quò deinde pergeretis. Poſtquam amnem trajeciſſe accepit, miratus, atque miſertus, hoſpitaliter admiſit in domum ſuam; & veſtimenta, quæ ad puerorum ſuorum ornatum repoſuerat, non nimis elegantia, integra tamen ac munda, & quæ corporis uſus ſatis abſolverent, ſuis manibus vobis injecit, & domeſtico victu cibavit Vos tantam liberalitatem, ut par erat, animis obverſantes; neq; adepti ullam ſolvendi facultatem, pudore incenſi, ac ne indies graviores ſitis, veſtram operam repræſentatis, ſi in quibuſcunque ſuis negotiis ipſi adjumento foret: vobis dexttas eſſe pro ætate ad capeſſendos labores non invalidas; præ cæteris agri dimetiendi & rationum conjiciendarum nonnullam habere peritiam. Ille indolem & gratitu-

gratitudinem veſtram benignè accipiens, pauperem ſe quidem eſſe fatebatur, aliquid tamen ſupereſſe, quod in pauperiores, & miſeros largiri poſſet: neque ullam compenſationem ſperare ab illis, quos nihil poſſidere præſenſerat: manuum quoque veſtrarum mollitiem recuſare ruſticorum opera. Quin, aiebat, ſi iſtas artes probè tenetis (quod in vobis vix quivis expectet) reperietis inter nos præmia omnibus ſtudiis quæ hominibus uſui eſſe poſſunt. Villicus eſt regius, cui ipſe inſervire & operam meam collocare ſoleo; illi fortè ſit opus hac veſtrâ peritiâ: nunc ad ipſum abeo, ac (ſi libet) vos mecum deferam. Inde a jentaculo ad villam educens, coram villico referebat fortunas veſtras ac præſentem rerum ſtatum; ingeniique præcocitatem, & non vulgarium artium profeſſionem. Ipſe utrumque ſtudioſè perluſtrans, ſubeſſe aliquid præſtantioris animi ſecum augurans, & mox experientiâ factâ multò magis confirmatus, ad ſe ſtatim recipere voluit. Vos hoſpiti plurimùm debere profeſſi, ob ejus commiſerationem, & charitatem, ac non minima impendia, quæ in vobis ſuſcipiendis elargitus eſſet; cibum ejus delbaviſſe, filiorum veſtes adhuc geſtare, ob id animo deſtinaviſſe, nihil prius aggreſſuros, quàm ipſi hoc debitum perſolvere daretur. Villicus, veſtrâ ingenuitate probatâ, id ſe facilè præſtiturum dicebat, ſumptus omnes, quos in vos operarius collocaverat, deponere velle, & hæc veſtra officia ad ſeipſum traducere: quod ratione collatâ extemplò perfecit: & aliquid altius quàm quod primò prodebat de vobis agitans, rudibus iſtis veſtimentis detractis, eas inſuper operarii pueris dono remittere, vos ſplendidiores induere jubebat. Paulò poſt ſecum foris evocans, ad urbem rectà pergebat; quæ non longè diſtabat a villâ. Hìc

ingens operantium fremitus, cantusque & clamor confusus. Ipsi undique per officinas studiis & laboribus intenti egregia edebant artificia. Ingens in medio palatium, e pulcherrimo marmore operosè constructum. Huc ad tergum secutos villicus inferens; mox ante ipsum regem productos, & ob ingenii acumen, & morum venustatem prius commendatos, ei utrosque humiliter dicavit, suâque manu transmisit. Rex erat ætate provectus, canis capillis, sed vultu viriliter rubescente, nervisque validis & constantibus. Præcipuè gaudebat egregio puerorum delectu; quos in optimos viros educere studebat: atque interea per horum jucundissimum consortium senectutem suam quodammodo recreabat. Ipse utriusque speciem, & corporis habitum paulisper contemplatus; tum ut internas animorum dotes experimentis & sermonibus eliceret, atque inde aliquam probationem captaret, in thesaurum adduxit; ubi præstantissima artificum opera undique in loculis disponebantur: alia ut ingeniorum specimina, alia variarum voluptatnm instrumenta, nec non plurima usibus commoda. Rex gnarus puerorum indolem nunquam manifestiùs deprehendi, quàm per votorum explicationem, vobis digito ostentans cujusque generis utensilia, tela bellica, & lusoria, fistulas, imagines, monilia, gemmas, & in his vasa vitro simillima, sine vitio fragilitatis pellucida; machinas quoque perpetuo motn automatas, quæ ex se redderent suavissimam symphoniam, hominumque icunculas ad numerorum legem saltantes exercerent: utrumque jubebat ipsi indicare, quid vobis maximè allubesceret. Vos oculis undique circumductis, fortè librum, qui in pluteo ad parietem jacebat, conspicati, de omni artificiorum genere, inscriptum, &

ab

ab ipso rege editum, cujus quoque nomen præferebat. hunc vobis esse gratissimum refertis. Ille increpans, & irridens, rogat, quid librum simplicem, & inornatum tam dædalis opificiis præponeretis? Cui Auximus: Quia si hic liber, quod a fronte pollicetur, omnium artificiorum rationem exponat, in uno omnia capiemus, cùm inde plurima ejusmodi fingere didicerimus, & pro singulis artificiis ipsas quoque artes abducemus. Quibus dictis rex leniter arridens, utrisque librum dari imperat & ex usu se cogniturum dicebat, quàm hæc electio sit justa & prudens: verùm aliquâ suspicione inductus, hoc suo nomini per adulationem dedisse, altiùs experiri pergebat, interrogans, quidnam esset, quod, si optio daretur; ab illo potissimùm peteretis? Hic uterque: Primùm, ut hunc nostrâ vice remunerari velis, qui nos tibi tradidit, & hujus tuæ liberalitatis participes fecit. Extemplò rex; Hoc quidem in præsentiâ faciam. Et perinde non modicam pecuniæ summam villico jussit repræsentari. Seque præterea pollicebatur non immemorem fore tam accepti muneris. Nunc ab ipso quærebat, ubinam gentium reperisset, aut quibus artibus excoluerit. Cui villicus: Peregrini sunt, & ad me nuperrimè devecti: quantùm verò audio, a Philomelæ regione ad nos pervenerunt. Rex, audito Philomelæ nomine, de ejus salute interrogabat. In illam utique vehementer indulgens & propensus erat. Vos per villicum ad hoc anteà instructi, Bene se habere renunciatis, nihil omnino de injuriis conquesti. Haud multum temporis intercessit, cùm ipse Philocles regio comitatu stipatus ad paternam aulam descendit. Invehebantur omnes equis alatis. Ipse imperatorio paludamento indutus. Facies tantâ vi luminis obsessa, ut

illius aſpectum, & vibrantium oculorum ictus, humiles atque vulgares animi ſuſtinere non poſſint: neq; habet univerſus orbis quicquam illo juvene magnificentius aut pulchrius. Poſtquam à patre liberaliter accepti, & conviviis expleti ſunt; reges ſeorſim de maximis rebus inter ſe agebant. Philocles ſororem accuſabat, quòd ejus famam, cum aliter nocere neque auderet, neque poſſet, confictis mendaciis laceraret: idque ſe pro maximâ injuriâ interpretari. Ad hæc, hoſpites & peregrinos, quorum ipſe tutelam ſuſceperat, prædatoriè expilare, & ſæviſſimis beſtiis devorandos objicere. Ob has cauſas ſe ad ipſum veniſſe, ut in eam bellum inferre liceret, & a regno, quod tam malè adminiſtrabat, depellere. Philoponus graviter ingemiſcebat, ut qui filiam impenſè amabat: cùmque anteà ſæpe frater per legatos eâ de re queſtus fuiſſet, ipſa acciri ac ſiſti coram ſe juſſa patris animum ſuis blandimentis ſic inflectebat, ut hucuſque elaberetur impunis; neque exinde magis refrænabat libidinem ſuam, ſed eo ſecuriorem ſe rata, licentiùs graſſabatur. Nunc conſtrictus Philoclis præſentiâ, & graviſſimis querelis oppreſſus, hæc tantùm ſubjecit. Quod ad te attinet, ô fili! debes potius mecum ſorori ignoſcere, aut alia ſaltem remedia experiri, antequam de ejus vitâ & fortunis tam ſeveram ſententiam proferamus. Forſitan hæc ſunt antiquiùs delicta, cùm adhuc juvenis & imprudens eſſet; nunc maturioris ævi acceſſu, ac meis monitis erudita, ad meliora tranſivit. Equidem hìc duos pueros peregrinos habeo, qui jampridem ad me deinde venerunt, & ab illâ ſe perhumaniter tractatos agnoſcunt. Hic Philocles. Utinam alloqui liceat: nemo enim anteà hanc famam de eâ retulit, Ob id ambo e conclavi egrediuntur. Præ foribus

expecta-

expectabant utriuſque regis ſatellites; qui per otium inter ſe variè differentes, hoc certamen ingenii inſtituerant; ut præſcripta quæſtio ederetur, cui quiſque ſuam opinionem ſubjiceret, omnes Philoclis judicio ſtarent, ac pignora, quæ in medio deponebant, victor auferret. Quæſtio erat hujuſmodi. Quis eſſet ſummus ille omnium regum qui prioribus ſeculis regnaverint? Alius Ninum, alius Alexandrum, alius alium detulerat: Auximus qui pro utriſque veſtrûm pignus conjecit, ex communi aſſenſu ſubſcripſit Primum. Philocles chartâ in manum traditâ, & mox integrè perlectâ, ipſum evocat, & quis hic Primus eſſet, exponere juſſit. Auximus illico, Eſt, inquit, ipſe primus parens humani generis. Ille nullâ factâ cunctatione, Viciſti proculdubiò, clamabat. Is enim ſummo jure totius generis humani rex, ac omnium terrarum dominus fuit. Inſuper puerili acumine delectatus, annulum digito detractum tradidit: tu in ipſius conſpectu ad fratrem juxta aſtantem dimittis. Quod Philocles factum videns, increpare cœpit, &, nunquid tantæ benevolentiæ pignus tam parvi faceres, interrogavit. Haud quidem, aiebas, verùm illud a te ſcire velim, Annon juſtiùs excandeſceres ſiin medio confregerim? Referabat ille, hanc ſanè maximam injuriam fore. Tum iterum dicebas, neceſſarium eſſe alterutrum fieri. Quid ita? flagitabat. Tu verò: Quia hic, qui frater eſt meus, & hanc mecum ſententiam protulit, ſuamque ipſe partem depoſuit; aut partem recipere debuit, aut totum. Hic Philocles: Id verò experiar. Tu qui frater, & particeps es, ediſſere mihi, quis alter ſit illi proximus? Augentius parumper meditatus, mox ita renunciabat. Pater familiæ, quæ diluvio ſuperfuit. Hoc audito Philoponus clarè arriſit, exultans ob victo-

victoriam quæ a suâ parte ceciderat, & ob hanc corollariam ingenii fœlicitatem. Philocles autem: Profectò hic est tam par primo, quàm tu fratri: ac si ejus nomen certatim edidisses, sola inter vos controversia fuisset. Cum his laudibus auream quoque catenulam afferri jussit, eamque Augentio adjecit: quâ acceptâ, hic annulum suum fratri reddidit; ac mox cùm depositæ proferrentur, Auximus pro utrisque prolocutus, Quia, inquit, a munificentissimo rege Philocle præmia cum victoriâ reportavimus, unicuiq; vestrûm suum pignus remittimus, nostrumque ipsi apud quem depositum. Omnes in maximam admirationem erecti, & tantâ liberalitate munerati, ingentes plausus referebant. Tum Philoponus, vos filio ostentans, hi inquit, sunt iidem pueri, de quibus ad te dudum mentionem feci: ac simul enarrare jubebat, quo more a Philomelâ recepti sitis. Hic Auximus: Ipsa quidem cum maximæ benevolentiæ specie nos attrectavit: cæterùm ancillæ nudos & spoliatos ad feras ejecerunt; quarum fauces mirâ providentiâ effugimus. Hæc verba Philoponi mentem graviter vulnerabant. Quid ergo, inquit, hujus flagitii me non antè commonuistis? At vos: ne nunc quidem, nisi compressi. Vobis dimissis: Philocles ex eâ occasione, patri causam aperit, ob quam ipse sororis scelera tam serò resciret. Quod si subditorum tuorum meorũq; quæstibus æquas aures præbere volueris, fieri non potest, quin nobiscum in vindictam exardeas: neque verò tolerabile est advenas & peregrinos tam inhospitaliter expoliari, & contra jus gentium in perniciem detrudi; quod si diutiùs procedere patiamur, totum orbem ad justissimam ultionem in nos undique concitabimus. Universi qui aderant tam atroci recentiq; facinore incensi, Justitiam,

ſtitiam, Juſtitiam, magno clamore; per horam penè integram repetito, poſcebant. Ubi tandem Philoponus conſentiret: Philocles nullâ morâ interjectâ ad hanc expeditionem ſe accinxit; ne fortè ſoror per nuncios internoſceret, quid de illâ decretum ſit, & parentis pacem exoraret: quin ex ipſius ſecuritate hanc eſſe optimam rei gerendæ occaſionem ratus, copias, quas præſentes circa ſe habebat, inſtructas educit. vos a patre ſibi depoſcens, quorum indicio uteretur, & victor magnis honoribus penſaret. Interea equites, & currus aderant. Ac mox, exercitu in hoſticum traducto, Philomela cum omnibus copiis ex improviſo facilè oppreſſa eſt. Tum inde pigmentorum fucus, tanquam cera ſub ſole liquefacta, dilabitur; atque extincta eſt veneficiorum efficacia: neq; quicquam ulteriùs magicæ poteſtatis habuit, ex quo ſacris vinculis conſtricta eſt: quin & fœdiſſima patebat deformitas: ut quæ nativam pulchritudinem voluptatum intemperie corruperat, quam denuo fictitiis coloribus oblinivit. Domo exhauſtâ milites faces certatim admovebant, unde parvo temporis momento ad cinerem redacta eſt. Re fœliciter confectâ, Philocles receptui cani juſſit. Inde reverſus in regnum ſuum cum pompâ proceſſit ad templum in aurei clivi vertice conſtitutum. Ingens undique gratulantium turba, ingens militum clamor & concentus: equidem ſtrepitu concurſantium & plaudentium agitata rurſus ex ſomno deturbor. Cum matrona finem fabulandi fecerat, uterque congratulabantur hunc lætiorem ſomnii eventum: & Augentius ſubridens; O mater! inquit, certe evigilaſti nobis hoc ſomnium. At illa: ſive vigilans, ſive ſomnians ediderim, hinc vos diſcere velim, unde ad veræ virtutis, & honoris faſti-

faſtigium recto curſu perveniatis. Auximus adhuc meditabundus, adjecit; Sanè fieri non poteſt, ut nos unquam hujus fabulæ obliviſcamur: atque utinam nobis perſcriptam dares. Cui anus: Tu mox abibis ad ſcholam publicam, ubi multò concinniores pueri familiariter inter ſe recitant. Verùm hanc omnem perfectè tenebitis, ſi duo tantum documenta referatis, Dei providentiam eſſe optimum viaticum, & bonam eruditionem certiſſimum patrimonium. Hic Joſephus hoſpites allocutus, rogare cœpit, quid tales nugas tam immobili auſcultatione captarent? Nugas eſſe dicis, referebat Eugenius, quæ non ineruditam voluptatem cum tanta utilitate componunt? neque ſunt hæ ſimiles anilium fabularum, quibus memini me puerum adeò delectatum: atque ob id magis miror, unde hæc fingeret. An hìc anus quoque philoſophantur? Subinde Joſephus: eſt hæc anus fraterculis meis præpoſita. Matronarum quippe gravitatem cum blanditiis permixtam, his officiis aptiſſimam judicamus: cæterùm ne infantes quidem ad fœminarum imperium in totum rejicimus; ſed diverſas utriuſque ſexûs virtutes his parentalibus curis adjungimus. Atq; hæc, ut mihi viſum eſt, alumnos ſuos præmonere cupit, ut, quod de Hercule memoratum eſt, virtutem a vitio per judicii vim, ſine experiundi periculo diſcernant: eoſque quaſi lapſos commemorat, revera ne labantur omnino: & quo monita faciliùs penetrent, his fabuloſis involucris obducit: vix tamen credo per ſe confinxiſſe, ſed ab alio quovis fuiſſe commenta; vel quod potiùs reor, e vulgaribus libellis, quales plurimi in hunc uſum circumferuntur, mutatis nominibus, & cum paucis variationibus decerpſiſſe. Et ſanè irrideant, ut velint, iſti altioris diſciplinæ magiſtri: nos humil-

lima

lima quæq; libenter amplectimur, quæ huic ætati profutura cenſemus. Exclamat hic Politianus. O fœliciſſima ingenia! quæ ipſam vanitatem in tantos uſus fructuſq; convertitis. Imò verò, addebat Joſephus haud tantùm in formandis moribus, ſed etiam ad inſinuanda religionis elementa utimur hujus artis adminiculo: neque modò memoriter perdiſcere cogimus ea quæ parum intelligunt; aut ſolùm per breves interrogatiunculas cibum cœleſtem concidimus; quin & condimus ad palati ſenſum, & præmanſum in ora ingerimus: retundit aciem tenellarum mentium ſolida ac robuſta veritas; & diſcendi tædio ab ipſo limine ingreſſuros abſterret: unde res divinas, ut triſtes, & moroſas, ob præconceptam moleſtiam perpetuò refugiunt: aut ſi hæc prima obſtacula tranſcendant, ſibi plaudunt ob indigeſtam verborum copiam, & iſtâ ſervili diſciplinâ conſcientiam obſtruunt: ſenſum verò ipſum ac ſpiritum religionis haud unquam attingunt. Nos itaque, ut huic incommodo maturè occurramus, per facillima blandiſſimaq; initia paulatim deducimus, ac deinde pubeſcente judicio, & cœleſtium rerum appetitu, ſublimioris ſcientiæ pabulum impertimus. In primis hiſtoriam ſacram, & exemplaria pietatis proponimus; ad quæ pueriles animi, præ ipſis præceptis, uti ad imagines in libris depictas magis quàm literas reſpicere ſolent: deinde parabolas, & ejuſmodi figuratas narrationes; quarum enucleatam intentionem delibant avidius, & fideliùs retinent. Præſtat verò largâ & liberali confabulatione cum iis familiariter diſſerere: omnis enim ſtata et ſolennis diſciplina, utcunq; ſit primùm jucundiſſima, mox penſi gravitatem præferre videtur. Hæc ad feneſtram colloquutus, pueros in horto ſpatiantes, in cameram ad ſe vocat. Cum aſcendiſſent,

ſcendiſſent, repetere cœpit anile ſomnium: cui ego, inquit, alteram cantiunculam meretriciis iſtis incantationibus oppoſitam, quia deeſſe videtur, adjiciam.

Horreſcit nocuis ſentibus, & malos
Certat terra ferax tollere carduos:
Et vix fida colenti,
Meſſem reddit adulteram.

It formica frequens colle ſub arido;
Et junctis Cererem viribus integram,
Parco dente peremptam,
Cæcis condit in horreis.

Hybleæ volucres dulcibus otium
Poſtponunt ſtudiis, & liquidum novi
Libant floris odorem;
Sævam mel hyemem levat.

Anni perpetuam ſol terit orbitam:
Exhauſtis toties reddere cornibus
Rores non piget almos
Nocturni dominam chori.

Diſcat gens hominum, cui vigor igneus,
Et mens ætherei conſcia Numinis,
Lætos ferre labores;
Curas ut fugiat graves:

Vitam cælicolûm tranſigat æmulam,
Æternique ſerens præmia ſeculi,
Gazâ ſit magis omni
Parcens temporis aurei.

Tum ut hæc documenta altiùs imprimeret, in ſermone progreſſus, Nunc illius eſſe ætatis, dicebat, quæ ad virilia ſtudia, & graviorem diſciplinam ſpectare inci-

incipiat: idcirco opus esse summâ cautione, & prudenti consilio, ut vivendi cursum fœliciter inchoent: & fortè Auximum interrogabat, quot annos se natum duceret? At ille: Tu quidem id meliùs nosti, qui interfuisti nativitati meæ; ego nec me nascentem, neque lactentem memini. Tum Josephus; Rectè respondes; atque id sanè omnes parum meminimus; sive ob istius ætatulæ insciti am, sive per nostram socordiam, & negligentiam; ac si verum esset, quod poetæ, tradunt, e Lethæo flumine prodiisse: cum tamen altera mortalitatis pars sit quæ vitam præcessit; ac non ipsam mortem magis præmeditamur: quæ duo vivendi repagula si ritè conferamus, facilè apparebit, quàm angusta, & tenuis res homo sit: quid enim duodecimo ab hinc anno te fuisse existimas cum jam undecim annos natus sis? Ille perculsus hac quæstione, ac diu rogantem intuens, tandem respondet: Cùm id non fueram, quod nunc sum. Auximus certè non eram: & nunc mecum mirari incipio, cur non potiùs vixerim regnante Davide, aut Herode, aut saltem aliquo priori seculo: tum unde ego is sim, qui sum; & non alius, non Josephus, non Augentius, non quilibet: certè hæc distinctiùs sunt perpendenda, quàm mihi hactenus in mentem venit. Cui Josephus: Optimè feceris; & inde senties; non magis unicum diem vitam prorogare posse, quam ante natalem nasci: ita indies vivimus ex divino munere, omniaque nostra pendent ab illius nutu, qui nobis nosmetipsos perpetuò donat. Atque illa personæ unitas est res profundæ considerationis: nunc tantùm tibi subjiciam illud, quod maximè obvium est: nimirum cùm Auximus sis, & non alius; cumque æternam tui ipsius possessionem ineas; tibi videndum est, ut tu idem Dei gratiam

tiam & æternam salutem consequaris: aliter quodcunque fiat de Josepho, aut Augentio, ipse Auximus peribit. Nec tamen ideo in te sistere fas est: cùm enim homo natus sis, cogitare te debes in universæ humanitatis corpore constitutum; cùm Judæus, ut partem ejusdem capitis: cùm frater, tanquam alterum oculorum, quibus intercedit arctissima officiorum conjunctio: cùm denique sis Christianus, quasi eandem esse animam mentemque cum cæteris, cujus summa est unio & agendi consensio. Plurimis hujusmodi sermonibus quotidie usurpatis, ad gustum veræ pietatis, & meditandi libertatem, puerorum ingenia educere solent. Paucis post diebus, servus Josepho occurrens, annunciabat, Alcimum, tutoris filium, Solymam reversum, intus esse cum domino; & ipsius colloquium petere: quem mox Josephus admittebat, nihil magis expectans quam ut viseretur. Ab ingressu, Alcimus esse Josephum admonitus, ocyùs accurrens, in genua procidit, & veniam ab illo suppliciter exposcit. Is nondum conscius quid ita faceret, breviter respondit, crimen esse prius recognoscendum, quàm aut modestè rogari venia, aut prudenter dari possit. Imò verò, aiebat, ingens ficinus admisi in te, inque parentem meum. Ad hæc verba, subita lachrymarum vis, & suspiria simul erumpentia, præclusérant vocem. Josephus tam perplexâ præfatione turbatus, in pedibus stare, & effari jussit. Tum ille: Non potes non recordari te cum patre meo, sex mensibus abhinc elapsis, in agro Catanensi, unico servulo comitatos, iter fecisse. Ego, qui a patre, uti nostis, diu ante profugeram, in Siciliam secessi. ac variis fortunis exagitatus, deinde ad summam inopiam redactus, & perdito animo nihil

recuſante, quod egeſtatem & libidinem impleret, latronibus egregiis tum in proximæ ſylvæ opportunitate degentibus me addixi. Matutinum tempus erat, cùm in vos equis prætervectos e latebris fulminacula intentamus, & per triplicem exploſionem ſimul editam, ſervum quidem globulo configimus, equum tuum per utrumque latus trajicimus, in cujus ruinâ, priuſquàm te expedires, illico erupimus, & mox cum patre captum in noſtram poteſtatem adegimus: Dum in prædam circumfundimur, novus itinerantium ſtrepitus ad aures accidit: continuò quatuor in cuſtodiam additos dux cum prædâ retrocedere jubet in conſtitutum ſilvæ diverticulum: ipſe aſſumptis ſex reliquis (decem numero eramus) obvius ad viatores procedit, ne, ſi omnes ſeſe in ſylvam recepiſſent, fugæ ſpecies, & cæſorum cadavera occaſionem ſequendi darent. Ego alterque ſociorum (cui Milo nomen) cum patre ac prædâ in illius equum tranſpoſitâ præceſſimus. Ut in ſecretâ perventum eſt, Milo protinus ſarcinam detracturus erat. Equidem patrem vinctum brachio tenebam, ſtrictum mucronem pectori ferociter intentans. Pater me parumper circumſpiciens mox auſus eſt compellare, &, Annon me agnoſcis Alcime? dicebat. Ego, qui in primo impetu, ac deinde tumultu occupatus, ad ejus faciem minùs reſpexeram, neque certa ſuberat ſeptem antea annos conſpectæ memoria, ad hanc vocem vehementer exhorrui, os, oculos, barbamque dicentis, accuratiùs obtuens: neque quicquam aliud reſpondere potui, quàm ô pater! ignoſce, quæſo, filio tuo! adeò confuſus, atque attonitus, ut brachium ſponte remitterem, & gladium manu non ſuſtinerem: neque ille leviter tremefactus tam inſperato, & mominato occurſu, tan-

dem retulit. Ego sum quidem tuus iste miserrimus pater, ac nescio, an inventum, an nunc verè perditum dicam: cùm tamen nondum omni humanitate exutus videaris, ac si me aliquâ parte juvare possis, sarcinam nostram è consortis manibus quamprimum redime: scilicet peregrini sumus, & huc fortè ad insulam lustrandam advecti, quòd si omne viaticum sit dispersum, neque hic vivere, neque facilè enatare licebit. Ego me experturum respondeo; ac primùm patrem exuo vinculis; deinde uterque Milonem accedimus, qui prædæ intentus ad colloquia nostra non auscultaverat. Atque ego, ut res erat, illi expono, & profiteor hunc esse parentem meum: proinde obsecro a sarcinâ deripiendâ desistat. At ille, qui truci ac præfervido ingenio erat, atque in illâ pretiosam aliquam supellectilem conspexerat, ægerrimè ferebat sibi extorqueri, & fortè aliquid furto subducturus, aut si præmium fugâ dignum videretur, totam secum avecturus erat: nunc præpeditus, & petulanter irridens, enimverò, inquit, tu atque hic longævus nebulo ob id tamdiu consulueratis, ut hanc mihi fraudem compingeretis; & tu solus prædam auferres, eumque sub patris nomine incolumem dimitteres; adeone me ludi posse existimas a te, qui cyrunculus es in hac arte, & in nostrum ordinem novissimè ascitus? absiste verò jam istinc tu & pater tuus, aut ego per illius cædem hanc technam discendam. Hac injuriâ & contumeliâ irritatus, vehementius insurgebam, &, si tu adeò veteranus es, aiebam, debes scire legem militiæ nostræ, neque parta distrahere, ante quam omnes conveniamus; quòd nisi protinus inde abstinueris manus, ferro disjiciam. Ille nihil contrà, sed graviter infrendens, & acinacem stringens, citius quàm cusem, qui

propè

propè jacebat, repetere, ac prævenire poterã, in meum caput irruebat; ac proculdubio grave vulnus inflixerat, ni pater medium se inferens brachio altè sublato a me ictum intervertisset. Ego irâ & pudore incensus, dum illi tumultuantur, toto impetu in ipsum insilui, ac multâ vi fortiter comprehensum, ad terram inferiorem detrusi: acinace tandem extorto, jugulum petebam; pater, nè occiderem, prohibuit, funiculum, quo ipse prius nectebatur, ultro offerens, eo coercerem, vinctumq; relinquerem. His effectis, equos cum sarcinâ seorsim abducimus, nova consilia de te, deq; fugâ inituri, cùm tristẽ & compressam vocem opem timidè implorantis accipimus. Hic pater: Quàm vereor, inquit, ne isti, qui Josephum tenebant, in eum quid mali moliantur! Tum ego: Estne is Josephus Jacobi filius? Cui pater: Ipse est: maturemus ocyus, & suppetias illi feramus. Subinde equis ad arborem alligatis, festinato cursu, quo sonitus perducebat, acceleramus. In ipso sylvæ confinio duos humi passim jacentes offendimus, alterum mortuum atque extentum, alterum seminecem, & in suo sanguine se volutantem. Pater ad proximum, ego ad ulteriorem accurro: qui me prior inclamans, Occidor, inquit, ô Alcime, ab illo juvene, quem dudum captivum in sylvam adduximus; qui & me lethali vulnere affecit, & socium nostrum, quem non longè extinctum reperies, interemit. Ego tam inopinato casu commotus, Quî fieri posset? interrogabam. Tum ille: Dum in sylvam tardius subsequimur, in vinciendo paululum morati, vos e conspectu præceditis: quod iste sentiens, captato tempore, cùm ei funiculum expedirem, Alexandrum, qui manu brachium prensabat, a se repulit, & subito impetu gladium ejus occupavit; ac eodem quasi momento confodit: tum,

priusquam eâ contentione implicitum adoriri poteram, æquo Marte in me conversus, ingenti ictu caput perculit, humique prostravit. Huic ego rursum. O mirum fatum! Ede verò, quorsum aufugit, ut ejus stram cædem, si licet, ulciscar. Tùm ille in sylvam interiorem jam modò aufugit. Hæc audiens ad patrem me refero, eique occurrens, Josephum evasisse doceo per custodum suorum cædem. Ita videtur, respondebat; quin nos quoque sarcinâ arreptâ insequimur, ut ipsi fortè superveniamus. Dum fugam instruimus, latronum in sylvam redeuntium strepitum haud multùm a viâ diversi captamus. Dux cum primis ad locum constitutum recta perrexit. Unus, qui fortè cunctantiùs subibat, seorsim obequitans, audito quasi morientis singultu, ad vocem deflexit. Nos propiùs Milonem in occulto aderamus. Illi ubi vinctum ac solo stratum haud longè agnoscerent, subsistere paululum, ac deinde refugere, & tanquam ab insidiis cavere cœperant. At Milo. Non hic trepidationis, sed vindictæ est locus: quòd si vobis id animo non sit, meipsum modo vinculis exolvite, ut sacerrimum istum perduellem, Alcimum assequar, qui cum altero viatorum in perniciem nostram conjuravit. His verbis & inexpectatâ rerum facie turbati, rescire saltem, secumque abducere statuebant. Itaque ab equis desilientes ad ipsum subeunt, atque dum vinculis eximunt, non minùs, quàm ipse inimicus Milo, in nos diras execrationes effundunt. Ego verò ad hunc casum, quem facilè eventurum suspicabar, satis obfirmatus, & consultiùs ratus audacter prodire, quàm deprehendi & retrahi, patrem quoque hortabar, omnem consternationis speciem amoliri, ac ultro mecum in medium procedere. Ut primùm coràm apparuimus, illi protinus

nus in nos irruere, ac Milo primus omnium ſua vincula mihi injicere; alii patrem obtruncare parabant. Ego ad ducem exclamo, modò me ſaltem exaudire velit, priuſquam quid gravius in nos decernat. Obſtrepente atque interpellante Milone, omnes acriter in nos invehuntur: me cum captivis cepiſſe concilium prodendi ſocios, ac ubi Julium? ubi Alexandrum cáſos reliquiſtis? aut in quam foveam vinctos abjeciſtis? Et jam propè res ad cædem ſpectabat: neque dux ipſe furorem inhibere poterat: cùm ille qui poſtremus ſylvam intraverat, citato curſu ad nos pervenit, & ingenti per ramos ſtrepitu edito, adeò perterrefecit oblitos quenquam ſui numeri reſtare; ut ad propioris periculi ſenſum a fugâ ferè non abſtinerent. Illo agnito & aliquid novi afferri viſo, conſiſtunt undique, & quid rei eſſet, exquirunt. Tum ille. Alexander occiditur: Julius nunc animam agit, lethali vulnere ſaucius, quod a juvene capto ſibi inditum refert: Alexandrum ab eodem fuiſſe peremptum: Aicimum ſerò accurriſſe; inde ad perſequendum interfectorem abjiſſe. Hac narratione omnes confuſi, nec non compreſſi paululùm, primùm in nos ora figebant, inde vertebant in ſe mutuo: neque ſatis apparebat, an id ſimpliciter eveniſſet; an ad noſtram quoque fraudem contexeretur: me novitium eſſe, neque adhuc expertæ fidei: præcipuè commovebat, alterum vinculis exolutum mecum unà familiariter verſari: contrà; equos non procul alligatos ſtare, in quibus fugere ſatius erat; neque Julium, neque ipſum Milonem obtruncatos; cùm utrumque eſſet in noſtrâ manu. Hac ancipiti ſuſpicione perplexi, me ultro enunciare jubent, unde hæc omnia acciderent. Sævìebat eò ferociùs Milo, qui nos omni culpâ im-

munes sciebat, sed clamoribus suis, & furore subito opprimi posse speraverat: neque illius importunitas tantùm obfuit defensioni nostræ, quantùm contrariam opinionem auxit, ex aliquâ rixâ incidente hanc inimicitiam contraxisse. Factâ dicendi potestate; hunc patrem esse meum contestor, neque prius animadversum, quàm ipse se mihi eo nomine obtulerat. De conflictu nostro cum Milone breviter mentionem adjeci: sociorum fato non interfuisse; ad vocem jacentis Julii metu, ac spiritu impedito deficientem, serò nimis approperavisse: neque nobis cum illo juvene communicata fuisse consilia; neque si fraus esset, illum cum duobus certare malle, quàm auxilia nostra opperiri: potiùs ex nimiâ suâ securitate, & audaciâ juvenes oppressos credere. Sub hæc, dux graviter ingemiscens, Abibitis, inquit, nobiscum in caveam, ubi de hac re diligentius anquiram: nunc primùm nobis ipsis cavendum est, ne a viatoribus, quos profligavimus, concitatis agrestibus intercepti simus. Quin cadavera a viâ dimoveri, atque abscondi, Julium, si vivat, deportari placet. Ubi ad eos regrederentur; Julius jam tum expiraverat. Cadavera ramis, frondibusque obtecta in foveam demittunt. Deinde conscensis equis ad latibulum unà contendimus. Antrum erat ex ingenti saxorum mole in medio nemoris extructum. Unicus eò ducebat aditus, per longissimæ convallis angustias, quam arbores utrinque decliviter imminentes consertis inter se brachiis, ipsoque umbrarum horrore fideliter occultabant, neque sinebant equorum vestigia ab oculis insequentium deprehendi. Ab antri latere, rima tenuis aliquam lucis usuram præbebat; eam verò tam exilem, ut ad conspectum in aprico positorum nihil afferret; nobis in speluncæ tenebris degen-

degentibus ſufficeret, & oſtentaret quæcunque foris obverſabantur. Hoc nobis notum erat refugium; unde excurſionis faciendæ occaſionem expectare, & confectâ, ſpolia devehere ſolitum: cæterùm poſt egregia edita latrocinia unde acrioris inſectationis metus ſit, ad urbes maximas, ut tutiſſima omnium latibula confugimus. Poſteaquam omnes ingreſſi, atque incluſi ſumus, dux ſarcinam in medium proferri jubet; ac primùm Milonem increpat, quod is contra jus faſque reſoluere auſus ſit, omnibus ad dividendum nondum conventis: ob id facilè conſentiebant, ipſe de ſuâ parte decederat. Intereà vulnus, quod pater in tumultu vix præſenſerat (nec quidem altè penetraverat, aut multum inde ſanguinis effluxerat) nullo præſenti medicamine adhibito, ſed longâ jactatione irritatum, angebat adeo, ut ipſe detegere atque inſpicere oraret. Equidem artis chirurgicæ non ſum ignarus, & latrones ad hunc uſum medicamenta circumferunt, nè aut vulnerum curam differre cogantur, quod plerumq; mortiferum eſt, aut, dum opem alienam petunt, in ſuſpicionem ſeſe conjiciant. Nudato brachio, ad lucem ſiſtens ſollicitè contemplor atque contrecto: tumefactum erat, & acriter inflammatum; neque dubiæ inerant veneni notæ. Quod ego conſpicatus, arti meæ diffidere cæpi, & hæſitans conſidero, quid facto opus ſit. Tum Milo qui a parte prædæ abalienatus erat, ad nos ſponte accedens. Non vulgaris, inquit, eſt hæc plaga, neque vulgaribus medicamentis ſananda: unico tantùm remedio cedit, quod ille, qui mihi hunc venenatum acinacem donavit, cum munere dato patefecit. Ego orare, atque obſecrare ſuppliciter, ut nobiſcum in gratiam redeat, & reconciliatæ amicitiæ hoc mihi præbeat pignus. Ille ſe noſtris infortu-

riis permotum simulans. Non ægrè tibi assentior, aiebat, quin ubi noveris, parùm proderit, adeò tristis, & periculosa curatio est. Doce modo, referebam, & quicquid intra potestatem situm est non detrectaturum senties. Ad hæc Milo. Bene ais: quòd si hoc itaque efficies, certissimum nobis argumentum dederis hunc esse revera parentem tuum, teque illius genuinum filium: eoque si placet, indicio hæc omnis quæstio dijudicabitur. Inter hæc verba reliqui quoq; latrones post partitionem factam conveniebant ad quæstionem de morte sociorum habendam. Tum Milo in quo statu patris salus esset aperuit, &, conditione recitatâ, ad eos retulit: cum ab omnibus acclamatum esset, ego, dic saltem, insistebam; vel ob id magis præstare malim. Milo tandem. Si venenum, quo telum intinctum fuit, atque exinde in vulnus emanavit, ore admoto exugere ausis; illud certissimè elicies, ac tu fortè salvus evadas. Ipse continuò lætus atque intrepidus hanc medendi rationem aggredior. At pater, audito, quantum subesset periculi, a se repulit: neque ullis argumentis adduci potuit, ut propter ipsius salutem meæ vitæ discrimen adirem: neque ullo jure teneri filium ad hujus officii præstationem: imò non posse excusari tanti facinoris temeritatem, aut a propriæ cædis reatu absolvi. Quin ego lachrymabundus instabam: Me vitam ab illo accepisse, & ipsum hoc quodcunque periculi a meo capite in se deflexisse: idcirco rem æquam bonamque fore, si hoc pacto in me reciperem. Ille obstinatè abnegabat istam perniciem quam divina providentia in se defixerat, ad alium quenquam, multò minùs ad filium devolvendam: neque fas esse suam vitam profundere ex cujusvis affectûs impetu, sed rationibus rite comparatis,

cùm

cùm publicè intererit, aut ad Dei gloriam pertineat: ac mors noſtra ad has intentiones quàm vita plus conferat; tum demum licebit illi qui in hæc pericula præ cæteris evocatus eſt, libenter & fortiter aggredi. Pater verò ex naturæ ordine vitam liberis tradit, quam ipſe mox depoſiturus eſt: ac propterea in ipſam peccat, qui præmaturâ filii ſuccreſcentis nece ſuam redimit ſenectutem. Stupebant ipſi latrones ad hanc mutuam moriendi contentionem: & reliqui ſanè omnes, quibus aliquis inerat humanitatis ſenſus, miſereri, ingemiſcere, ac penè illachrymari non ceſſabant. Solus Milo importunè exigebat conſtitutam veritatis probationem. Cui dux noſter: Certè ſi non illo ſe filium agendo comprobet, hic ſe patrem aſſerit recuſando. Hæc primùm dilabente calumniâ, & expectato parentis exitio, ab ulteriore animadverſione deſiſtunt. Dum ego cum patre altercarer de ſanando vulnere, aut ſaltem noſtrâ innocentiâ vindicandâ, ipſe novam medendi viam excogitavit; ſcilicet brachium a cubito, infra quod hæc peſtis adhuc perſederat, ſe mihi concedere amputandum: neque aberant nobis tela chirurgica quibus id perfici poſſet. Ego tanquam obſecuturus, potum opiatum exquiro, quo captos, quos occidere nolumus, ſomno obruere, eâque morâ interpoſitâ omnem inquiſitionem abſcindere ſolemus. Interea Milo quàm maximè vociferabatur, Jam patere fraudem, & ludificationem noſtram, quam veterator iſte tam bellè inſtruxit, ut & hujus vitæ & ſaluti ſuæ ſatis proſpiceret. Socii ſilentes, atque incerti, quæ dixerat, non adeò probabant. Ego perſiſtens in cæpto, patri potum in manus præbeo, atque in ceſpite ſedere, & ebibere adhortor; ne in brachio reſcindendo, ni-

miâ

miâ doloris vi perſtrictus, eluctaretur, mihique impedimento eſſet. Ille contrà, hoc modo me a propoſito facinore averſurum ratus, minimè recuſabat: Et videbis, inquit, non ex meæ ſalutis incuriâ, ſed tui cauſâ, a priori medelâ abhorruiſſe. Mox oculis in cœlum erectis, & preces quaſdam, ac ſi ab iſto ſopore non reviviſceret, ſecum mente concipiens, funditus hauriebat: & brevi, ſomno ſtratus, ſe in parietem ſupinum reclinabat. Ego expectans, donec ſatis ſopitus eſſet, ad id, quod dudum deſtinaveram, me accingo: ac prius os oleo diluens, labra vulneri affigo: ptimùm ſaniem, deinde ipſos venenatos ſpiritus, tanquam mel e favo, avidiſſimè exugo; & per ſalivam ex ore regerens, iterum, iterumq, repetere non dubito, donec cruor purus, & incorruptus ſequeretur: mox vulgata remedia adhibens, linteo vulnus involvo, ac circumligatum faſciâ brachium dimitto. Præter Milonem omnes admirati, plus ſatis apparere fatebantur, & eum eſſe verum patrem, meque filii officium adimpleviſſe: nec non fœlicem eventum tam egregii facinoris exoptabant. Tum Milo, id quod voluit conſecutus, geſtire & triumphare ſecum incæpit: Utcunque illi vindictam remitterent, ſe fraude pari noſtras artes & injurias retorſiſſe: &, fruſtra, dicebat, a morte, quam meruerunt, precibus revocatis; utrumque enim ex illo inſanabili veneficio periturum ſcio. Atque ut vindicta ingenioſa eſt ad ſatiandam libidinem ſuam, in me reſpiciens. Illo, inquit, ore, quo in me tot mendacia edidiſti, nunc imbibitur tua certiſſima pernicies: nec ſanè æquum fuit, aut talem a patre filium, aut a filio patrem disjungi. Omnes tam invictam animi improbitatem deteſtati, haud ſatis juſtam furoris cauſam ſummâ cum indignatione averſa-

averſabantur. Equidem irâ, atque dolore incenſus, parum abfui, quin abjectâ noſtræ ſalutis ſpe, in ipſum irruerem, & huic funeri tertium adjungerem. Neque credebam ſocios obſtituros, quo minùs cum eo manus conſererem; verùm adhuc mecum meditabar, num potius, dum liceret, abſcindendi brachii conſilium reſumerem. Interim omnia circumſpiciens, & conſtituens utcunque extrema experiri, nonnullam ſpem animo præcepi quod medicatio hactenus optimè proceſſerat; egoque arti meæ non diffiſus, id ex aſpectu præſenti cognoſcerem; ille tantùm ab aliis jactata referret, brachio quippe detecto, carnem bene lenitam, atque demulſam comperi, neque ipſe ullam graviorem in me veneni efficaciam ſenſi: quibus ſignis fatis confirmatus, creſcente ſpe metum ſuperabam. Dum hæc agimus, exiguum ſonitum (uti latrones habent leporinas aures) per rimam accipimus; mox & perſonam, & voluntatem vocantis agnoſcimus. Erat hic nuntius a cuſtode illius provinciæ præmiſſus, qui moneret ſe eſſe a quibuſdam quos eo die in fugam verteramus, ad nos indagandos excitum, & in hos ſaltus jam proximè adductum. Nimirum cum ipſo cuſtode hæc nobiſcum officiorum communicatio interceſſit, ob præmia, quæ ex omni prædâ deciſa, illi perſolvimus: adeoque intererat nos non minus quam ſervos, & villicos ſuos, ſalvos abire. Ad hæc nuntia omnes conterriti, antro fidere, haud tutum rebantur, ſed per aliam nemoris partem in urbem potiùs diverſos fugere. Nempe nuntius præmonſtraverat, per quas vias ipſe circumducturus erat eos qui perſequebantur. Poſtquam inter ipſos de ratione fugæ convenerat, colligunt ſarcinas, atque ab antro ſeparatim diſcedunt; meque jubent cum patre ibidem latitare,

ne

ne quid ex captis reſcitum eſſet. Ego ad omnia eventa intentus prope rimam me applico, atque hic audio Milonem, contra ſalutem ſuam, nobis uſquedum infenſum, priuſquam a nuntio decederet, ſuadentem, ut ad ipſum antrum ſatellites deduceret: inibi viatores quoſdam ſopitos relinqui, quos ille pro prædonibus, quærentibus objiceret: de quibus dum ambigerent, ſatis amplum fugiendi ſpatium prorogatum iri. Interea pater ſopore conſumpto cæpit ſe commovere; & vix dum reſolutis oculis dextram manum in alterum brachium injecit, quærenti ſimilis, an deperditum, necne ſit: quod ubi contrà adeſſe ſenſit, ac veneni ardorem, omnemque malignitatem recediſſe. Ut valemus, inquit, ô Alcime? Ego bono animo eſſe perſuadeo, a veneno nihil reſtare periculi, verùm aliud diſcrimen imminere: ſatellites publicos emitti, & latrocinium noſtrum inſectari; nos ſolos eſſe relictos, & per Milonis proditionem ad eos tradi. Quod ſi, inquam, proripere te potes, & itineris jactationem tolerare, nos quoque per ſylvarum latebras ex hoc loco prædamnato abibimus. Tum pater: id quidem tibi factu optimum cenſeo, ne teipſum prodas, & me quoque in noxæ ſuſpicionem pertrahas: at ego, qui nullâ hujus criminis contagione maculor, conſcientiæ fiduciâ, & divinâ erga innoxios gratiâ me ſatis munitum ſpero: ac dum illi de me dubitant, tu interea ſecurus effugias. Hæc non imprudenter admonentem tacitus agnoſco; neque libuit meam qualemcunque fortunam cum ipſius innocentiâ conjungere. Fortè inter reliquias aſpicio laceram meam pannuciam in angulo repoſitam, quam ipſe iſtuc priùs congeſſeram, cùm in latronum conſortium tranſirem: dum excutio, capillamentum

pillamentum quoque ex canis capillis concinnatum, quod a capite malas mentumque commodè adumbraret, cum perâ, & baculo propè conjectis, reperio. Tum, Si ita censes, alloquor, ego præsenti hujus larvæ beneficio contra omnia pericula armatus exibo: neque a te longè abscessurum scito, cumque dimisso denuò congressurum. Impositò capillitio, omniquè integumento adaptato, peram lateri accommodo, & baculo graviter incumbens ad mendicantis speciem coràm procedo ipso patre senilior visus. Omnibus rite comparatis, cum mutuâ valedictione ex antro digredior, & intriviis eventum operior: nec longè post equitum, peditumque magnam multitudinem sentio cum strepitu & clamore incondito me versus tendentem: ego contrà tardissimè obveniens, dorsi se procurvantis ruinam per baculum onerosè sustineo, gravi & fatiscente spiritu, ab his stipem miserabiliter efflagitans. Illi non stipem modò, sed & præmium minimè pœnitendum se daturos pollicentur, si latronum fugam indicarem. Tum ego, ut a patre periculum omne detraherem, me equites aliquot, quos ob festinationem, nullius boni sibi conscios suspicabar, illac, quâ eos potissimùm exituros haud dubius eram, dudum diffugere significabam; neque jam ultra mille passus procedere. Eò omnes concessuri videbantur, cum ecce subsequitur iste egregius noster internuntius, & clamore maximo sublato, ut latrones, si non longè satis abjissent, facillimè exaudire possent, prævenientes ad se revocat; & tanquam re deprehensâ aliorsum deflectere jubet, circaque proximam convallem circumfundi, ubi latentes opprimere possent. Custos, fraudis non inscius, idem imperat. Tum ad antrum retracti, alii strictis mucronibus invadunt,

vadunt, alii cum clavis, & agrestibus telis undique circumsistunt. Index, seu forticudinem suam ostensurus, primus insilit: continuò satellites, & alii plurimi se subjungunt. Hi patrem hunni sedentem cum ingenti tumultu obruunt, vinctumq; extrahunt in apricum. Hic omnes convocati sunt, si quis agnosceret, neque deerat, qui os ejus inspiciens esse ex ipsorum numero impudentissimè asseveraret: ad id satellites vulnus ostentant, ut manifestum recentis pugnæ vestigium. Alter quoque viatorum, quasi in mendacium priùs consuluissent, a se illud redonatum affirmat. Tum demùm de reliquo omni sodalitio interrogant; nisi detegat, eum pro omnibus luiturum: adeoque ferociter instant, ut vix ullam respondendi copiam facerent. Ille, uti res erat, breviter referebat, se esse peregrinum a latronibus in itinere eo die correptum, & ad hoc antrum ab iis delatum: ipsos circiter horam præteritam excessisse, neque se fugæ fecisse conscium. Interea quidam in sarcinam inciderat, eamque humeris exportans. Si quis, inquit, sibi vendicet hanc gravem sarcinam, & quid in eâ geratur, indicet: persolvat præconi præmium, deinde integram, intactamque recipiat. Cùm nemo repeteret, Custos ad se deferri jussit, suam enim ex lege fieri, nisi a domino intra legitimum tempus reposcatur. Pater ad eam respiciens, ad se quidem pertinere dicebat, vacuam verò & spoliatam a latronibus. Tum alter; & tu, quia verum indicium reddidisti, illam tibi habeto, respondit. Eâque excussâ, reliquias quasdam & purgamenta antri, quæ ipse congesserat, omnium cum risu effudit. Ob hæc pater non omninò vana dicere visus est: tum, quasi in re dubiâ, Custos iterum a viatoribus quærebat, an adhuc starc accusationi vellent. Illi frontè minùs constanti

ſtanti, ſe tamen in eâ perſeverare dicebant. Ego interea adventabam, hæc omnia annotans, ac pro ſpecie, ſtipem promiſſam uſque & uſque indeſinenter poſcebam: & ipſi ſe rectius feciſſe fatebantur, ſi meam indicationem prætuliſſent; atque ob id mihi nummulum objiciunt: nec non a cuſtode poſtulant, ut vel adhuc abeuntibus inſiſtat. Ille tempus jam eſſe præteritum, & noctem appetere cauſabatur: poſt ſe verò relicturum ſatellites, qui ſylvam undique perluſtrarent: nunc eum quem in manibus habebant, ad magiſtratum eſſe abducendum, per quem fortè ſeveriori examinatione de cæteris omnibus reſcire poſſent. Trepidabam ipſe vehementer ad hæc omnia, quæ contra ſpem hactenus acciderant, præcipuæ ob viatorum impudentiam, & manifeſtum mendacium: quippe intellexeram a conſortibus, unum quidem ſenili capillitio ſe intexiſſe, neminem verò ab iis vulneratum, neque viatores pugnam tentaviſſe: verùm, ſive aliquid e longinquo proſpexiſſent, ſive ultro metuentes ſuſpicarentur, evaginatis enſibus ad defenſionem ſe quidem compoſuiſſe; quod cùm noſtri pariter ex adverſo facerent, antequam ad manus ventum eſſet, in acerrimam fugam ſe conjeciſſe. Ambiguus itaque quò hæc fingendi audacia tenderet, aut quam fidem apud magiſtratum ſit habitura, ad urbem ſuccedere ſtatuo; eo animo, ut, ſi quod ominabar contingeret, per pateſactam denique veritatem innoxium patrem mei ipſius confeſſione purgarem. Protinus illi ut reum & præjudicatum magnâ cum turbâ ad prætorem Catanenſem abſtrahunt. Cùm ad urbem accederent, augeſcentis undique multitudinis convitiis & maledictis oneratum per medios rapiunt. Tum in domo prætoris ſiſtitur, cum acculatoribus utrinque collocatis. Illi ignotum &

peregri-

peregrinum multis criminationibus ac pluribus probris, se fruſtrà defendentem, & cuncta, quæ ſciret, pandentem, opprimunt. Prætor non omnino ſuſpicionis vacuum, ſed magis ut popularibus ſuis gratificaretur, juſſit in carcerem amandari, & proximo die in prætorium produci, ubi legittimæ accuſationi obnexius quale mereatur judicium ſubeat. Interim ingens vulgus hominum, qui ad omnem novitatem excitari ſolet, præ foribus confluxerat; jamque ad carcerem redactum magno tumultu & vociferatione obtundunt. Hic ipſe tandem ſuperveniens, indigniſſimâ rerum facie perturbor. Alii iniquiſſimè prædamnantes, pœnas quoque in ipſum ſtatuebant; alii ignari prorſus quid eſſet, clamorem tamen & turbam adjuvabant, & arctiſſimâ impreſſione ſtipantes inter ſe medium ferè proterebant. Furebant peſſimè omnium qui in latrones aliquando inciderant, renovato ſuæ calamitatis ſenſu; quin os avidiùs aſpectantes facilè ſibi perſuaſerant, eandem eſſe, a quo olim ipſi ſpoliati fuerant, ac eouſque provecti ſunt, ut nomen quoque cujuſdam exercitati & famoſiſſimi latronis imponerent: pauci, qui ſaniores videri volebant, ſeorſim a turbâ conſecuti, de re ipſâ, uti par erat, diſſerebant: ſuſpendendam eſſe cenſuram, donec judicium publicè peragatur: ac niſi horum modeſtia mihi meliorem ſpem præbuiſſet, in extremum furorem me abjeciſſem: ingemiſcebam tamen identidem, & dolorem in ſinu comprimens extra urbem concedere geſtio; ubi ſecuriùs agerem, & vitato hominum conſortio queſtuum impetum jam tum ægrè ſe reprimentium effunderem. Quis crederet ullam eſſe mendicantium rempublicam; imò neque Atticam, neque Laconicam, neque Romanam, aut quamvis aliam tam ſeveris legibus com-

compactam & constitutam; aut in qua pronior obedientia erga suos magistratus habeatur? Errant quidem, sed per statos circuitus: otiantur, sed in certo vivendi instituto, cui summam artem; atque operam impendunt: nihil possident, & tamen omni copiâ, & voluptatibus affluunt: verùm nullâ religionis conscientiâ, nullâ in rempublicam curâ aut charitate imbuti, neque divina vel humana jura reverentur, neque ullis honestioribus studiis, aut laboribus se dedunt. Horum mores intimè noveram, ut qui anteà cum iis consuevissem. Tandem hujus vitæ satietate captus, in qua nihil abesse querebar quod mens improba desideraret, inde ad latrocinium, ut magis generosum ac militare negotium me pridem contuleram. Nunc itaque resumpto habitu, dum mendicis circa urbem vagantibus occurro, omnes torvè intuebantur ignotum sibi ac alienum in suam messem contra jus fasque irrumpentem. Mox cæculus quidam me insecutus fidenter accedit: canem loro circa collum cum tintinnabulo pensili colligatum præire jubebat; ipse baculo prætentabat gressus: cúmque mihi tardiùs procedenti insisteret, ictum non fortuitum semel ac iterum tibiis vehementer impegit; & adjecto humerorum impulsu, si revera senex essem, ad terram detrusisset. Ego respicere, indignari, &, quid ageret, interrogare cœpi. Ille aliâ quàm vulgari linguâ, quam ipsi inter se comminiscuntur, ad aurem insusurrabat, ruri me continerem, se ex suâ possessione non injuriâ dimovere: tum apertè clamitans, cæcis esse cedendum dicebat: iterumque inter rixandum variato sermone, commonefecit, eum serâ nocte in suburbanâ popinâ adirem, ac deinde discessit. Ob hæc illum esse præfectum hujus municipii credebam, & proinde oportere

me, ſi ſalvus eſſe vellem, ſtato tempore convenire; aliter miniſtros ſuos in me immiſſurum, qui malè multarent; &, quod maximè horrebam, fraudes meas detegerent. Hæc mecum reputans noctu, ad eum locum, quem ipſe mihi indicaverat, progreſſus; in aditu domûs, cæculum iſtum, ſine cane, ſine baculo, aut ullius ductu, dum quis eſſem imperioſè exquireret, agnitâ voce, ſupervenientem offendi. Ego me eſſe ſenem mendicum ſubmiſsè renuntio. Tum ille: Adeone me cæcum putas, ut te eſſe ſenem credam? at qui auſis, inquit, ſine teſſerâ meâ in hac urbe mendicum agere? Cui ego: Agreſtis ſum, atque ob rem privatam hodie in urbem veni; neque intereà ſtipem ab ullo intra hanc provinciam exegiſſe, neque me exacturum ſpondeo. Benè ſe res habet, aiebat ille, hanc tibi veniam commorandi dono, modò nobiſcum hac nocte cænatus ſis. At ego ob negotia dimitti petebam. Abi, addebat, in malem rem: omnia indies deteriora fieri, & nunc ire retrorſum ſentio, cùm mendici negotia curant, & non vacant compotationibus. Noctem eam pervigil tranſegi, in occulto me abdens. Proximo die prætor ad cognoſcendum in prætorium venit. Pater ante ſubſellia producitur: & accuſatores ſubjuramento adacti teſtimonia deferre jubentur. Primus longam orditur narrationem de itinere & ipſo congreſſionis modo; ut fermè viginti latrones in eos irruerent; ut ipſe conſiſteret; ut pugnam meditaretur; donec tantâ multitudine conſpectâ, iniquam fore defenſionem cerneret: hujuſmodi autem veterani prædonis præ cæteris recordari. Alter eadem faſtidioſè repetebat: quin addebat ſe cum tali conſeruiſſe mucronem: atque in ipſâ velitatione (uti viſum eſt) vulnus inflixiſſe. Pater his auditis, oculis ad cœlum

provo-

provocabat: & cunctatus tantisper dum judex annueret, primùm quærebat ab accusatoribus, num unum tantùm an plures vulneraverint? Prior, se nullius vulneris conscium, respondebat: alter, neminem præterea à se percussum. Tum pater ad illo: Quo telo armatus id feceris? &, cæsimne? an punctim impressum erat? Ille se ensem oblongum, & mucronatum gestavisse narrabat; cæterùm nescire, quo more perculerit, in tanto metu atque periculo; credere verò potius perpunctim penetravisse. Ad hæc pater: Ita credo, istam trepidationem adeò confudisse mentem atque memoriam, ut nihil certi referre possis; sed quæ in medio discrimine timor animo objecerit, atq; affinxerit, pro veris accepisse: idque non verbis, sed inspectu & confessione omnium evincam. Tum chirurgum, qui ad vulneris curationem adhibitus erat, & jam in foro assidebat, enunciare rogabat, quali telo videretur impactum. Ille a prætore quoque interrogatus, incurvo acinace sauciatum dicebat; ac simul patrem adiens, involucra & medicamenta amovit, ut ab omnibus aspici posset. Tum quidem accusator dejectus, labare cepit, cum omnium oculos in se defixos, & universam multitudinem manifesto favore patri admurmurare sentiret. Sedato fremitu, & hinc facto ad fidem aditu, sic ipse pergebat. Jam ego, quæ vera, & certa sunt, ex meâ ipsius experientiâ vobis indicabo. Equidem, sum natione Judæus, & cum nobili nostræ gentis juvene, cujus tutela mihi a patre commissa est, in Italicam transfretaturus fui. Hanc insulam obiter, a navi expositi, quæ se Messanæ applicuit, per varia oppida hucusque lustravimus. Dum hæc, & sequentia, quæ acciderant, recitaret; ingens oritur a tergo clamor: ac omnis illuc dilabens con-

ventus penè nudavit prætorium. Satellites, qui a custode relicti erant, per rusticum, cujus canis sepulcrorum cadavera sagacitate narium consecutus, pedibus aperuerat, ad illa deducti sunt; jamque reversi asportabant secum impositа equis, quos haud procul palantes invenerant. Ora duorum cum picturis publicis comparata, & quorundam certæ cognitioni subjecta, satis prodebant latrones esse: alter erat vester servulus. Ea res tam opportunè incidens patri fidem adjecit. Fremebant omnes vera esse quæ diceret: & ipsi subitâ animorum inclinatione hesternam rabiem in maximam miserationem vertebant. Tum prætor cuncta perpendens, (tametsi peregrinum & inopem minùs respiceret) his claris argumentis undique conclusus, ita censuit. Cum in hac causâ nihil certi habeam, quod in utramvis partem statuere queam, sic dirimo. Reus ilicet ad Italiam avehatur, si prævaricatus sit, in exilium: sin minùs, ad res suas obeundas. Pater huic qualicunque judicio non refragratus, gratias humiliter egit: deinde liberiùs est habitus, ac me nummos suppeditante conductos exploratores ad te undique per vicinam oram inquirendum dimisit. Illi, seu revera nullam peregrini hominis mentionem assequerentur, seu devoratâ mercede segniùs agerent; alii nihil omnino, alii fictos & incertos rumores reportabant. Equidem per fenestram adibam nocturna cum patre colloquia, qui sententiam se minimè gravari dicebat, præter quòd te vagum & inopem desereret: mihi & negotii demandabat, ut quamdiu in Siciliâ manerem, ab investigando non desisterem: elapsus verò, Solymam repetens ullam sequiorem famam præcurrerem. Ipse postridie in Italiam transmittitur: at ego cùm me palam ostentare ac liberè quæritare non

aude-

auderem, nihil de te prorſus inaudivi. Tandem, mutatis ſæpius veſtibus, nautis me addixi, inter quos occultatus ex Siciliâ fugi, & nunc demum ad Solymam revertor. Poſtquam finem dicendi fecerat, ſic Joſephus incepit. Ego ſanè ut memoras, inquiens, poſt cædem editam, ad patrem quoque redimendum circumducto curſu, unde a tergo improviſus aggredere ſylvam traject: neque diu erat antequam in illum, quem nunc eſſe Milonem refers, ipſius tumultuatione adductus incurrerem, ſeque in pulvere verſantem, & ob vinculorum impatientiam omnia dira in vos evomentem ex propinquo præviderem. O ſocii, fremebat, ubi eſtis? captivus aufugit cum egregio ſuo cuſtode: ego victus vinctuſque deſtituor: ſi non injuriam ulciſci liceat, ſaltem a laqueo defendite, cui neque ſeipſum eripiendi, neque mortis conſciſcendæ relicta poteſtas eſt. Fortè aliqnem ſonitum hauſerat de adventu meo, & ex ſociis eſſe crediderat: at ego, qui inter arborum ſecreta ſubſtiteram, ut aptiſſimam pugnandi opportunitatem captarem, his cognitis, nihil potius duxi quàm patrem fugientem quamprimùm conſequi: quem etiam alterum abſteruiſſe, alterum vinculo compreſſiſſe non ſine admiratione fortitudinis credebam: neque equus ejus uſpiam apparuit: alium verò juxtà adhinnire ſenſi; is aut tuus erat, aut Milonis: quem ego fræno arreptum inſilui: et, quia latrones verſus Catanam conceſſerant, illum in contrarium objiſſe putabam. Equum recentem neque invalidum adeptus, reliquum ejus diei iter quemque obvium percunctando contrivi: cumque nullam de eo famam arriperem, ad ſylvam retrocedere viſum eſt, & vias omnes, villaſque circumjacentes perſcrutari. Dum hæſitans hæc mecum

meditor, ſubvenit quidem ruſticanus, & me circumſpectè intuens, quorſum tenderem, ſedulò interrogabat. Ego multa de latronibus conqueſtus me comitem ab iis quoque elapſum deſiderare reſpondi: atque ille ſe finxit vidiſſe talem in proximo pago ubi ipſe habitabat; eoque ſi vellem perducturum: cùm id mihi gratiſſimum fore ſubjicerem, nihil cunctatus præmonſtravit viam, & ad domum ſuam benignè attulit. Ubi inſiſterem me viſere velle, an iſte de quo retulit, ſit comes meus, ſervis accitis, frænum manu corripuit: &, ſi libet inſectari atque inſpicere, dicebat, id pedibus facere debes: hic enim equus eſt meus quem ſolus repetere a tali viro, qualem te narras, non auſus ſum. Nunc aſſero, & te deſcendere ſuadeo, niſi malis deturbari. Equidem fraude detectâ ſuccenſere cæpi. Cùm autem ſubiret, meum non eſſe, & ab illo furripi poſſe, ſedatâ mente, ſic alloquebar. Si hæc in primo occurſu edidiſſes, neque tu mihi injuriam faceres, neque ego tibi facturus eſſem: nunc a propoſito me abduxti, & equo detracto proſequendi quoque facultatem adimis. Fateor quidem & proprium equum fuiſſe amiſſum, & hunc invicem a latrone præreptum: neque, ſi tuum eſſe conſtiterit, retenturum. Tum ille: Servi omnes hoc poſſunt teſtari, & furto eſſe ſubductum jam diu ſuſpicati ſunt: quod ſi denegaſſes, ſuſpicione ſceleris implicitus haud ita evaderes: nunc equo tradito, quia nihil mihi præterea tecum eſt, abire potes, et tuas res agere. Servi non ſine minis & contumeliis idem omnes acclamabant. Ego deſcendens, pedes abeo: &, quia jam ſerum erat, in eadem pago eâ nocte permaneo. Poſtea verò huc illuc curſitans, de vobis reſcivi, patrem in Italiam eſſe avectum; quo tempore verſus

Panor-

Panormum aberrans, inops, atq; incertus consilii, illuc priùs contendere instituì: fieri posse, ut in urbe amplissimâ rem facilius compararem; unde vel Italiam, vel patriam repeterem. Tibi verò quicquid in me patratum est injuriæ, libenter condono, & ob patrem servatum non parum gratulor. Quin adhuc videndum est, ut per veram pœnitentiam tot flagitiorum labem abluas & Dei veniam perfectè exores. Hæc verba Alcimus cum maximâ gratitudine excepit, & jubente Jacobo in ipsius familiâ permansit.

NOVÆ SOLYMÆ

Liber Secundus.

OBlectaverat oculos hospitum, ad feneſtram consistentium, horti subjacentis amœnitas; quem exinde frequenter adibant & corpora adhuc ex itinere torpentia subdiali ambulatione recreabant. Janua minor a posticâ parte domûs se discludit in porticum: hic considere interdum & æstivare solent; alterâ parte, quæ ad hortum spectat, per liberos atque apertos fornices patefactâ; ex alterâ verò cælata erat in pariete effigies grandævi senis, clivum cum puero ascendentis. Ipse cultrum, ac vivam facem manibus præferebat; puer strue lignorum onustus. Restabant ad ima montium asini

inſtrati, & frænis in cervicem rejectis, gramen carpere permiſſi. Haud longe aberat famulorum par oculos ad faſtigium ſublevantium : neque ipſi minùs quàm vivi ſpectatores in imaginem inhiare videbantur. Hujus ſculpturæ ſenſum indicabant carmina vacuâ in parte ſignata ; & Abrahamum ſecum loquentem prodebant, dum montem Moriæ aſcenderet immolaturus filium.

Jam me morantem tertius necat dies :
Paratus adſum : montis adverſi jugum
Pronus, volenſque pedibus invitis petam.
Servos reliqui, filium mecum ferens,
Linquam revertens : ecce jam buſtum ſuis
Humeris anhelans portat, & ſervit neci,
Quin ipſe ferrum genitor ac facem gerens,
Fiam peremptor : quodq; vix licet loqui,
Natum paterna dextra mactabit Deo.
Natum immerentem, puberem, pulchrum, pium ;
Sine fratre natum, matris & ſobolem ſuæ ;
Natum abſque nato ; funus heu noſtræ domûs
Impleret orbem cujus æternum genus :
Ut æthra cœtu fœta ſydereo micat,
Arena ſiccum ſpargit ut frequens ſolum.
Heu mille nati, mille noſtri millies
Ictu nepotes unico cæſi cadent.
Paterne tantum ſolus abſolvet nefas ?
Spectare quod non cæteros coràm decet,
Nec ferre poſſunt : ſinerè non ſatis mihi ;
Sed nec jubere ; dextra ni ſe carnifex
Suo cruore maculet, & pluſquam ſuo.
Mactandus ergo eſt ? pœna non alia placet ?
Sternendus aris ? illigandus vinculis ?

Jugulu m

Jugulum ſecandum eſt ? & cruenta viſcera
His diſtrahenda manibus (heu nefas !) meis ?
Nihil & relinqui fas erit : triſti rogo
Ipſum cadaver, ipſe perdendus cinis.
Deo placere poſſe tam ſævum ſcelus,
Et velle factum, credat, aut mater dolens,
Aut hoſtis actis ſemper inſidians meis ?
Quin ipſe credi vereor : autorem pium
Ne damnet audax, ore non falſo fremens
Populus, nec æquo. Quippe cauſandi malis
Sublimis ipſa veritas anſam creat :
Lippos ut oculos nimius offendit dies.
Neu gens profana diſcat exemplo meo
Diis immolare filios crudelibus ;
Idemque jure non eodem perpetret.
O triſte ſacrum ! trux & immanis fides,
Seſeque juſſis implicans contrariis !
Deumne credam crimen hoc tantum mihi
Nunc imperare, lege quod ſtabili vetat ?
Hinc qui daturus eſt ſalutem gentibus,
Sacrumque ſemen. Facinus immenſum paro,
Totuſque noſtrâ concidet mundus manu.
At imperavit ; ipſe ſum teſtis mihi,
Haud fallit animus, ſcire quem facit Deus.
Nec ipſe velle quicquid eſt malum poteſt :
Nec eſſe, quod vult : juris autorem ſequor.
Sed nec poteſtas clauſa limitibus minor
Inventa verbis : quicquid hic ſpondet, datum eſt :
Factum qnod optat : nempe qui cadaveris
Situ creavit filium noſtri ſatum,
Idem reducet vel ſibi ſuperſtitem :
Ut ſurget olim tota gens mortalium,
Tumulo renata, funeris proles ſui.

Sic

Sic eſſe certum eſt : haud quibus certum modis :
Fidens faceſſam quod meum eſt ; partes ſuas
Ipſi relinquam : credit, & paret mihi
Lethum ferenti natus, exemplum patri,
Moremque præſtans, deditus neci ſuæ.
Operi ſupremam ferre tam prono manum
Nihil recuſo : lætor & tali fidem
Dono probari. Levia nec cœlum decent.
Quin & beati muneris ſignum ſubeſt
Et pignus ingens. Filium ut mactato meum,
Sic ipſe nobis filium mactat Deus.

Hinc in hortum progrediuntur ; qui per certa intervalla gradatim inclinatus fallebat nimiam declivitatem ; & cum montis ſublimitate campeſtrem quoque planitiem variabat. Ædes nobiliorum civium, qui in hoc vico frequenter habitant, paria habent hortorum ſpatia inter ſe hinc uſque ad mœnia urbis contiguè jacentia. Hortus erat arboribus, quas illa fert tellus, exquiſitiſſimis circumſitus ; quæ alibi proſpectum eripiebant ex oculis ; ut in mediâ ruris viredine poſitus videretur : necnon alibi ſatis amplo cœli ſpatio admiſſus aer ſolo ad ſummam fertilitatem excitato benignitatem ætheris indulgebat. Hinc inde multicolores floſculi, per vireta diſpoſiti, & brevioribus ſeptis muniti, quaſi tot ſertis coronabant humum. Multa quoque inerant naturæ miracula, non ob pretioſam vanitâtem conquiſita, ſed ad inſpiciendam ipſius indolem. Telluris quippe culturam, ut ſaluberrimam corporis refectionem præcipue amant exercentque. Ad dextrum lævumq; horti latus Patrum Vatumque & Regum imagines fornicatis in ſedibus per parietes eminebant. Dum has jam forte curioſius luſtra-

luſtrarent, ſtatuam obiter advertunt, fæminea facie, depolitiſſimo marmore exculptam. Joſephus admonuit hanc eſſe effigiem beatæ virginis, in urbe ædificandâ defoſſam ex ruderibus vetuſtæ parietis, terrâ herbidâ coopertis: quam propter antiquitatem operis, & inſcriprionis pietatem, jam tum illis temporibus notabilem, demoliri noluerant; ſed deterſo pulvere ad priſtinum nitorem revocaverant. Ex his dictis uterque magis accenſi oculos ad legendum erigebant: tandem in ſcabello, cui inſiſtebat, hoc carmen, quod geniculantibus occurreret, inciſum reperiunt.

Beata quondam mater heu Niobe fui,
Suiſque divas æmulabar dotibus:
Jam ſacra veri numinis fio parens.
At te, tuaſque deprecor vanas preces,
O Chriſtiane! ne colas, quod Ethnici
Pro ſcelere tali marmor hoc factum ferunt.

Hanc ſatis diu contemplatos, Joſephus in medium reducebat. Rupes ingens prominiebat, non incurioſâ negligentiâ extructa, ſed quæ diſſimili ſpecie ſqualoris ſui tot tantiſque elegantiis undique prænitentibus plus decoris & gratiæ adjungeret. Herbis erat & fruticibus marinis, quos tellus parturire diſcit, conchiſque ab arte confictis, circùm ſupraque conſperſa. Per quatuor oſtia ad auras patentia, omnique vento pervia, in ſpecum deſcenditur: reſpondent hæc totidem ambulacris, arenâ decolori conſtratis, & ad extremos uſque parietes a quolibet exitu perducentibus: tectum interius cæmento mirabili glaciatum ſtiriis quoque in longum decurrentibus guttiſque

jam

jam jam cadentibus diſtillare, nec tantùm ex qualitate materiæ, ſed & ipſâ ſpecie refrigerare videbatur. Jam in ſpecu compoſiti omnia immodicis laudibus efferebant. Ad quos Joſephus: Quam ergo omnium rerum, quas hic hortus exhibet, cenſetis veſtrâ notatione digniſſimam? Politianus, hanc ipſum ſpecum: Quin ego illam antiquam imaginem, ſubjecit Eugenius. Et ego, inquit Joſephus, hanc ſemiquadrantariam aviculam (paſſer tum fortè ramo juxta conſederat) utriſque præfero. Illis mirantibus, & quærentibus cauſam, cur ita diceret; ſic deinde proceſſit. Indignè quidem & nimis iniquè cum Deo agimus, qui opera hominum ſummâ laude proſequimur; interim res ipſas, & immenſam creatoris virtutem in iis facilè conſpicuam, neſcio quo more deſpicari ſolemus. Omnis poſteritas vaccam Myronis, Architæ columbam, Archimedis ſphæram, magnâ cum admiratione recepit: vivum vigentemque vaccam vel columbam, & ipſius cœleſtis orbis nitidiſſimam faciem, vix adeo agnoſcimus: quòd ſi rem rectè expenderemus, pateret, ea ſingula, & quæcunque alia, humana ingenia edere ſolent, aut poſſunt, Dei opificiis longiſſimè decedere. Plurima iſtiuſmodi nullis uſibus inſerviunt: qualia nunc ſuprà memoravi: cùm bovinum genus nobis maximo ſit adjumento, columba menſam augeat, cœlorum, ſyderumque globi, nos & noſtra omnia amabili ſuo fulgore, illuſtrent, alant, foveantque. Quæ verò aliquam utilitatem afferre videntur, neque eam ſanè magnam; nec, qnantacunque ſit, totam per ſe præſtant. Natura quicquid eſt neceſsarium propriâ manu abſolvit: cætera nobis pro ſua cujuſque libidine adjicienda permittit. Ab illa vivimus, ſentimus, augeſcimus: illa potum, ac cibum, ſibi ſaltem ſufficientem,

tem, miniſtrat. Ars humana quædam corollaria ſubjungit: neque aliunde quàm ab ipſâ deſumit. Quid enim, obſecro, facere poteſt aut coquus, aut medicus, aut ipſe chymicus, niſi per confectionem, vel extractionem, rerum, virtutumque naturalium? Illud autem quod artis proprium eſt, quodque in illâ plurimùm admiramur, ſi quis penitùs excutiat, exiguum eſſe, & leviſſimum deprehendet. Summa ſcilicet, & ſpectatiſſima artificia, reperta potiùs, quam inventa dicenda ſunt: quorum in numero literarum impreſſionem, & pyxidem nauticam præ cæteris pono. Magnetem ferrum, ſue virtute imbutum, ad Septentrionem ſiſtere, eſt inter arcana naturæ præcipuum: eos verò qui hoc indice Septentrionem agnoſcerent, cæteras cæli plagas tamdiu ignoraviſſe, neque ad tantos uſus potuiſſe deflectere, ferè non minùs admirandum. Ceram annulo, eoque fortè literato ſignatum, aut piceato ferro notatas pecudes, quis unquam ſtupuit? quis laudare dignatus eſt? atqui hæc a prælo tam parum abſunt, quam ipſius primum experimentum ab hodiernâ diſtat perfectione: atque adeò illud ingens ſcientiarum inſtrumentum, vix artis nomine ſit celebrandum, ſed potiùs fælicitati cujuſdam ſubitæ agnitionis, animo fortè incidentis, & in uſum prolatæ, tribuendum. Neque ea quorum cauſæ, & compoſitiones a primo intuitu ſeponuntur, ſunt ideò diverſæ originis. Ille qui equam aſinem admittentem viderat, unde muli naſcerentur, didicit: innumera monſtra Nilus, & Africa pariunt: atque hujuſmodi ſunt artium fætus, a communi genere naturæ detorti. Ipſe qui vim nitrati pulveris primus deprehendit, in eum caſu magis quàm ſtudio deductus eſt: annon etiam ignei humidique vapores, in nubibus fortè complicati

cati, in fulgura erumpunt, magis terribili coruscatione, omnique ictu bombardico saeviori. At nos caeci vanique mortales, istarum rerum repertores, qui tantùm digito commonstraverunt, divinis laudibus attollimus; ut antiqui Bacchum, Cereremque: ipsum Deum creatorem ab omni honore, ac penè sensu, & cogitatione secludimus. Hic objecit Politianus: Artes humanas ob id magis admiramur, quia naturæ quiddam superaddere videntur: cùmque mens nostra sit ipsius præcipua pars, rationis opera istis inferioribus rebus non injuriâ præcellere censemus. Non meum est, aiebat Josephus, artem cum naturâ committere; hoc unicè laboro, & peto, ne artificia hominum, ut plurimi solent, maximis pretiis æstimata, supra modum efferamus. Neque sum adeo ingratus in Deum, ut dotes nostras nihili faciam: veruntamen, ut ars est natura hominum, ita natura quoque est artis Dei: & quantumvis nos præferamus cæteris animantibus, haud idcirco omnia nostra effecta ipsis eorum naturis, quæ divina sunt opificia, præstare dixerim. Quis enim sanæ mentis bestiam viventem non anteponat omnibus picturis, & imaginibus? quæ regia ædificia cum hoc ornatissimo, instructissimoque mundi palatio conferre dignemur? quam imaginem formosissimæ Veneris cum unico ictu vivæ pulchritudinis? Quin ut ad primum sermonem redeam, ostentare vos velim, quid aut hæc rupes, aut ista effigies habeat cum hac triviali aviculâ comparandum? Cogitate, quàm mirificè ab ovo prodiit, ut e rudi vitelli massâ seipsam in artus & ossa effinxerit; ut dimenso albuminis cibo se in statum tempus aluerit: ut vitam in carcere acceperit, vel ab auræ libertate secluso; ut deinde pertuderit tenello rostro putamen tum sponte emollitum

litum. Advertite vim & efficaciam istius pusilli spiritus, qui motum sensumque in tam exigui corporis structurâ exercet, supraque solis ingentem lampadem multis gradibus attollit. Neque incuriosis oculis pertranseamus aptissimam pennarum seriem, aut decentissimos colores, aut ipsum alarum remigium, quo nunc in cœlum avolavit. Ac utinam non nimium distingueremus inter artem atque naturam; neque mens nostra hanc in rerum ipsarum ordinem, illam in se totam referret; sed utramque potiùs converteret in argumenta divinæ bonitatis, a quo unico fonte promanant: tum ut rectè judicateque agere velimus, & quicquid in se pulchrius præstantiusque est, sive a nobis, sive in aliis editum majori in pretio ponamus. Quin, adhuc urgebat Eugenius, ut amico vacillanti succurreret, res naturales ideo minùs, suspicimus, quoniam hunc orbem tam pulchrè tamque magnificè conditum ab infinita potestate optimi maximique autoris procedere par est: quòd si homo, qui longè inferior est, quippiam simile contulerit, id meritò mirum videatur, pro ingenii modulo æstimantibus: ut a puero dictum factumve solertius magis oblectat, atque percellit animum, quàm egregiæ virtutis opera, quæ ab adultis eduntur. Hic Josephus. Bene est, inquit; exinde confessum habeo naturam per se artibus omnibus quàm longè præcedere: tum facilè consecuturam ostendam, ut altiorem contemplationem ac laudem mereatur: uti & illa puerilis præcocitas, etsi mentem subitâ micatione percutiat, nequaquam tamen adeò antecellit, ut illud, quod revera majus altiusque sit, non esse dicatur: neque quisquam est, qui non magis seriis laudibus commemorat ea quæ a Cyro in pace & bello

gesta

gesta sunt, quàm istam qualemcunque indolem, quæ in puero enituit, ac spem fecit altiorum virtutum jam inde crescentium. Atque hoc idem est, quod tantoperè annitor, & volo, ut unamquemque rem in debito gradu dignitatis suæ, nostræque existimationis constituamus: ne dum humanis artibus tam intenti sumus, illam divinam virtutem, quam naturam vocamus, suis maximis honoribus fraudemus, ac nos ipsos tantâ tamque assiduâ voluptate, quam ex his rebus percipere licet; ut qui earum tam mirabili varietate constructam compaginem nobis tanquam in theatro subjectam tantum externis sensibus percurrimus; neque in illis diutiùs penitiusque considerandis animorum aciem defigimus. Ego quidem, cùm cœli, solique immensum orbem (qui est omnium figurarum capacissimus) undique circumspicio; nullumque in eo angulum suis opibus non refertum; neque omnium earum rerum ullam inutilem, aut supervacuam reperio; cùm terrarum immane pondus illâ ipsâ gravitate se mutuò sustinentium, & vastissimas saxorum moles, columnarum instar, suffulcientium; ac metallorum venas, tanquam in thesauris suis clanculum reconditas: dum solum intueor herbarum gratissimè virentium integumento constratum, & irrequietum mare intra suos fines, nescio quo fræno, quibusve repagulis, undiquaque conclusum; nec non statos & recipricos æstus ad omnia littora se allidentes; recentiumque lympharum fontes, veluti tot aquæductus, per domum terrarum circumfusos: tum aerem tenuissimum ac penè inanem densiora quæque ultro admittentem, & in relicta elementorum spatia ubique sedulò succedentem: ac ventorum variam alternationem ab omni littore impellentem: ignem quoque,

velut

velut improbum prædonem, ſilice, & ſolidis corporibus, ſeu carcere conſtrictum; aut in extimam regionem relegatum: ipſamque ætheream plagam, ſyderumque motum, ac materiam non deficientem, & innoxiam benignitatem flammarum cœleſtium: liteſque & inimicitias elementorum mutuis fœderibus conciliatas: atque univerſum animantium genus in tot tribus familiaſque diſcretum, ſuiſque certis ditionibus ſegregatum: dum hæc inquam omnia ſtudioſè contemplor me tot miraculis circumſeſſum ſentio, & humana artificia ut manca & mutila, ipſaſque artes ut inertes faſtidio. Orbis utique, qui menſurâ, pondere, & ordine conſtat, omnium artium exemplaria atque faſtigia in ſe continet. Tum Eugenius: utcunque hæc vera ſint, & tu tuis eruditis oculis, ac lumine præſtantioris ingenii, naturæ faciem, ipſumque genium ac ſenſum perſpicias: hebeſcit tamen vulgaris acies ad quotidianum aſpectum externarum rerum, quæ ad omnem novitatis ſpeciem ſeipſam erigere & renovare ſolet: tum quia hæc tacito & conſtanti ordine ſine ullâ oſtentatione a ſeipſis producuntur, mentis noſtræ intuitum aut fallunt, aut minùs ferſunt. Sanè rem tenes, reſpondet Joſephus, quippe prima repræſentatio novarum rerum ſubito quodam & recenti ſenſu animum vellere & refricare videtur: intimæ verò profundæque ſapientiæ fontem mens vaga exhaurire non ſuſtinet: atque in hunc finem (quod hìc iterum moneo) totus noſter incumbit ſermo, ut, puerili vanitate abjectâ, vibremus mentis radios, ac omnia virili judicio penſitata ad veritatis menſuram exigamus: certè (quicquid nos opinemur) non modò monſtra & prodigia, ipſa quoque miracula, cùm ſint naturæ deviantis, aut etiam ſibi adverſantis effe-

cta, longè inferiora sunt justis operibus, in quibus summa vis & perfectio prælucet; quæque constanter & sine strepitu, facili quodam nutu, & cursu nunquam aberrante, producit, ex intimis ipsorum principiis, iisque arcanis seminibus, in quæ ægrius mens nostra descendit; cùm omnia intus peragantur; neque conficiantur fabrilibus instrumentis, ferrumine, pigmento, ponderibus, & hujusmodi artium claudicantium sustentaculis. Quod si ea quæ in oculis versantur, ut vulgaria aspernemur, pergamus ultrà, & exploremus altioris naturæ recessus; herbarum fruticumque efficaces succos, occultas gemmarum syderumque potestates; tum animarum originem virtutemque: hæc qui exquirere, complectique valet, jucundissimo suæ scientiæ pabulo perfrnetur; qui minùs, ipsâ admiratione tam inscrutabilis prudentiæ ferè non minùs oblectabitur. Habet enim hoc ingens naturæ palatium, quæ imbecillimam aciem latere nequeant; alia tam alta atque recondita, ut sagacissimum fugiant inspectorem, & in ulteriorem sui indagationem pertrahant. Neque Poetæ unquam suaviùs canunt, quàm cùm in justâ descriptione naturæ, pulcherrimas rerum imagines, quas vulgus hominum vix animadvertit, genuinâ simplicitate fœliciter explicant. Scilicet humana mens, quæ ad hæc studia nata est, hanc lucem agnoscit, atque amplectitur; cùm alieno negotio profertur in medium: latentem per se eruere, aut propter altitudinem nequit, aut ob ipsum laborem refugit. In hac contemplatione naturæ omnes antiqui Philosophi se jucundissimè exercuerunt. Hinc Solomonem regem, hinc ipsum Davidem patrem egregiæ pietatis argumenta hausisse perspicuum est neque minima ipsius Adami fœlicitas in his meditationibus vertebatur,

dum

dum inſpiceret ortus & ingenia rerum, & diverſiſſimas animalium naturas conſentaneis nominibus interpretaretur. Quin ipſe immenſus atq; æternus opifex, poſtquam totius orbis ſtructuram abſolverat, in ejus conſummatione lætari viſus eſt, & ſatiato ſimilis acquievit. Hic Politianus. Viſne ergo nos omnes fieri Philoſophos, Chymicoſve; & in his ſtudiis vitam terere. At Joſephus. Imo vero tales Chymicos, qui exinde divinæ virtutis ſenſum extrahant; et tales Philoſophos, qui in iſtis vulgaribus ſupra vulgus rebus ſapiant. Ut vero gulæ dediti referunt omnium deliciarum ſenſum ad voluptatem & libidinem ſuam; hebeſcunt ad bonitatem Dei, quam in his potiſſimùm deguſtare debuerant: ita quoque Philoſophi contemplandi ſtudium in ipſâ cupiditate ſciendi, aut nominis famâ terminabant; neque ad Dei laudes celebrandas tantis argumentis freti tendebant. Iſte autem præcipuus eſt hujus ſcientiæ fructus, ut per hæc rerum creatarum veſtigia ad autoris cognitionem perveniamus. Eâ occaſione, injecit Politianus. Vehementer aveo hanc veritatem a te expreſſam excuſſamque accipere. Audiamus ergo, ſi placet, quibus præcipuè rationibus evincis, hunc orbem, omniaque in illo ſubſiſtentia, non eſſe fati vel genii alicujus, ex ſeipſo orientis, affectiones, ſed ipſius Dei creaturam. Huic Joſephus. Rem magnam ſanè a me expetis, & quæ maximo nobis ſit uſui: vix enim cogitari poteſt quàm parum quiſquam mortalium credat Deum eſſe ullum, & ſe ubique coram offerre: Et jam ipſe in hunc ſermonem illapſurus erat, cùm Sol occidens omnes radiorum reliquias colligeret, ac aer undique obtenebreſceret, quem etiã incocti telluris halitus ſpirantibus graviſſimum reddebant:

hæc

hæc sentiens se statim corripuit; & potiùs polliceba-
cur cras illius postulationi satisfacturum. Bene mane
cum Josephus nondum adiret, juvenes in illius cubi-
culum transeunt. Hic ipsum non inveniunt; verum
tabula ante lectum appensa diu spectantes detinuit.
Primo visu facile agnoscebant: adeo vivis coloribus
& lineamentis ipsum exemplar repræsentabat, eamque
speciem quam in suis animis intus servabant. Nempe
erat ipsius sororis sacrâ vite confidentis, qualem pri-
mo adventu conspexerant, umbra aut spectrum potius
quam pictura: atque, ut imagines solent, iterum in
utrumque respicere visa est. Illi avide intuebantur;
neq; jam laudibus abstinebant, quas ipsi virgini indul-
gentes, in artificem liberiùs fundebant. Huc postea
sæpe ventitabant; & hanc quasi divinam imaginem
amatorio cultu venerantes, vel absentis vanissimâ spe-
cie conceptos affectus nutriebant. Nunc tandem di-
motis oculis Eugenius in fenestrâ speculum advertit
his versiculis inscriptum.

Qui faciem pulchram speculo meditaris in isto
Heu fragili vitro sis memor esse parem.

Dum ille in legendo persistit, Politianus in proxi-
mum conclave discedens Josephum in musæo sensit in-
clusum. Qui inter matutinas meditationes, divinæ be-
nignitatis sensu & prioris fortunæ mutatione elatus,
exultantis animi impetus in hæc carmina effudit.

O Sacrum Solymæ jugum!
Urbs ô nobilium regia civium!
Te fœlix pietas, & bona cœlitum
Cantu gaudia recreant perenni.
Sanctorum pater optimus

Præsenti

Præsenti facie lucidus incolit:
Et proles miseris addita gentibus
Exornat gemino nitore templum.

O cœli jubar aureum!
Mortales superas corpore regio,
Et divos volucres numine patrio:
Nil æquum tibi surgit aut secundum.

Vultus profer amabiles;
Et te da proprio lumine conspici:
Ut surgens roseo sydere Phosphorus.
Aut flammæ vigor aureus diurnæ.

Tu nostri generis memor,
Et terras oculis desuper intuens,
Fraternis humilem tollis amoribus,
Et dulci rapis impetu furentem.

Ergo nos patriâ domo
Vivemas superûm secla potentium.
Præportis potiùs janitor exoubem,
Quam regnare velim beatus exul.

Postquã hic gravi suspirio, ceu periodo, carmen clausisset: Politianus multum miratus, unde hæc tam vehemens animi cõmotio, & cantandi libido incesseret; tum quis sensus ambigui carminis; quæ verborum interpretatio. Ad hæc illa pluſquam sororiæ voluntatis confessio, & ipsius in cubiculo imago, mentem adeò sollicitabant, ut a turpissimâ suspicione ferè non abstineret. Quin Josephum erumpentem adortus, ac frontem explicans, se quæsitã ejus congressionẽ gratulari dicebat, cum jucundissimi pariter utilissimiq; sermonis nulla unquam satietas caperet. Hic Josephus: Ergo, inquit, istã dissertationem, quam de operibus Dei dudum inceepi,

cepi, ad ipſius naturam producam: atq;eſt hæc noſtra conſuetudo, in colloquiis rem certam ſtatuere, de quâ juſtè & copioſè ſermocinandum ſit; ne per innatam animi vanitatem, & inane ſtudium varietatis, a fructu rectæ perpetuæque intentionis multiplici curſu diſtrahamur. Deinde cum utriſq,congrediens, turriculam in ipſâ domus crepidine poſitã aſcendebat, unde montes circumjectos,ac magnã terrarum molem,cœliq;ingentes ambitus, & oblata r..rum variarum ſpecimina undiq;contemplantibus, de autoris majeſtate & virtutibus infinitis auguſtius evidentiuſq;cogitandum eſſet. Tum Joſephus rem illico aggreſſus,ſic exordiebatur. In principio Deus creavit cœlum & terram. Hæc divina ſententia tum ſummam autoritatem,tum certiſſimam probationem præ ſe fert: Cœlum eſſe ac terram videmus,ſentimus,agnoſcimus. Hoc eſto fundamentum totius argumenti,quod neq;convelli poteſt, neq;concuti: hæc cum ita ſint; ex vi rationis non minus conſtabit ominum rerum,quæ ſub his nominibus contrahuntur, fixum aliquod & determinatum fuiſſe principium: ſi initium habuerint; tum creari ex nihilo: ſi ex nihilo creatæ ſint;tum deniq; per divinam virtutem, & omnipotentiam infiniti creatoris: Nunc propoſitum ordine exequemur. Primo ſciendum eſt, omnia ſive terreſtria corpora, ſive cœleſtia, finitis ſuis limitibus, quantitate ſcilicet & tempore, extendi, menſurari, & circumſcribi. Quantitas orbem quam maximè diductum undiquaque metitur: quinimo cogita eum millies ampliorem quàm reipſa ſit adhuc tamen neceſſe eſt menſuræ ſubjici, ac eſſe, unde incipias, & ubi deſinas: per quod enim res quæque extenditur, per idem terminatur; idque ſi in medio diſcindas, aperrè ſenties, tum enim illud, quod copula prius fuit,

fuit, discedit in terminos: atque etiam circulus ipse, qualis est figura totius mundi, finitæ magnitudinis est, fit enim alius alio productior; ac licet finem cum principio confundat, tamen is qui circularem lineam ducit, & qui ejus mensuram capit, a quâ parte ordiatur, & in quâ sistat, ubique reperit: adeoque minimè expers est istorum terminorum, ut potiùs totus sit principium & totus finis. Neque non animæ suo more definiuntur, cùm intra hujus mundi ambitum, & quidem in certo ejus spatio versentur. Ex his patet tempus quoque, cùm ex partibus constet; alterâ alteri succedentibus, & ipsum, & has terras, cælique volumina, quorum durationem perpetuò designat, statæ esse ac limitatæ diuturnitatis. Scilicet numerus utrisq; inservit, & utriusq; dimensionem prodit: nam ut duodecim digiti pedem, quinq; pedes passum, mille passus milliarium constituunt; sic horæ viginti quatuor diem, trecenti sexaginta sex plùs minùs dies annum, centum anni seculum, & tot secula quotcunq; præcedere consentiamus, universum mundi ævum complectuntur: posito itaq; quàm longævus orbis sit, ad eam horam in quâ primùm emersit quivis Arithmeticâ mediocriter exercitatus facilè retroducet. Neq; tempus, quod cum primâ rerum origine connatum est, a Sole pendet, qui huic posteà in locum horologii successit. Tametsi ergo certa mundi nativitas lateat, aliquando tamen incepisse, uti & quotidie persistere, ex clarissimis rationibus apparet. Nemo certè minùs demens negaverit, a seculo jam proximè elapso centum annos intercedere, ac proinde mundum nunc esse centum annis seniorem; quod dici non posset, si nulla ejus fuisset origo: ætas enim cujusq; a natali censenda est: id verò quod semper fuit, ita omnem munerum exuperat,

ut ne minimùm quidem augeri queat; quod eſt vel cogitatu abſurdiſſimum: cùm certum ſit eum cum partibus creſcentibus excreſcere, neque ab illis ſeparari poſſe. Quocirca niſi agnoſcatis initium, idem agitis, ac ſi unitatem e numero tolleretis, ſine quâ nullus poteſt proceſſus fieri; aut ſi in abyſſo ædificaretis, cui quicquid ſuperſtructum eſt perditur. Quin ut hanc firmiſſimam rationem quaſi præ oculis conſtituamus: cedò naturam quamdiu extiterit homines & cætera animantium genera continenter edidiſſe: annon filius unus eſt? pater alter? avus tertius? & ſic deinceps quotquot ſinguli ſunt, numerum tamen excedere nequeunt, quem quiſque ſecum profert, & cujus ſummam univerſi conficiunt: mittamus adhuc alium poſt alium Methuſalem vivendo ſuperaviſſe, mox a ſingulis eorum ætatibus ipſa mundi ætas æſtimabitur. Addam denique neque fingi ſeriò poſſe nec mente concipi hanc præteriti temporis æternitatem: quod ſi quiſquam experiatur, nunquam tamen ſe tam ſenem ſimulet, ut non certum aliquod ſui ævi ſpatium vel invitus ponat. Eugenius hæc omnia graviſſimè perpendens, ſic adjecit. Valdè probabilia ſunt quæ diſſeris, cùm res ſingulas, tum univerſum orbem, menſurâ, tempore, numero, ceu totè cancellis, eſſe concluſum: inficiari tamen non poſſumus æternitatem temporis, & animarum noſtrarum extra ullam mortalitatem ſe prorogantium: quamvis enim hæc moles rerum, cujus partes ſimul conſtant, neque eſſe poteſt infinita, neque, quod æquè fateor, cogitari: attamen tempus, quod perpetuo fluxu labitur, & per breviſſima momenta exiſtit, fluere potuit ab æterno, uti & in æternum fluet. Hic Joſephus: Jam fortè labi de cauſâ videor; quod ſi hunc quoq;

ſcru-

ſcrupulum ex animo evellam, deinde rectus certuſq; perſiſtam: audi itaque quæ profero. Tempus, ut vulgò dicimus, aut præteritum eſt, aut præſens, aut futurum: quod præceſſit, quodq; nunc adeſt, communem rerum naturam ſubit, & per eoſdem limites definitur: quod futurum eſt, nondum eſt; ſed cùm fuerit, in eandem quoque conditionem ſuccedet. Ex his adhuc ſecurus aſſero, mundum neque fuiſſe, neq: ſecundum hujus naturæ legem, ab æterno fieri potuiſſe: potuit centum centies annorum centurias prodiiſſe e nihilo ante illud principium quod nunc ſortitus eſt, non tamen omni caruiſſe principio. Sic anima noſtra perpetuò vivet, nunquam tamen conſequetur illam quam fingit æternitatem: cùm enim mille myriadas ſeculorum conſumpſerit, iſta omnis ætas, quantacunque præteriit, non minùs numero coæquabitur, quàm hoc breve ſpatiũ mortalitatis: neq; obſtat quod uſq; & uſque extra omnem finem prolata, & perennitate quadam donata fuerit; quatenus enim unumquodque eſt, reapte finitum eſt, quod eſſe poſſit, ſpe infinitum eſt: ſicut in numero primum aſſignare neceſſe eſt, ultimum impoſſibile: neq; ſi hoc vaſtum & immane mundi corpus indies augeſceret, materiam ſuam in ſpatia minus finita extraheret. Et jam ſatis dictum arbitror de primâ parte: neque magis dubitandum eſſe de origine mundi, quàm de illius præſenti facie, quæ nunc ſe ad oculos objicit, cujus curſum tẽpus producit, idẽq; terminat. Dehinc ad alia tranſeamus. Eugenius his facilè aſſentiebat, neq; quid huic argumento opponi queat ſe poſſe ſuſpicari dicebat. Tum ille: Si hoc verum eſt atq; perſpicuum, ipſius temporis, & omnium rerum quæ tempori ſubjacent primum aliquod fuiſſe initium tum proximè ſequitur, aut potiùs idem ſonat, illam quamcunq;

cunque inceptionem nihil anteceſſiſſe; ſi nihil præceſſerit, tum e nihilo educi atque creari: neque ſi concedamus illam mundi æternitatem, idcircò diffitendum erit a nihilo fuiſſe creatum; cùm nihil præterea ſit, unde creari potuiſſet: neceſſe eſt itaque eſſe ultimum omnium rerum parentem, qui a ſe primùm oritur atque movetur: tum quicunq; is ſit, Deus erit; ad quem unum & ſeipſum & omnia alia referre debemus. Utrumque enim infinitæ virturis argumentum eſt, vel in certo temporis articulo, vel ab immenſæ æternitatis abyſſo aliquid ex nihilo procreare: & poſterius quidem priori tantò majus altiuſq; quantò æterni operis confectio majorem potentiam indicat, quàm brevis & limitati. Nunc itaq; probes, addebat Politianus, res a ſeipſis non eſſe productas, ſed ab illo infinito numine, quem Deum vocamus. Cui Joſephus. Ergo rebus ipſis, ſi ita videtur, infinitam ac planè divinam poteſtatem imputa: quin ut diſtinctiùs agam, teipſum conſulere volo, & contemplari paululùm naturam tuam; in qua notabis duo diverſarum actionum genera, alias cum ingenio atque judicio confectas, alias autem non minoris artis & prudentiæ intra te editas, quarum neque cauſam neq; modum operandi, neq; uſum perfectè attendis. Quis ſe talem chymicum jactet, ut qui ventrem ſuam & viſcera doceat, cibum concoquere, utiles ſuccos in ſpiritum ſanguinemq; & ſubſtantiam digerere, partes noxias, & rejectamenta excernere? aut quam laudem inde ſibi acceſſuram ſperat? annon infans & fatuus eadem faciunt? Imò ipſe quo magis animus huic ſtudio incumbit, ſpiritibus alio avocatis, eo minùs fœliciter conficiet. Quæ mater poteſt induci, ut credat a ſe fingi fœtum in matrice ſua? Cur non itaque

que marem pro fœminâ, formoſum pro deformi parturit? aut ſaltem prædicit, qualis futurus ſit priuſquam in lucem exeat? At quis hujuſmodi opera naturæ extra ſe imitari audeat? hominem fortè ligneum voces aliquot articulatè proferentem multâ arte atq; induſtriâ compegerit, vivum atq; videntem, cæteraque humanitatis munera obeuntem exhibere non poterit. Cùm hæc meditor atque perſentio, cum vate noſtro coactus exclamo.

O quam mirifico atque horrendo more creatum
Me recolo! magnis pollet tua dextera factis
O Pater! atq; in ſe mens conſcia percipit ipſâ
Non mea te latuit tenebris circumſita moles:
Nempe uteri quamvis infernâ ſede repoſtum
Finxiſti, clarâ veluti ſub luce pateret,
Corpus, & egregiæ decus admirabile formæ.
Utque rudi tabulâ, juſtis mea membra figuris
Dimenſus, certo creſcentem tempore fœtum
Deniq; vitales fudiſti in luminis oras.

A nobis ad cætera animalia deſcendamus, quibus aliquis ſenſus & cognitio ineſt: hirundinem nidum tam ſolerter fabricare, vulpem tam inſidioſè prædam capere, & ne ipſa præda ſit, ſibi cavere, cum ſtudio & perceptione factum arbitramur, atque humanæ artis umbram appellamus: huic verò ovum, illi fœtum in utero formari, non magis miramur, quàm ipſa ſatorum ſemina e brutæ telluris ſinu in herbas conſurgere: pariter omnia quæ vitâ carent, ſine ullâ notitiâ aut advertentiâ in ſuos motus actuſque feruntur. Jam illud quæro, quis ſit hic opifex, qui prudens ſcienſque tam egregiæ artis & intelligentiæ ſpecimina

cimina in rebus ipſis inſcientibus producit? certè, cùm nemo noſtrûm ſibi arroget, hoc eſt, menti & rationi ſuæ, his inferioribus rebus dedignabitur affingere. Anne univerſus orbis Mathematicæ ſtudet, qui & ſeipſum & omnia ſua membra in tam pulchras & perfectas figuras conjecerit? anne inſtructæ cœlorum acies ordinem & diſciplinam norunt? tum qua prece tellus ſyderum indulgentiam impetrat? aut quando illud fœdus cum Oceano ictum eſt, ne hic fines ſuos tranſiliat? an flores venuſtate gaudent, qui tam gratis coloribns ſeſe induunt, tam delicatis odoribus perfundunt? aut ſentientibus placere cupiunt? an fructus annui eo ſenſu recreſcunt, ut ab animantibns depaſcantur? aut denique omnia ſe ita componunt ut inſerviant humano generi, cujus cauſâ ſunt condita? unde hæc prudenria? hoc conſilium, & reſpublica, mundi? Sanè quiſquis affirmat ant hæc artis effecta in iſtis rebus non apparere, aut eas ullam hujus conſcientiam habere. æquè ſuæ rationi refragatur. Quid ergo ſupereſt, quàm ut ad illum primum ſummumq, creatorem revertamur. qui hæc omnia e nihilo finxit & ex ſuo ingenio moderatur? Quidam cùm figuras Mathematicas in arenâ deſcriptas offenderat, his quaſi veſtigiis inductus, homines illic habitare proclamabat: neque ſunt hæc minora artificia, neq; minori artifici tribuenda. Poſt hæc dicta, Joſephus, tanquam victor & compos, ſe parumper compreſſit: cùm Politanus iterum ſic incitabat. Atqui videtur adhuc eſſe aliquam rerum ipſarum naturam in miſturâ & temperie latentem, unde hæc omnia oriuntur. Id verò nego, atque pernego, reſpondebat Joſephus. Si nempe naturam, ut externam cauſam effectricem opponas, idem eſt ac ſi diceres Architecturam

domum

domum condere, aut Oeconomiam regere familiam. cùm ſint artes & facultates humanæ, per quas mens ipſa præſtat hæc opera : ſimiliter natura eſt ars divina, per quam Deus mundum extruit, extructumque gubernat. Sin per naturam, concurſum & ſeriem principiorum rebus ipſis inſitorum & impreſſorum intelligas ; tum illum qui indidit proculdubio agnoſcis : aut illuc recidis, unde elabi quæris: ubi enim hæc, quam prædicas, natura ſuam ſcientiam & ſolertiam oſtentat ? quæ ars ? quæ ratio ſubeſt in gleba ? in ſemine ? aut in ipſâ ſyderum pulcherrimâ facie ! Domum affabrè contignatum, aut automatum per ſe circumactum, hæc artis indicia ab artifice traxiſſe obvium eſt, neque ſibi induxiſſe. Cur ergo quiſquam in hoc naturæ vocabulo tam perplexè hæreat, cùm in omnibus aliis opificiis autorum ingenia clariſſimè perſpiciat ? quibus tamen ob opifice deſtitutis hæc natura latenter inſervit; & in ipſâ, Dei præſentis vis & providentia perpetuò relucet : ſine quo neq; primitús conſtitui potuit, neq; deinde per ſe conſiſtere. Quod ſi conſentiamus hanc eſſe ipſum potentiſſimum & prudentiſſimum ſpiritum qui eſt autor & motor omnium, ad ejuſdem divinitatis confeſſionem retrahimur : & profectò hæc veritas ſe tam latè & univerſe diffundit, ut quacunque parte evadere quæramus; ad eandem deniq; ſententiam aliâ viâ contrudamur. Hic iterum Politianus: At forſan hæc caſu, aut ex vi æternæ neceſſitatis, neq; tantúm aut alio regente, aut conſilio ſuo evenire potuerunt : nempe ut principio omnia in hanc molem coirent, ac deniq; in perfectiorem modum paulatim excreſcerent, donec in hanc tantam, quam nunc adepta ſunt, pulchritudinem ſe tandem attollerent. Cui ſubridens :

Eugenius

Eugenius. Nunc naturâ divinæ virtuti, nunc fatum objicis providentiæ: ſub hoc enim nomine & fortuna & neceſſitas conjungi ſolent; cùm tamen longiſſimè inter ſe diſtent: nam quæ contra ordinem accidunt, ea non ſuccedunt neceſſariò, quæ conſtanti curſu circumferuntur, excludunt fortunam. Atq; tanta eſt hujus opinionis vanitas, ut Joſephi operâ vix digna videatur, quin meipſum facile explicaturum credam: Res eſſe tantum ex eo quod contingunt, aut ſunt neceſſariæ, nova, & fœminea Philoſophia eſt: cum omnes naturæ ſtudioſi fateantur eam eſſe per ſuarum cauſarum ſeriem catenatim diſpoſitam, & quas ipſi diſpicere nequeunt, agnoſcant tamen illi ſubeſſe. Hæ verò nihil operantur, neque ſunt cauſæ aut principia rerum; ſed ab ipſis reſiliunt: cùm flamma domum comburit, id caſu fieri dixeris, hoc eſt, præter intentionem humanam; per ſe certè, & ordinatè provenit: ignis foco poſitus lignum & carbones neceſſariò abſumit: quia ipſe habet vim cauſticam, & materia eſt uſtibilis: nec quæ a ſui generis normâ aberrant, extra ipſius naturæ rationem accidunt: monſtra qnotidie naſcuntur, ſed plerumq; ex indebitâ temperie aut proportione ſeminis, aut ob alios quoſdam defectus, quibus partus neceſſariò competit. Multa caſu deteruntur indies, ſi quid rectius accidat, pro miraculo ubiq; audit: & neceſſitas cum varietate pugnat, cui natura maximè favet; ut nec os ori, nec corpus corpori, in eodem genere perfectè reſpondeat. Sed nolo diutius velitari circa hanc profligatam opinionem, hoc unico argumento, ſeu potiùs experimento nunc utar. Libertas arbitrii noſtri ſe ſupra has omnes naturales contingentias & conſtrictiones attollit, ſoli Dei providentiæ, & ejus auſpiciis atque impulſibus ſubjacet:

an

an etiam domus casu erigitur? statua fingitur? poemata conduntur? nosne ipsi non possumus interturbare cursus, & ordines rerum? integra earum genera e medio tollere? nostrumque novissimè delere? Ubi nunc tantæ necessitatis autoritas? ubi istorum vinculorum nodi? aut inferioris naturæ invincibilis compulsio? certè qui hanc illi tyrannidem defert, libertatis [illegible] non satis meminit, neque se hominem esse intelligit. Politianus, ubi puderet hujus commenti, aliud attulit, ut illi videbatur, vero propius. Cum inquit, nos in eas anguſtias conjeceris, unde abire non licet sine confessione supremi conditoris, qui etiam rex mundi sit; cur tamen asserere metuamus, universum rerum corpus, cujus pars extima, & perpetua cœlum est, tellus verò & circa eum omnia, velut uterus, qui hæc digerit, corrumpit, generat, a mente sibi propriâ constitui & gubernari. At Josephus: Monstra jam fingis, & poeticum Atlantem. In quocunq; autem principio sistis, ad aliquam imaginem divinitatis recurris: cui cùm hoc proximum & simillimum sit, atque in confinio veritatis positum, nolo ulterius refellendo immorari, sed potiùs ex hoc crepusculo ad claram lucem, & solem producere. Si enim hæc tam sapiens & efficax anima sit causa suæ essentiæ, & creatrix mundi, qualis esse debet atque oportet, cùm finito corpore componi non potest: quia ipsa est infinitæ virtutis, quippe quæ terminos infinitè distantes jungit, atque conciliat: hæc autem infinita vis est verissimum divinæ perfectionis indicium: tum quod infinitum est, unum est, & recusat æmulum, qui si ullus esset, etiamsi quam minimus, alterum excluderet, aut saltem finiret. Ergo Deus etiam æternus est, & ubique præsens, nullis finibus loci vel temporis impeditus:

peditus: quis enim poteſt ſibi imponere ut credat illud quod a ſeipſo eſt, & tui cætera omnia ſeſe debent, in aliquo conſtituto momento aut ſpatio prodiiſſe? cur ergo non alibi? cur non antea conſurrexerit? quæ mora? quid obſtaculi, aut impedimenti intercederet? quòd ſi ob hæc minùs potuerit, quomodo ſeriùs, contractiuſve ſe tandem emiſerit? quos parentes? unde nutrimentum aut ulla ſubſidia expectaret? Inde cùm ejus natura tam immenſa ſit, & incomprehenſibilis, par eſt virtutes illas quas exerit eſſe æquales, & ultimos noſtros conceptus excedere. Sub hæc Politianus. Nos quidem argumentis & rationibus obtundis, & cùm expedire difficile ſit, ceu tot laqueis implicitos tenes: quaſi verò quæ tu profers cum naturæ legibus magis conveniant: quid enim a ratione longiùs abhorret? quid ſecùm evidentiùs pugnat? quid ſenſus ipſe ſenſibiliùs refutat, quàm aliquid ex nihilo elici poſſe, aut ulla vi extorqueri?, quocirca ab his refugis ad illud ineffabile numen, quod neque oculi cernunt, neque ſermo explicat, neque ulla hominum credulitas concipit. Hæc dicentem Joſephus ſeverè intuens, mox clarâ voce vehementiùs inſurgit. Tu quidem diſrumpis laqueos, quos enodare non potes; & cùm luce obruaris, in tenebras mavis recedere: falleris verò plurimùm, qui aut rationem noſtram ad nullam divinitatis cognitionem aſſurgere credis, aut, ut totam conſequatur, expectas. Ut qui proſpiciunt in immenſum pelagus, partem ſub aſpectu poſitam, alter altero, pro vi & acumine luminum, longiùs diſertiùſque intuetur: qui autem perſpicaciſſimus eſt, neque in profunditatem deſcendere poteſt, neque ad extremam oram oculos trajicere; ſed cùm plurima videat, plura quoque videt ſe non videre:

dere: ita nos ratio condocefacit, mundum, qui temporis mensuram subit, ab eo inchoari, & terminari: ratio monstrat, quod aliquando inceperit, nihil antea fuisse; ratio probat, aliquid e nihilo exprimi non posse, nisi per infinitam potestatem: eadem denique ratio fateri cogit, id quod infinitum est, a finitâ intelligentia non posse pernosci; neque sunt hæc vana figmenta, aut probabiles conjecturæ; sed lucidæ atque sinceræ veritates, quas mens nostra volens scienſque complectitur. Nimirum mundus est verissimum Idolum, seu imago divinitatis; non quidem ut pictura est similis illi qui pingitur, sed uti est repræsentatio quædam ipsius pictoris: conformiúsque indicat hujus artem & ingenium, quàm illius vultum. Ad hanc autem cognitionem his modis ascenditur: primùm ut Deo tribuamus quæ sunt Dei, & quæ mundi mundo: nempe cùm mundus sit mediæ sortis inter Deum & nullitatem, cùmque nullitas sit principium omnis imperfectionis, ad quam ipsa vergit atque reclinat, Deus verò autor essentiæ, ac bonitatis; in hac mundi consideratione abstrahere debemus quoscunque defectus, & ex purissimo flore rerum captare aliquam divinitatis speciem; tum quæ ad numinis naturam eo modo accedunt immensitate suâ convestire. Sicutienim res creatæ creatorem ostentant, ita creationis infinitum opus ipsius quoque infinitatem arguit. Cùm igitur infima quæque pars mundi sit atque existat, cumque hæc sit ejus prima, & communis perfectio, conditoris sui essentiam probat: quod enim non est, nihil agit, nedum aliis essentiam impertit: tum hæc essentia, quatenus vera & bona est, ad Dei essentiam quodammodo assurgit: vanitas autem & dependentia, & limitatio, & compositio, & mutabi-

sitas sunt a seipsâ, quas si a Deo detrahas, & perfectissimam suam naturam ipsi restituas, scias ejus esse primam, & universam, & omnibus modis consummatam essentiam; a quo nostra infinitè decedit, imò magis quàm ab ipsâ nullitate: nempe Deus nos e nihilo creat, at non potest e nobis creare alteram deitatem: neque sanè nunc infinitus esset, si nos aliquid essemus, eo more, quo ipse est, in quo vivimus, movemus, existimus, tanquam tot atomi in solis radio, qui inde umbratilem quandam subsistentiam motumque mutari videntur: vel potius ut phantasmata & simulachra rerum, quæ in mente nostrâ finguntur, unde dicimur Dei poemata; quippe qui dixit verbum, & omnia facta sint. Deinde quia infinitus est, cui nihil adjici, nihil subtrahi, nihil variari, aut immutari potest, sequitur ut semper & ubique perfectus sit, & propterea semper & ubique totus, constans, & immobilis; & qui undique immensitatis suæ & æternitatis centro fruatur. Neque est aliud quod potest extra ultimum cœli orbem consistere; cùm non ista firmissima mundi mœnia omnia constantiùs claudant, atque coerceant, quàm hæc quæ proximè succedit fovea, & abyssus, & inscrutabile chaos; hæc, inquam, mera inanitas, a qua omnis natura abhorret, & seipsam potius sponte disrumpit, quàm suis rebus interesse permiserit: tum quis degere, aut durare potuit, ante primum mundi exordium, in istâ temporis absentiâ, quam ne mens quidem assequi valet: necesse est autem illud quod infinitum est hanc vastam & immanem vacuitatem loci ac temporis perimplere, neque minùs extra hujus mundi spatium quam in illo versari. Pariter liquet Deum, potentiam, vitam, intelligentiam, libertatem, justitiam, bonitatem, & quascunque alias vir-

virtutes noſtras infinito ſuo more poſſidere: neque ipſi tantummodò aſſignare debemus, quicquid eſt in nobis pulchrum, & eximium; verùm etiam; ſi quid melius majuſve ſentire aut comminiſci poſſumus: ab eo enim hoc quoque accipimus, ut id animus noſter intelligat: tum etiam credibile eſt eum alia decora, & ornamenta in ſeipſo poſſidere, quorum neque hic orbis ullam ſpeciem exhibet, neque mens noſtra aliqua imaginatione, vel conjecturâ attingit: ſiquidem inficiari non licet illum edere poſſe plures mundos, novam rerum naturam, ſeu potiùs quiddam adeò a nobis diverſum, ut nullo vocabulo, nulla ſimilitudine deſignari queat. Denique ſicut Deus ipſe infinitus & rivalem & ſocium excludit. Ita quicquid in Deo eſt, cùm ſit infinitum, pari ratione eſſe unum oportet, & pro noſtrâ ſolummodò conceptione diſtingui, in ſe verò unico eodemq; nomine deitatis, ſeu perfectiſſimæ perfectionis abſolvi. Quod enim ex partibus conſtat nunquam poteſt ad infinitudinem excreſcere. Ex his omnibus argumentis Ideam aliquam Divinitatis delineatam & adumbratã habemus, quam ipſe a nobis, ut pro noſtræ mentis modulo, in æquam partem accipere dignatur; at immenſa ejus eminentia, & gloria, neque ad noſtræ rationis menſuram exigi, neque ab eâ deprehendi poteſt: quod nos ſemper fateri oportet, & per eam ſaltem confeſſionem ſarcire hanc omnem imperfectionem. Dum hæc diceret, ingenti metu, & ſtupore perculſus eſt, & ceu vaſto gurgite circumactus; ac ſi quiddam altius, immaniuſque mente proſequeretur, quàm quod effari, & explicari poſſet: interea in animæ ſuæ penetralia ſeductus, paruper ſiſtebat vehementi mole contemplationis oppreſſus, & nimio lumine divinitatis attonitus. Poſtquam ſe

colligeret, & jam ad ipsos iterum respiceret. Eugenius sic usque perstabat. Cum Deus talis & tantus sit, minime mirari nequeo, cur non se prodat atque exhibeat; cur non omnia in debitâ perfectione conservet; neque seipsum vendicet, asseratque ab ignorantiâ, & injuriis hominum. Huic Josephus, caput breviter quassans; Heu nimis imbellia sunt, inquit, hæc tela, quàm, ut veritatem, quam nacti sumus, quamque possidemus, expugnent atque eripiant e manibus: neque difficulter retundi possunt. Equidem sanè demiror magis æternum & infinitum numen a finitâ mente ullo more modove sentiri: potestne quis in animum inducere, qua vi, qua arte, quibus magicis incantamentis aliquid e nihilo excitari queat? Tum si sensibus nostris ostentare se vellet, certè histrionem agere, & cadaverosam corporis speciem induere opus sit: atqui hæc crassa & hebes materia cum illius puritate & activitate non congruit; neque sic quidem ipsum contemplaremur; sed quiddam dispar, & dissimilimum: & quanquam nemo possit illam infinitatem ex æquo speculari, qua solus secum perfruitur, & in cujus perpetuâ possessione immensam beatitudinem concipit; ac ne Angeli quidem perfectè intueantur, quin & his stultitiam, & vanitatem imputet; habet tamen animus noster vel in hoc statu eam conscientiam Deitatis ab ipsâ naturâ sibi inditam; quam, qui maximè obdurierit, haud prorsus excutere potest: neque est ulla natio, ulla societas, aut familia hominum, in qua non aliquam religionis speciem, aut mentionem reperias: atque hæc ab omni antiquitate recepta, & per totum orbem ubique diffusa, nihil aliud est, quàm ipsius naturæ vox, & indubitata confessio. Providentia autem & patientia Dei, cùm ex aliis rationibus

tionibus pendeant, alium ſermonem ſeorſim exigunt. Subinde Politianus: Nos eam occaſionem avide expectabimus: etſi enim hujus veritatis ſummam ſemper tenuerim, eam tamen omnibus numeris abſolutam perfectamque hucuſq; deſideravi. Hanc tuam, referebat Joſephus, laudo proboque ingenuitatem: quod omnia de quibus dubitatum eſſet, in medium adduxti, minimoſque ſcrupulos amoveri voluiſti ab hac primâ ſummâque veritate, intra quam omnes aliæ conſiſtunt: atque ob id lætor & gaudeo, ſi per hanc noſtram diſſertationem ullam vobis lucem attulerim: meipſum ſanè magis, magiſque confirmo; & ab hujus orbis anguſtiis in divinitatis libertatem exeo: ubi his ampliſſimis contemplationibus mentem augeo, atq; illuſtro, & inſatiabile deſiderium ſatio: inq; ipſo deitatis fonte mergor & circumfundor: teque video ac veneror, immenſe Deus, plaudoque tibi ob ineffabilem tuam excellentiam, & gloriam; & per hanc beatiſſimam viſionem in partem fœlicitatis venio, tuique numinis immenſitate ad extremam animæ capacitatem perfruor. Tua me præſentia ubique circumſtat, tua virtus undiquaque refulget. Agnoſcere me quidem & admirari cogis hoc ingens tuum opificium, cujus neque partes ſingulas numerare, neque univerſam extenſionem metiri, neque intimam ejus naturam perſpicere poſſum: cùm tamen ad te confero, figmenta eſſe, & ſomnia, & umbras intelligo: cùmque quod tuum eſt, ab illis abſtraho, & tibi reddo, in extremâ nuditate deſtituo: quicquid itaque ſumus, quoad te nihil ſumus, ſine quo in noſtram nullitatem recidimus. Tu unus es, & in te unicè recumbit animus meus, neque aliud aut poſtulat, aut videt, ad quod divertat: tu ſimpliciſſimus, a cujus bonitate,

vel libertatem, vel juſtitiam ſecernere nequeo: neq; in te quicquam præter te deſidero. Tu ſolus invariabilis in perpetuâ ſecuritate degis, eamque tibi fidentibus præſtas: cœtera omnia, ut volubiles fluctus, aut infidæ ſyrtes, inſiſtentem agitant atque abſorbent; vel, ut nubila fallunt, fugiuntque: aliud ſeculum decedit, accedit aliud, tu perpetuam poſſides æternitatem, retumque vices regis, ac renovas: nos in ſinu voluntatis tuæ ab æterno latitavimus, unde præſtituto tempore naſcimur, vivimus, interimus. Tu neque reſpicis, neque proſpicis, ſed tanquum totus ſis oculus omnia ſemper ſub aſpectu contines, cùm omnia intra teipſum peragas. Tua puriſſima poteſtas non patitur neque læditur a maleficiis noſtris, nullis defectibus evacuatur, nullo molimine illi reſiſtitur: nos ceu tela in manu vibras, eamque virtutem obtinemus, quam tu imprimis; ſi te ſubtrahis, invalidi, proniq; ad terram decidimus. In infimis quibuſq; operibus tuæ ſapientiæ monumenta conſtituis: quantum ratio explorare valet, omnia cum ratione conſieri videt; quæque in occulto latent, ut profundioris prudentiæ conſilia, & arcana imperii mirari par eſt. Tu ſpiritus ipſos tractas, atque gubernas: tu mentis obſequio venerandus, cujus acie conſpiciendum te præbes, & in ejus amplexum demittis. Tu lex, tu exemplar, tu judex omnium: tu fons & oceanus bonitatis, qui omnes exples, & uſque ſuperfluis. De te omnia ſumma, optimaque prædicanda ſunt; neque quicquam ultra veritatem exigis, neque nos quod juſtum eſt tribuere poſſumus. Ignoſce, quæſo, quòd de tantâ majeſtate tuâ minùs dignè & magnificè eloquar, et teipſum mihi divinitus inſpira, ut te tuo lumine quodammodo videam, tuâque charitate complectar. Hæc extatico more

more correptus, cum ingenti vehementiâ, & efficaciâ, disseruit: & cùm nondum sibi satisfaceret illud Angelis officium mandavit, in hæc carmina repentè prosiliens.

O pubes superûm beata divûm!
Quos nunquam maculat scelesta labes,
Nec cœli patrio limine dejicit,
Aut sacris animos dotibus exuit;
Vos ô sydereum genus!
Lætis pergite cantibus
Summo plaudere regi.

At nos heu scelerum pudore victi,
Et tot molibus obruti malorum,
Nunc tantum gemitus fundere possumus,
Et desiderio carpimur æmulo,
Dum nos cœlicolûm choris
Regni municipes sui
Victor prævius addat.

Quin & vos, domini jubente nutu,
Arcem linquitis ætheris supremi,
Et terras humiles sponte revisitis:
Aut tum tartareis prælia manibus,
Nullâ pace, lacessitis:
Nec nobis vigiles piget
Deservire ministros.

Ergo nos alacres, suprema quando
Hoc mandat ducis optimi voluntas:
Duremus positi pulvere in arido
Belli ferre moras, & juvet hostibus
Forti pectore congredi:

Dum mox emeritum caput
Cingat laurea victrix.

Eo ceſſante, ſic adjecit Eugenius. Equidem mihi videor non hominem in hac vitâ mortali, ſed aut Adamum in paradiſo, aut Sanctorum aliquem in cœleſti aulâ audire de divinitate loquentem, ipſumque familiariter intuentem aſpicere. Cui Joſephus. Faxit ipſe, ut hæc omnia, non ſicut in ſcholis, ſciendi ſtudio, ſed cum illis tanquam in templo Dei, ad ipſius numinis laudes & veram obedientiam referamus. Ad hæc dicta omnes annuebant, & capita ſuppliciter inclinabant. Deinde dimiſſo ſermone conſeſſum ſolvunt, & ad inferiorem domum deſcendunt. Poſtea utriſque juvenum in mentem venit ad parentes reſcribere, & per manus mercatorum literas in Britanniam tranſmittere. His paratis: ad id Joſephus eduxit in forum. Ubi inter privatas ædes publicum patebat mercatorium, quadrangularis formæ, niſi quod longitudo latitudinem tantum ſuperabat quantum pervius utrinq; tranſitus ſpatii ſubſtraxit. A fronte turricula eminebat, cujus in medio horologium incluſum, per tabulam ab omni latere extantem, æqualibus duodecim figurarum ſpatiis, furtiva temporis prodebat veſtigia; & loquaci præterea pulſu ad aurium ſenſum transferebat: Supèr argutiſſimi æris campanula pendebat, quæ certa conveniendi redeundique momenta ſolenniori ſono indicaret. Subdialis area rudioribus lapillis conſtipata ſenſim a medio umbilico vergebat in ſaxeos canales, qui confluentem pluviarum vim in ſe receptam ſub terram demitterent Ambulacra undique ſub ædibus extructa, marmoreis columnis arcuatam tignorum molem inter ſe ſuſtinen-

tibus

tibus, in aream patebant. Pavimentum omne diſcoloribus ſaxis teſſellatum erat; & continua per parietes ſedilia defeſſos ambulandi excipiebant. Infrà cellulæ publicis mercibus confertæ. Suprà ædes plumbeo tecto & integris parietibus incluſæ; quas muliebre mercatorium diceres, & omnium mundorum mundum: quippe hìc væneunt leviora mercimonia, quæcunque ad cultum & ornatum faciunt. Literis traditis: Dum hæc ubiq; luſtrarent, puer intra conſpectum ſubſecutus eorum veſtigia perpetuò ſervabat. Erat egregiâ facie, ſed diutino æſtu vitiatâ, ac ſi ſolis pateretur invidiam. Ubi tandem propiùs inſiſteret, juvenes aſpectu commoti oculos in illum figebant: atque is Joſephum unicè intuens, primùm tremere & pudore ſuffundi, deinde miſerabili oris obtutu quiddam ab illo flagitare viſus eſt. Unde Joſephus in ipſius contemplationem adductus, mox aggredi cœpit & ex colloquio quærere quis eſſet: tum pauca obiter prælocutus, de patriâ, deq; fortunis, ac præſenti conditione percontabatur. Ille referebat ſe Italum eſſe, nomine Philandrum, a paternâ domo novercali invidiâ pulſum, & cùm audiret Solymæ locum eſſe bonis artibus & virtutis ſtudio, illuc confugiſſe; ut qualicunq; honeſtiori induſtriâ vivendi neceſſitatem tueretur. Inter cætera educationis beneficia, linguam quoq; Hebraicam, quam lepidiſſimâ barbarie variabat, in patriâ didiciſſe. Cùm verò inops & peregrinus ſit, nullam hujus inſtituti opportunitatem inveniſſe, ac ne adhuc diverſandi commoditatem. Cum his denique inſinuabat ſe ab illo hac in re juvari velle. Hæc multis gemitibus & lachrymarum obſequio inſpergens, juvenum ſtudia efficaciſſimo ſermone in ſe convertit, ex geſtu atque ingenio in

alriori

altiori fortunâ educatum ominantium præsertim Eugenius ac Politianus suæ conditionis reminiscebantur, ac perinde magis arrecti pergebant curiosius scisciari, quibus parentibus oriundus, quorsum ex familiâ ejectus, quibusq; artibus eruditus esset. Neque ille difficilis ad narrandum fuit: cumque jam longiorem sermonem expectarent, ad sedilia omnes se referebant. Sedentibus puer recitare incepit universam suæ calamitatis seriem. Non me inquit, fortuna infestis telis sed munerum suorum mole oppressit. Pater inter nobiles Neapolitanos censetur, satis superque divitiis affluens. Ego ipsius unica proles, sed ex priori conjuge susceptus. Ipse per se plùs nimio indulgens: etiam noverca diu sic coluit, ut vel paternis affectibus certare videretur. Erat huic unica filia, quam alteri, viro peperat; jam propè nubilis, ac satis venusta, & paternâ hæreditate dotata. Hanc meis thalamis uterque destinaverant. At sæpe instructissima mortalium consilia fortuna facili ictu pervertit. Evenit, ut ego, cùm ruri essem, in agros nostros venatum exirem: & cùm ludus jam incalesceret, fortè cervum, quem canes agebant, longè conspicatus, a reliquo comitatu equum velocissimum circumflectebam, illuc contendens, ubi in notissimum nemoris perfugium penetraturum sciebam. Dum citissimo cursu prævenire cupio, equus, pede ad saxum offenso, in terram præcipitem effudit. Cùm hic cervus in caput exciderem, consternatus subito ac vehementi casu, & cerebri vertigine correptus, spiritu protinus amisso, morti, proximum deliquium subii. Haud procul incedebat peregrina virgo quæ cum villico nostro hospitabatur. Illa equi tumultuatione excita, & ad meum casum respiciens, celerrimè accurrit; et super insistens, nescio

ſcio quibus ſive fomentis aut ſive virtutibus ſuis ex hoc Letheo ſomno revocavit. Mihi quidem animam inſpirare viſa eſt, & quaſi eodem aſpectu repoſcere: ſiquidem patefactis luminibus, & in ipſius faciem primùm erectis, aliam quam mortalem ſpeciem ac veluti Nympharum unam, quam venantibus præſidere fabulantur, venerari occæpi: nec poteſt a me exprimi, aut alienis ſenſibus percipi illa inopini amoris vis, quæ tum ſubito afflatu, ceu cœleſtis flamma, meam mentem penetravit: ſeu quod anima vixdum ſui compos per imbecillitatem facilius admiſit; ſive hanc ſibi fato editam (ut infantium oculi primam lucis ſpeciem) continuò agnovit atque complexa eſt. Præter formam commendabat ingens meritum, auxitq; meriti opinionem nihil ſibi arrogans merentis modeſtia. Mox inde ſubibant ſocii, & in villici domum languentem portabant, donec curru exceptum ad paternas ædes reveherent. Parentes de periculo nihil priùs audierant quàm perfectè ſanum et incolumem reciperent; & jam ipſâ narratione confixi hòrrebant ad ſenſum præteriti diſcriminis. Ego ignotæ virgini ex villici familiâ me vitam debere teſtabar. Pater ingentibus præmiis dignisſimam pronunciabat; ac poſtero die mater cum filia illuc ultro migrabant; & ubi non famulam, ſed hoſpitam ex Syriâ eſſe cognoſcerent, nomine Creſcentiam, in noſtram domum tranſire ſuadebant. Id mihi gratiſſimum accidit: & parentes, nondum amoris conſcii, illi mecum gratificari ſtudebant. Ipſa moribus tam ingenuis fuit, ut omnium animos ad ſe alliceret. Indole egregiâ, & variis artibus. Cumque ſolertiſſimè acu pingeret, matri placuit hunc meum caſum ſuo opere inſigniri. Illa aggreſſa ad vivum expreſſit, ac ſi ipſa rerum ſpecies

quæ

quæ aerem permeavit linteo impreſſa atque inſuta eſſet. Videres juvenem, facie pallidâ, et collo per languorem obliquè deflexo, humi ſupinè jacentem, Ipſa manu frontem componebat. Nec procul equus revolutus in tergum infidos calces in aerem ſpargebat. Longiùs ſocii cum canibus cervum inſectabantur, & venatui nihilominus indulgebant. Omnes laudabant egregium opus; jpſe mecum curioſè repoſui, magis ut amoris quam ſalutis monumentum. Eouſque hæc fœlicitas proceſſit, donec nuptias vix adhuc maturas parentes importuniùs urgerent: hæc ipſorum altera ſponſalia, ſeque in liberis iterum conjugatos fore; tum hæreditates in unum collatas utrinq; auctas & geminatas iri; hoc familiæ perfectiſſimum vinculum, quodq; omnia ſimultatum momenta abſolveret: non debere itaq;omitti diutius tantæ fœlicitatis conſummationem. Hæc uſq; ingeminabant, & tanquam certiſſima gaudia ſecum præcipiebant, de meâ voluntate minime ſolliciti; ut quæ ante viſam Creſcentiam novercæ filiam vulgari more colueram, ac deinde novos affectus quantùm potui diſſimulaveram;alias ex aliis cauſas nectens, ob quas nondum matrimonio conſentirem. Quin nihiltam ſecretũ eſt quod ſciri non poſſit,ac ſanè neſcio quo caſu res ad ipſos delata eſt. Pater pari fraude excepit:& villicum ad ſe vocatum ſuis inſtruxit mandatis;ut Creſcentiam ad ſe pelliceret & in ſuâ domo includeret. Spargebantur undiq; rumores fugiſſe in patriam. Eâ abſente, me omnibus ſuis machinis aggreſſus, nunc conſiliis, nunc precibus atque blanditiis, mox & minis & execrationibus urgebat: poſtquam diu fruſtra tentaverat, repulſæ impatiens, & novercalibus odiis incenſus, non moderatè ferebat omnium votorum & conſiliorum ſuorum

tam

tam inexpectatam eversionem. Interea Crescentia noctu ex custodiâ effugit: quod ubi innotuit, in ademptæ libertatis prætextum veneficii crimen objiciunt: suis philtris & incantamentis meam mentem corrupisse, & addictam sibi habere. At quidem modestissima virgo ab ultroneis amoribus semper abstinuit: & tum temporis mihi visa est erubescere has impares nuptias. Quin ubi abierat, (neque mihi liceret patris animo obsecundare, ac novercæ furores non tolerarem) ejus vestigia insecutus, non vulgari apud suos esse loco cognovi: cumque ego patriâ egressus sperarem si ei humilior occurrerem pares in amorem facilius consensuros, nunc in amplissimâ fortunâ constitutæ, vice versa, me imparem sentio, eâdem modestiâ vel a profitendo amore retentus: quocirca sumptâ personâ ita me constitui, ut ea primùm indicia spargerem, quæ sagacem amantis animum latere non possent; sin amari non contingeret, salvo pudore indeprehensus abirem. Nunc experto omnem fortunarum habitum meis votis adversantem hic sistere & conquiescere visum est: Quod si tu, inquit, Josephum aspiciens, me hospitio dignari velis, minues Crescentiæ desiderium: neque ad ullum liberale officium inutilem habebis; aut si qua parte deficiam gratitudinis voluntate supplebo. Hæc blandissimæ vocis illecebris suaviter pronunciata tam instructâ narrationis serie & consentaneis affectibus adornabat, ut omnium aures suis fabulis circumageret, & proniſſimam miserationem eliceret. Quin Josephus se quoque patri inservire respondit, neque dominum esse, sed partem familiæ: verùm ad hospitam suæ gentis non procul a paternis ædibus traditurum, unde adeundi sit copia, & si sua ope indigeat, sibi benevolum atque propitium

um expectet Philander ſeipſum humillimè inflectens gratias agebat, & votorum compenſatione proſequebatur. Joſephus inde reverſus ferebat ad diverſorium, cui præerat vidua mulier, Romæ oriunda, nomine Antonia, quæ Italos excipere ſolebat. Maritus hanc artem diem exercuerat, & multis opibus conquiſitis vix menſe abhinc elapſo, e vitâ decedens, omnes ſuas fortunas uxori reliquerat: nec minùs ipſa ad rem attenta, poſt mortem viri ſedulò adminiſtraverat. Hæc ubi puerum a Joſepho ſibi commendatum acciperet, oculis in eum conjectis, ni, inquit, filium meum jam fato functum, & ad pulverem redactum ſcirem hunc eundem miſera credidiſſem. Hæc dicentem lachrymæ ſponte ſequebantur. Filium utique dilectiſſimum paulò ante virum amiſerat: neque erat huic omnino abſimilis; ac non obſtabat formæ præcellentia quo ſibi minùs blandiretur, & indulgeret memoriæ chariſſimæ prolis. Eo reſpectu familiariter acceptum ſummâ cum humanitate tractabat: filii quoque nomen addebat, & tanquam defuncti umbram, ſeu potiùs vivam imaginem vero amore colebat. Neque Philander abſtinuit a maternâ compellatione, hanc mutuam charitatem ſibi non inutilem fore ſperans ad res ſuas promovendas; ut inde ſibi gradum ſtrueret ad altioris voti faſtigium, eamque ſic omni officiorum genere devinxit, ut in ipſius filii vicem ſuccederet. Ad Joſephum quotidie commeabat: neque illi diſplicebat hæc egregiæ gratitudinis oſtentatio. Muſicam quoque ſciebat & cantabat ſuaviſſimè eâque morum facilitate fuit, & devotis in Joſephum affectibus, ut & hunc ſibi ſenſim conciliaret, & omnibus quibuſcum verſaretur chariſſimus eſſet, ac præcipue in Jacobi domo ſummam familiaritatem conſequeretur. Per id

tempus

tempus Italus quidam Chymicam artem profeſſus, qui cum Philandri hoſpitâ diverſabatur, in morbum minimè vulgarem inciderat. Nulla pars corporis præ cæteris ægreſcebat, ſed univerſum macie ac tabe confectum: vultus erat perpetuo mœrore defixus, oculorum horridus & immanis aſpectus; neque hominum conſortio gaudebat, & ſecreta timidè fugiebat. Omnes plurimùm admirabantur ingentes gemitus, cum arcanis immurmurationibus, frequenter editos: tum ſubitos tremores, & inconditos geſtus, & ſimillimam triſti amentiæ intemperiem. Ipſe vim mali quotidiè ingraveſcentem intra ſe continere, & compeſcere perſiſtebat; fictis reſponſionibus quærentes avertens: ubi verò corporis vires deficerent, & augeſceret indies doloris violentia, ut diutiùs celari non poſſet; ſed quandoque abruptè exclamare cogeretur: ad lectum redactus, atque invitus medicum admittere juſſus eſt. Is erat Lucas, Solymæ civis, & Theophraſto (ſic enim dicebatur) perquam familiaris; plurimaque egregiæ artis experimenta ab illo mutuatus: qui primùm perſpectè intuens, exploratâ corporis habitudine, nihil certi referebat; niſi quod ex pulſûs vehementiâ in febrem eſſe proclivem cenſeret. Nota itaque adhibuit remedia; quæ æger reſpuens, ſuum dolorem non iſtis cedere medicamentis, cum triſtiſſimo riſu admonuit. Lucas ex his dictis, id quod erat, conjiciens. Hæc, inquit, promovere poſſe curationem, & lenire violentiam credidi: morbus menti radicitus hæret, & prudentibus conſiliis eſt evellendus: quocirca iſtanc animi ægritudinem denudare te velim, ut rectis rationibus & precibus communicatis ſalutem recipias. Dum ille adhuc obſtinatè taceret, O amice! pergebat, quid hoc malum eſt, vel quæ intemperies,

quæ

quæ te tam graviter excruciat? nondum ne sentis te ferendo imparem, & tamen subsidia dedignaris? non sum ego curiosus scrutator alieni pectoris; tuæ saluti totus impendeo: seu mihi, seu cuicunque malis, hoc quicquid est arcani detege: nempe mutuam amicorum opem his angoribus Deus exigit; & humani generis hostis pertinaciter excludit: atque id fortè mente captus palam effundes, quod nunc in privatum sinum exoneres. Ille, oculis in ipsum immaniter defixis, ita demum rejecit. Nulli potiùs mortalium quàm tibi, ô Luca! meipsum crederem: & hoc quidem fateor, sæpe tentavi: sed quorsum tuas castissimas aures tam incredibili nequitiâ violarem? Tum in alteram partem se avertens, Abibo tandem, clamabat, abibo; & mea mecum damnabitur memoria. At Lucas a scelere confitendo non omnino abhorrere sentiens, arreptum sermonem sic retorquebat. Haud aures meas violaveris qualiscunque sceleris confessione: siquidem ipse justissimus judex hanc sibi gratissimam profitetur: exequere igitur quod instituisti, & disclude angorem animi, cujus proditio est prima medicatio. Natura se in lachrymas & suspiria exolvit, mens vel ipsâ narratione malorum. Theophrastus se ferociter attollens, altâ voce, & terribili oculorum obtutu, Accipe itaque si id adeò gratum sit, non usitatum neque vulgare flagitium, quod vel audientem obtundat & obstupefaciat. Animam meam dæmonibus addixi, & tam impiam donationem hac propriâ linguâ proferre potui. Hæc fatus, dum medicus, tam horrendi sceleris novitate perculsus, hæreret paululùm & obmutesceret, se inter stragula repositum amovit: & quasi summam pietatem refelleret sibi quodammodo plaudere videbatur. At ille, hoste jam prodito, ad

infectan-

inſectandum ſe comparabat; Hoc quidem, inquiens, inſuetum, infandum, & abominandum eſt nefas: non tamen extra ſalutis ditionem. Rex Manaſſes, qui cum hoc ſcelere alia plurima, neque minora, conſociavit, remiſſionem omnium eſt conſecutus. Hic Italus, ut miſeri plerunque ſunt ingenioſi in malis, ad hunc modum in ſe mirâ ſubtilitate diſſeruit. Fateor quidem eum cum dæmonibus rem habuiſſe; at non pacto ſe illigavit, cui ſtandum eſt, utcunque damnoſo: Deus ipſe libertatem vovendi ad nos refert; ſi quid voveas, ut rem ſacram & ſuam expoſcit: neque id hoſti denegabit, quin habeat poteſtatem in hoc ſibi devotum caput. Lucas iterum: Imò verò credibilius eſt Manaſſem quoque cum dæmonibus pepigiſſe. Sed eſto, ut vis: nunc quia tam juſtè agere vilium eſt, primùm Deo redde quæ Dei ſunt, deinde dæmoni, quæ dæmonis. Deus animas noſtras proprio jure & ſingulari quadam prærogativâ ſibi vendicat: quanquam itaque ſtultâ & imprudenti conceſſione tibi facere injuriam poſſis, alteri non debes: ſcelera verò, quorum iſte malus dæmon autor eſt ac parens, ipſi reſtitue. Quin ille. Deus ſibi dari libenter imperat: proinde in noſtrâ voluntate ſitum eſt, cui dare malimus: equidem volens ſcienſque me inferis dedi. Ad hæc Lucas breviter reſpondens. Debueras ſanè Deo ſpontè te dedere, quod ſi ſecùs feceris, ipſe nihilominùs jus ſuum tuetur, & ab injuſto poſſeſſore eripere poteſt. Quam multi ſæviſſimis execrationibus ſe ad manes devoverunt, quos divina benignitas ad ſe convertit, & in cœlum ſervatos evehit? His ſermonibus fruſtrâ litigabant: at deinde Lucas ſecum reputans aliam curandi rationem eſſe ineundam, eos qui ſacris præerant conſultum abibat. Proximo die ad Theophraſtum

deducturus erat, cùm servus tremens atque attonitus præcipitanter occurrit; ediciteque totâ nocte & nunc usque maximo furore correptum, sæpissime exclamantem, dæmones, dæmones, adesse, involare, discerpere: deinde miserabiles ejulatus & ploratus emittere: se nihil interim conspicari posse, sensisse verò ingentem strepitum, portarum complosionem, lectique & totius cubiculi quassationem, cum diro atque insolito tumultu. Hæc audientes summa admiratio incessit: neque solebant hæc monstra in Judæâ frequenter accidere: haud tamen insciis ullarum artium, quibus iste inimicus noster miseros mortales infestare solet, Deo auspice, experiri constituunt. Ubi adirent, omnia tuta & pacata inveniunt, ipsumque solito more jacentem; nisi quòd plus terroris vultui inesset, & adhuc præ metu palpitaret. Mox paulùm sedatus atque compositus, medico rogante, incunctanter, ultroque retulit: se nimio chymicæ artis studio patrimonium dilapidavisse, laudabili & perutili scientiâ ad curiositatem & avaritiam abusum. Hinc omnium rerum egestate obortâ, fortè in agro seorsim erravisse, mala multa secum molientem: cùm ex improviso adoriretur vir procerioris staturæ, nigro & truculento aspectu, at satis liberaliter indutus: qui, inquit, de salute meâ pauca percontatus, ubi miserrimam conditionem aperuissem, quærebat, an ipsi inservire vellem; si consentirem, nullo vitæ subsidio, neque artis experientiâ carituram: simul aureos aliquot in manus tradidit: Ego tantâ liberalitate permotus, nequaquam recusabam: quin nescio qua improbitate ultro instinctus, Non si dæmon sis id abnuam, addebam, modò meis votis satisfacias. Ille altâ atque immani voce augustiùs se efferens, Is, inquit, sum ipse: quòd si fidem quoque ejurare,

rare, & teipſum mihi dedere velis, ad meliorem dominum tranſiiſſe te ſenties. Ego (proh ſcelus!) cæcus nequitiâ, ipſo præeunte, ſacris omnibus renunciavi, & ipſius imperio me ſubjeci. Quo facto, e conſpectu evanuit. Inde ad urbem rediens, mecum tandem expendere cœpi, quanto ſcelere me implicuiſſem; ac rurſum præmio conſolatus, ad aureos reſpexi: illi verò, ſive caſu, ſeu quod potiùs reor, fraude donatoris exciderant: tum mihi planè concidit animus: at ille inter pœnitendi conſilia ſæpius obveniens, nunc vanis promiſſionibus implebat, nunc minis & cruciatibus abſterrebat: donec ipſâ deſperatione audacior factus, in inſtituto perſeverarem. Pauca quidem levia & ridicula magicæ artis ſpecimina edidit, in re ſeriâ haud unquam profuit. Ad cædem & veneficia ſæpiſſime impulit, ſeque ex omni irarum occaſione ultorem objecit: & certè plus poteſtatis homini in hominem quàm dæmonibus videtur eſſe conceſſum; eoſque ſæpiùs nobis malefacere, ut miniſtros & executores humanæ voluntatis, quàm ex ullâ licentiâ ſibi primùm permiſſâ. Nos frequenter in mutuam cædem irruimus; nec minùs ipſi univerſos perderent, ſi cum animo & viribus facultas exæquaretur: at verò neq; hominem, neq; res humanas, ut porcos, & pecora, per ſe poſſunt invadere, neque hujus mundi ſtatum peſſundare. Imò ne nobis quibuſcum fœdera ineunt, ſub corporeâ ſpecie ſe primùm objiciunt atque ad hoc commercium provocant, ſi non antea ſint expetiti, aut per imprecationes & diros affectus invocati. In omnibus tamen Deo ſubjacent; nec quævis noſtra deſideria perficiunt: haud enim homo per venenum, aut ferrum, aut ejuſmodi nocendi inſtrumenta, ſemper ſuam maleficam voluntatem exequitur: quin ſæpiſſime divina

providentia etiam in ipso exitu intervertat. Mirum est autem quibus excubiis aut defensionibus a vobis arceantur, ut vix dæmones esse credatis, qui nobiscum sunt adeo familiares, ut & corpora sagarum, hirudinum more, exugillent; præsertim circa obscænas partes, ut in nostrâ immunditie glorientur. His nequissimis artibus exercitatus, in patriæ tenebris diu delitui: postquam huc accessi, & clarissimæ pietatis lumine circumfusus ad spem salutis respicere cœpi, vexare non desiit & omni studio prævertere pœnitentiam, meque sui juris asserere; neque Deum, si maximè vellem, ad se recepturum: ex quo verò meam tibi conditionem exposui, manifestiùs sævire, & immanissimos terrores intentare: Et nunc, magno cum clamore abrupit, præsentem aspicio, & me miserè torquentem sentio: succurrite! succurrite! &, si licet, eripite e manibus hujus furialis monstri! Stupebant illi, & horribilem strepitum, qualem servus antea memoraverat, auribus undique hauriebant; nec quicquam magis spectare poterant. Tumultu composito, accedunt trementem, ac penè emortuum, & efficacissimis verbis ad salutem revocare contendunt: tum ab ipso quærebant, an preces pro se concipi vellet. Ille breviter cum altissimo gemitu: Heu frustra sunt preces pro tam perdito capite. Quin vos agite ut libet. Ilicet circumstantibus convocatis, ac prius confirmatis omnium animis ad comprecandum se accingunt. Initiò quædam terriculamenta, tum cachinni & fœdissimæ voces jaciebantur: illi in officio persistunt; intereaq; vis omnis ab ægroto abstinebatur: ipse se quandoque commovit, quandoque questibus & prævaricationibus precationem confundere voluit. Deinde surgentes, quoad manerent,

rent, ſolari non ceſſant, ac bono animo eſſe jubere. Mox conſilio inter ſe inito, ab omnibus conſenſum eſt opus eſſe jejunio cum precibus ad hunc hoſtem ejiciendum: ac ne languentem miſerâ cunctatione conficerent, ſequentem diem huic negotio indicunt. Permovit hujus rei fama plurimos in eodem vico, & ex omni urbe; qui ad præſtitutum tempus illuc confluxerant, ita ut aula, in quam delatus fuit, numerum non caperet. Toto die hæc ſacra peragebantur, effectu ſenſim ſuccedente, ſed nondum integrâ ſalute receptâ, donec circa veſperam, maxima omnium tumultuatio exoriretur, cum ingenti ſonitu, atque clamore; mox altiſſima quies ſucceſſit: ac Theophraſtus a terrore compoſitus dæmonem inde profligatum agnovit: neque poſtea hoc ſpectro agitabatur. Omnes commoti tam mirabili ſucceſſu cum ingenti gratitudine & celebratione divinæ laudis diem abſolvebant. Lucas adhuc inſiſtebat, ut hac violentiâ liberatus, a dæmonis inſidiis ſibi caveret, & Deum quem nunc adeò propitium haberet perfectè conciliare properaret. Deinde priuſquam diſcederetur, rem geſtam ordine deſcripſit, primis præſentium in teſtimonium adductis: ut tam rarum & incredibile facinus plurimorum fidei commendaret. Intererat Jacobi familia: unde Joſephus cum amicis domum reverſus admirabilem rei eventum coram patre referebat. Ille hoſpites jam nactus obvios (et fortè vacaverat) ſenilem luſum eſſe ducebat juniorum animos prudentibus colloquiis informare: atque ut mollius illaberetur ſuæ juventutis exemplo, non gravabatur memorare quibus argumentis incitatus Chriſtianæ fidei ſe primùm applicuiſſet. Primò, inquit, in parentibus noſtris illud diſplicebat, quod tam cervicoſè & pervicaciter

ſuam religionem defenderent, neque ſe ad liberam diſputationem, aut ſaltem errantium convictionem demitterent: & quia piaculum erat Chriſtianis concionibus intereſſe, hanc veritatis inquiſitionem mecum ipſe ſic conſtituebam. Cum adverterem rem tantam propriis viribus non eſſe aggrediendam, certum erat neque infirmis & lubricis rationibus, neq; aliorum opinionibus inniti; quin potiùs ſi in omnibus rebus humanis petenda ſit & expectanda Dei manuductio, idque Ethnici ac barbari omnes in gravioribus negotiis aut re ancipiti, ipſâ naturâ dictante, facere ſoleant; in conſiliis oraculorum ſententiam expoſcere, in belli diſcrimine Deum adjutorem invocare, multo magis in ejus voluntate inquirendâ ipſum adire debemus; cùm nos hujus ignariſſimi ſimus, & ad agendum omninò impotes: atque id equidem expertus loquor, me plus precibus quàm ſtudiis profeciſſe: enim vero ea inter precandum arripui, cœleſti luce menti ſubitò injectâ, quæ anxiis meditationibus diu fruſtra anhelans captaveram: multoſq; multò ſagaciores in incertæ rationis pelago huc illuc fluctuantes, aut in ſcopulos hæreticorum impingentes reliqui; dum ingenii viribus confiſi, neq; agnoſcerent humanam vanitatem, neque divinæ benignitatis influxum haurirent: unde juſtiſſimo Dei judicio, ea credant, & faciant, quæ ab ipſis naturæ legibus abhorrent. Utique ex Dei cognitione, ſi quis rectè uti ſciat, omnis reliqua cognitio promanat: quippe ad ipſum perducit, a quo omnia pendent, & qui omnia petentibus patefacere dignatur: tum ne falſis illuminationibus, aut quavis aliâ fraude circumducamur, illud quoque orandum, ut ipſius ſupremo ductu ſinceræ perfectæque veritatis lucem adeamus. Hac fre-

tus

tus fiduciâ propoſiti rationem ſic exequebar. Inprimis omne præjudicium, & partium ſtudium exuebam; veram ſalutem omnibus modis diligenter exquirere, inventamque ſectari, & conſcientiæ imperio parere profeſſus: neque Deus vanis ſpeculationibus, ſed agentibus, ac ſibi ſervientibus favet: atque in hos uſus ſeipſum immiſcet, ſine quo nulla fit animæ redintegratio. Tum etiam hæc veritas, cujus vis in actione conſiſtit, eſſe certa ac ſtabilis nequit, ſine exercitatione, & experientiâ: qui enim non amat, faſtidire neceſſe eſt, ut ſibi adverſam, atque ingratam; & ex tædio tandem deponere, aut fictis rationibus ſecum prævaricari. Poſtquam ita comparatus eſſem, hoc primum ſuccurrebat, unum Deum, unam veritatem, unicam eſſe religionem, neq; in illam ſententiam ullo modo tranſire potui, Deum patrio ritu ſe coli velle, ac nihil proprium univerſis imperare. Haud quidem inficior, ſecundum patrias leges eſſe vivendum, modò divinis non adverſentur: hæ enim res hominum gubernant, & ab humano conſenſu plurimùm pendent: quocirca vel tyrannis publico conceſſione impoſitis ſingulos eſſe ſubjectos convenit: quæ autem ad Deum attinent, pari ratione ab ipſo indici & irrogari oportet: ac non modò contradicenti hominum imperio, ſed etiam obnitenti reſiſtendum, & mors ipſa præferenda tam injuſtæ maximæque tyrannidi. Neque iſtos ritus recipere fas eſt, qui a Deo ſuam non trahunt originem, ſive per certam inſtitutionem, cum divinâ virtute fidei objectâ; ſive ex ipſâ naturâ rerum cui Deus præſidet, neque a ſuo cultu exterminat, quantum ad decorem & ordinem ſpectet, aut piis meditationibus inſerviat: uti orbis & omnia quæ in illo exhibentur Dei gloriam nobis indi-

cant. Conſtat itaque veram religionem Deum creatorem infinitâ ſuâ perfectione ornatum perfectiſſimo more venerandum proponere, cum ſenſu, atq; ſcientiâ, internique amoris & communionis exercitio. Et quidem nonnulli Philoſophorum ſatis magnificè ſtatuunt ſummam hominis fœlicitatem in hac mentis conjunctione cum Deo conſiſtere: nempe mens ſola numen concipit, ſola accedit inconſpicuæ bonitatis fontem, ſola ritè & ſincerè colit. Illi autem tanquam in nubibus poſitum e longinquo adorant, & inanibus titulis & honoribus attollunt: cùm vera religio, ſacri amoris privilegio, ad arctiſſimam familiaritatem aſſurgat: nec ſe minùs ut creatori ſuo, humillimè ſubjiciat: nempe quò Deum propinquiùs adit, eo ſubmiſſiùs reveretur, quantoque magis admiratur, eò propius adire geſtit: quem enim quiſque amat, colit, & divino quodam more veneratur. Præterea cùm religio lex ſit ſupremi regis omnibus vitæ officiis præeſt, & univerſum hominem pervadit, neque eſt a principibus inſtituta, ad honorem ſibi conciliandum, aut occupandam vulgi opinionem; quam generoſæ mentes aſpernentur, & in ſinu rideant? neque a poetis primum excogitata, & a myſtis ac ſacerdotibus deinde perfecta; ſed habet ſua principia in ipſo naturæ gremio fundata. Haud enim quiſquam dixerit virtutem ac probitatem ad regendos homines fuiſſe confictas: atque ut hæ nos inter hos juſtos & liberales faciunt, ita religio omnia creatori ſubſternit: quo quid æquius ſanctiuſve, aut rectæ rationi magis eſſe conſentaneum poteſt? Neque a timido tantum aut inani pectore admitti ſolet: ſed altiſſima ſæpè ingenia imbuit, & in his ſemel recepta ſuas vires potiſſimùm exerit. Hæc una omnibus imperiis competit,

tit, omnium rerum publicarum formis, & privato familiarum regimini; necnon ipſis anachoretis, qui idcirco hominum ſocietatem deſerunt, ut ſe hujus ſtudio impenſiùs dedant. Præter enim Dei reverentiam nihil eſt quod interiorem animi mundum gubernet, unde omnis exterior vita profluit: quin ipſis humanis legibus hæc maximam autoritatem adjicit. Multiplex religionum varietas fit ex hominum artificio. Cùm nimirum immanes tyranni publicam utilitatem & pacem mundi turbare vellent, neceſſe fuit tum juſtitiæ tum religionis gemellas leges infirmare, & ad ſuos uſus detorquere: aut cùm nullis humanis honoribus ſatiati, divinis inhiarent, mox impii atq; avari flamines regnantium impudentiæ ſunt obſecuti, & deorum in numero poſuerunt. Atque ipſi effigies & templa numinum pro ſe mendicare, & prædari docebant: aut poſtquam per aditum ſanctitatis in animos hominum irrepſerant, ac inde ſibi fecerant obnoxios; ſenſim a ſtudio veritatis ſuperſtitionibus & fabulis et malis artibus abducebant. Siquidem omnis falſa religio veræ pietatis fundamento innititur: cùmque nefandi impoſtores ipſius inſitam vim & arcanam mentis ſubjectionem adverterent, non ceſſabant ad ſua ſtudia & privatam libidinem accommodare: & ignorantiâ plebis abuſi adulterinam faciem edebant iſtius perfectionis, quam natura tam avidè requirit. Tum quia nulla mendacia ſunt longæva, ne veritas ſuam poſſeſſionem repeteret, vulgares animos, nebulis & nugis circumfuſos, in perpetuâ caligine continebant: prudentiores verò aut præmiis deliniti, aut conſuetudine & autoritate obſtricti, aut per ſcelera alienati ab amore pietatis; aut, ſi hos omnes laqueos fortè abrumperent, minis atque

ſup-

ſuppliciis abſterriti ſunt. Neque temnenda eſt veræ religionis nota, inter omnium ſcientiarum lucem, & ſummum controverſiarum ardorem conſtare atque vigeſcere: ut quæ cum univerſæ veritatis lumine, & probitate morum, & honeſtate naturæ, conjunctiſſimam habeat affinitatem. Ac ille ſanè doctrinæ ſuæ liberaliſſimum edidit teſtimonium, qui ſectatores ſuos ſummatim hortatus eſt, ut quæcunque ſint vera, quæcunque veneranda, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amicabilia; ſi qua virtus inſit, & ſi qua commendatio, his ſua ſtudia adhibere velint. Hæc genuinæ religionis indicia ab ipſis naturæ legibus enata, extra omnem dubitationem facili curſu ſuccedebant, Aliam autem ejus, & quidem neceſſariam rationem deſiderabam, quæ noſtrum lapſum & defectionem ſuppleat. Cùm enim a Deo abdicati ſimus, & perpetuâ ſcelerum labe infecti, quæ unio & conciliatio eſſe queat cum perfectiſſimâ numinis juſtitiâ, quam neque ipſe amittere, neque immutare poteſt? Ubi ergo natura nihil aliud peccantibus ſpondeat, præter æternam averſationem, ac perpetuitatem omnium miſeriarum, debet hæc religio novam aliquam ac minimè communem viam humanæ ſalutis aperire ab ipſius creatoris inſuperabili bonitate profectam, & huic morbo accommodatam: cujus ſi nulla ſpes aut poſſibilitas ſit, neque ullus eſſet uſus, neque effectus religionis: quin in extremæ deſperationis abyſſo cum ipſis dæmonibus includeremur. Jam in medio curſu ſermonis erat, cùm ſervus coram ingreſſus, nunciabat ad publica concilia accerſi. Hic itaq; abrumpens a multum invitis in urbem abibat.

NOVÆ

NOVÆ SOLYMÆ

Liber Tertius.

TRanſierant jam plurimi dies, in quibus ferè ſingulis, Joſephus hoſpites ſuos, aut jucundiſſimis ſermonibus implebat, aut ad urbem viſendam, & admirabilium rerum ſpectacula ſecum circumducebat. Et nunc, inquit, pater conſtituens Auximum in publicam diſciplinam amandare, id mihi negotium delegavit, & ad imperata capeſſenda jamdudum per ſervulum accivit: vos, ſi placet, mecum adibitis. Illi tantâ opportunitate gaviſi, libentiſſime conjuncti ſunt. Deinde omnibus ad eundum comparatis, coram Jacobo ſe ſiſtunt. Ille in auguſta & capaci ſellâ; vultu verè paterno, ex amoris intimi multæque ſollicitudinis & curarum gravionum figuris compoſito, intentamque oculorum aciem in puerum defigens, cum his monitis dimittebat. O fili! a me nunc quidem diſcedis, ſed ut melior, ac proinde mihi charior redeas. Utcunque aliorum parentum animos formæ præſtantia, vel ſimilitudo; ſeu præcocitas ingenii, ſeu cæca, & impotens libido conciliet; ſcire te velim, me eundem liberorum cenſum habiturum, quem Deus ſuorum, ut is mihi chariſſimus ſit, quicunque eſt optimus; omneſq; paternos affectus me ad hanc legem compoſiturum. Si

quis

quis veſtrûm (quod abſit) nequam, & a meis conſiliis alienus fuerit, equidem ipſe qui genui, primus in hunc lapidem indignationis meæ impingere non dubitabo, ejuſdem divinæ juſtitiæ exemplo, qui quos creat, ſi deliquerint, neque per pœnitentiam reduci queant, damnat, atque repudiat: nemo me in bonos blandior pater, nemo in malos erit triſtior. Quod meum eſt, vobis alimoniam & facultates ſuppedito: ac ſi liceret (teſtor æternum patrem!) non minùs ipſius animæ, quam corporis ac patrimonii partem communicarem: ea verò quæ a Deo producta eſt, ſolùm ab illo dotari poteſt: neq; in vos ſe natura novercam præſtitit, neq;, ſpero deerit divina benignitas. His adminiculis opibuſque ſuffultus ad ſummam perfectionis metam totis viribus nerviſque contende, jam nunc a primis carceribus vitæ curriculum ingreſſurus, meique hujus incitamenti vim & impulſum perfer uſque ad extremum finem: &, cum ipſe abero, tanquam præſentis perpetuò patris ſerva memoriam. Ad magiſtrum ſum traditurus, omnium, qui pueros inſtituunt in hac urbe, aut ullâ aliâ, quam novi, optimum: qui non modò artium elegantiis, ſed verâ virtute & pietate inſtructum dabit: illi meâ vice morem gere, omnique cole reverentiâ. Quid pluribus opus eſt? hoc unicum animo tuo repræſentare te velim; ſi in bonum virum evaſeris, id proprium maximè beneficium erit: inde mihique & amicis omnibus ingentem lætitiam creabis; ſin minùs, omnia ſequiora ſuccedent. Hæc tam vividis paternæ gravitatis & charitatis indiciis prolocutus fuit, ut Auximus, dum gratias humiliter ageret & ſe juſſa impleturum ſponderet, lachrymas ubertim ſtillantes, non tam triſtitiæ, quàm mentis tantæ benevolentiæ ſenſu ictæ atque

affectæ

affectæ teſtes effuderit. Tum Joſepho pater literas, quas paratas in ſinu ſervabat, ad præfectum ſcholæ cum fratre deferendas tradidit. Ludus publicus in Septentrionali urbis angulo ſitus, ampliſſima ædificiorum ſpatia in ſe reduxerat. Nullæ feneſtræ patebant in compita, ſed earum in locis ſtatuebantur imagines priorum hominum, qui aut doctrinâ, aut moribus claruerunt: omneſque celeberrima ſui nominis inſignia præ ſe ferebant, unde qui mortales fuiſſent ſine literatâ inſcriptione conjiciendum erat. Supra portam cælabatur David, ſed adhuc juvenis, necdum lanugine obumbrans oris pulcherrimi fulgorem: lævâ manu lyram tenebat; dextrâ gladium, in cujus erectâ cuſpide Gigantis caput jam tum ipſo aſpectu immane, & luridum præfigebatur. Dum propiùs adirent, Joſephus ſic præfatus, Secreta eſt, inquit, hæc domus, quam non vulgaris janitor cuſtodit, cujus aut facilitas corrumpi, aut autoritas contemni queat: quippe graviſſimus vir, duobus ſtrenuis adoleſcentibus ſtipatus, hoc miniſterio defungitur; & quicunq; intromitti poſtulant, coram illo priùs in quæſtionem adducti, pro ejus examine, aut inferendi ſunt, aut abigendi: neque quenquam recipere ſolet niſi ex gravi & probatâ cauſâ: neminem ſocietatis egredi ſinit abſque teſſerâ a præfecto impetratâ. Hujus inſtituti ratio eſt, ut pueri præreptâ libertate vagandi non ſint inquinati nebulonum conſortio, neque interim familiares, aut alii quibus opus eſt, aditu prohibeantur: unde fit, ut in eadem urbe incluſi, tanquam in longinquas regiones ablegati ſint: nec minùs, ſi nulla neceſſitas incidat, utantur præſentiâ amicorum, quos aut accerſant, aut ipſi conveniant: aliter qui huic ſcholæ ſe dedunt, ante exactum

ſolidum

ſolidum ſeptennium rariſſimè ad parentes remeant. Inter loquendum jam ad fores progreſſus, pultare cœperat: aperitur illico janua, ſimul adoleſcens ſe in aditu objicit, quem Joſephus ut magiſtrum appellaret ultrò admonet. Ipſe, audito nomine, ſe confeſtim proripuit è conclavi, ubi vigil aſſidere ſolebat; et mox, altero dilabente, ad eos progreditur. Ad Joſephi conſpectum in amplexus mutuos occurrebat: hac primâ ſalutatione perfunctus. Scis tu quidem eſſe, aiebat, officii mei, ut, quales hi ſint, quos tecum affers, internoſcere debeam. Tum ille: Puer iſte frater eſt meus, quem vobis trado in diſciplinam: hi verò advenæ atque amici noſtri, quos ad ſcholam viſendam introducere cupio, Cuſtos, poſtquam omnes conſalutaverat, ingrediendi copiam fecit, alterumq; è miniſtris evocavit, qui intus ad præfectum duceret: ipſe munere ſuo devinctus in cellam ab iis receſſit. Ibant per atrium quadratâ amplitudine diductum, cujus exteriora ambulacra arctiſſimâ ſaxorum planitie contabulata comprimebant ingenitam ſoli parturientis importunitatem: interior area ſpiſſiſſimi graminis, ſed detonſi, & ad humillimam æquabilitatem redacti viredine aſpectantium luminibus favebat: hanc breves cancelli præcluſerant; qui columellis detornatis erecti, tanta ferè ſpatia implebant, quanta intervacabant. Hinc in aulam ingentem abeunt ad conclave ſuperius: ibique præfectum, tum fortè cum diſcipulo ſeorſim diſſerentem, opportunè inveniunt. Ut primùm Joſephus apparuit, tanquam ſpectro exterritus, e ſede proſiluit; vultuque renidenti, & effuſis brachiis, ipſum ad priora officia ocyus deſcendentem indulgentiſſimè circumplectebatur. Salve, inquiens, in patriam, atque in domum noſtram, ô ingens,

ingens patriæ, & quondam hujus ſocietatis decus! Viviſnè ergo & ad nos redis? Quas equidem grates non debere profiteor? (ſimul oculos ad cœlum levavit) & quàm non mediocri lætitiâ me perfuſum ſentio, ex aſpectu tuo, pro quo velut extincto, aut ſaltem amiſſo, threnos, et epicedia jamdudum meditabamur? Joſephus viciſſim. Talis quidem, uti audio, de me fama percrebuit; quæ rectè admonet officii mei, ut a mortuis receptum me ſemper meminerim. Tum ſodalibus ei commendatis, fratrem cum epiſtolâ repræſentat. Dum percurreret: Politianus atque Eugenius oculos in ipſum defigebant. Senex erat gravi et ſevero aſpectu, barbâque profuſiſſimâ; cujus canities, & blandiſſima genarum lineamenta, neque torva luminum ſpecies, neque vox nimis acerba, indicabant multi candoris temperiem. Induebatur purpureo habitu, longo, laxoque, & auream catenam, cum Sole gemmeo ab illa coram ſuſpenſo, circa collum præque ſinu geſtabat. Neque Judæa gens, ut aliæ plerumque, ludimagiſtros pro ludibrio habet, aut ad ſummum vice ſervulorum, qui liberos tantùm cuſtodiant, ne quid damni aut agant, aut capiant; ſed inter præcipuos ſuos magiſtratus: eoſque inprimis, quos corporibus nondum adultis, neque dum præcorruptis puerorum animis, utraque diſciplinâ imbuendis præficiunt; quod illo Solis donario teſtari volunt: Sol enim tum patefacit atque illuſtrat omnia, tum ad officia vitæ producit. Perlectis literis, et oculis in puerum tranſpoſitis. An hic eſt, inquit, quem pater in ſcholam recipi poſtulat? Cùm Joſephus annueret, Quo nomine compellem? interrogabat. Ille Auximum nominatum refert. Tum præfectus: Utinam alter Joſephus eſſet, quod etiam nomen promittere vide-

videtur: enitar verò, quantum in me eſt, ut cùm frater ſit, in partem hæreditariæ virtutis ſuccedat. Hic Joſephus. Quicquid id eſt tuâ æſtimatione dignum, non minùs a te magiſtro, quàm ab ipſo patre acceptum fero: proinde non dubito, quin tu huic idem, aut quiddam præſtantius impertire poſſis. Politianus, qui hucuſque mutus aſtabat, ita demùm ſubjecit. Quod ſi omnes diſcipulos tuos hujus Joſephi conſimiles reddis, nos quoque de integro ſub te petimus erudiri, ſaltem nobis patefacere digneris, hoc ingens ſive myſterium, ſive miraculum, unde in tantam omnium ſcientiarum virtutumque perfectionem provehas. Joſephus quoque illius petitionem adjuvabat; idque ſibi daret, orabat, ut de hujus ſcholæ inſtitutione cum peregrinis atque ſodalibus ſuis diſſerere vellet, ipſe interim fratrem ſuum ad inferiores magiſtros deferret, quos præfectus ſingulis ſcientiis exercitiiſque præpoſitos ſub ſe habebat. Ubi ille non admodum invitus hanc partem ad ſe reciperet, Joſephus cum Auximo abſceſſit. Tum Alphæus (id erat præfecti nomen) eos in ſellâ, quæ parieti affigebatur, circa ſe collocans, ita incepit. Haud noſtrum eſt, inquiens, alienam diſciplinam ſugillare, aut exteras gentes ad patriæ normam imperioſè redigere; neque noſtratem, qualiſcunque eſt, fructus fecit pœnitendam Prudentiſſimi quippe hujus reipublicæ conditores, dum ſedulò circumſpicerent quibus rationibus optimè formari poſſet, in eo præcipuè ſitum cenſebant, ſi pueri rectè inſtituantur: fruſtra enim ſunt leges, fruſtra arma, cæteraque tuendarum gentium præſidia, ſi non obedientia, ac benevolentia, aliæque virtutes, quæ ad hominum ſocietatem valent ipſorum animis inſerantur: neque illi facile in commune bonum conſentire

ſentire volunt, qui non ab ipſâ pueritiâ ſuis vitiis & cupiditatibus perdomandis aſſueſcunt; atque eum habitum animorum induunt, ut ultro libeat, & ipſorum plurimum intereſſe credant, jus divinum, ac patrias leges inviolatas ſervari, & rem ſuam publicam privatis quibuſcunque commodis anteponi. Quocirca nullis ſtudiis, nullis laboribus, aut impenſis parcunt, dummodo huic ætati rectiſſimè conſulant. Præ cæteris verò hanc ſcholam, cum lectiſſimæ juventuti deſtinatam, tum aliis omnibus pro exemplari conſtitutam, omnibus modis exornatam volunt: mihique, qui tertius a primo præfectus ſum, annoſque jam fermè viginti hoc onus ſuſtineo, reliquarum curam imponunt. Illæ ſunt in celeberrimis locis ſingularũ provinciarum diſpoſitæ; quas omnes quotannis cum præcipuis noſtris magiſtratibus perluſtro: &, ſi quid interim novi accidat, conſulentibus præcipio. Ita ars noſtra & docendi genius per omnem ubique gentem diffunditur, & aliorum ſive deſidem ignaviam ſive craſſam ſedulitatem nobilioribus exemplis inſtitutiſque accendit. In his erudiri ſolent aut honeſtiori loco nati, quos ad rempublicam capeſſendam ſua nobilitas propiùs attollit, aut qui ab egregiam indolem & ſpem magnam allecti, eam dignitatem conſecuturi videntur, atque, hi, ſi opus ſit, publicis aluntur reditibus, ad id ab initio elargitis, & hactenus fideliter adminiſtratis: ac non minima eſt olim ad honores publicos aut magiſtratus commendatio ſi ex his ſeminariis maturi prodeant: hinc enim expectamus certiorem proventum, & horum ſuppetit ſatis amplus delectus: cùm illi, qui a pueris has ſpes ſequuntur, hìc inſtitui, & erudiri quærant: eaque res mirum in modum hæc ſtudia nobilitat, & animos omnium ad diſcendum inci-

tat. Sunt præterea ergasteria, & officinæ publicæ, in quibus pauperum liberi exercentur, aut servilibus laboribus, aut, si ingenio valeant, mechanicis artibus: alii operam privatim collocant, unde victum & vestitum inveniunt. Hi verò nihil literarum attingunt, ultra legendi scribendique facultatem, cum Arithmeticâ, atque Mathematicâ, & ejusmodi studiis, quæ Mechanicam instruunt: cæteræ non modo alienæ ab hoc vivendi genere sed etiam adversæ esse censentur, & cum suo lumine & dignitate fastidium vitæ vilioris inducere. Moribus autem, & armorum usu, ut & religionis studio, omnes excoluntur. Mendicationem cum furto consociamus, quod etiam largientes quodammodo inquinat: siquidem habemus idoneos collectores, qui ab aliis rectiùs efflagitent, & ad veram paupertatem sublevandam prudentiùs dispertiant: ipsos mendicos plurimùm detestamur, ut opprobria publicæ charitatis, & residuam fæcem humani generis: neque videmus unde potiùs ex fortuitâ benevolentiâ, quàm collatâ stipe, hi, qui opus habent, sustentari queant. Mercaturæ præcipuè favemus, quam omnes pro arbitrio promiscuè adeunt: neque aut illâ, aut prædiorum usu, ullam dignitatem deturpari putamus: si quis mendacium aut fraudem immisceat, id ipsi vitio & dedecori vertitur. Sed ut ad nos redeam, & juventutis nostræ institutionem percurram. Prima & maxima pietatis est cura: proxima morum: ultima, quæ apud alios unica esse solet, literarum atque liberalium artium. Pietatis, inquam, sensu & spiritu imbuimus; non fatigamus arduis disputationibus, non mysteriis involvimus, non scrupulis & offensionibus retardamus: nec qui Theologiæ se dedunt, inter nos altiùs erudiuntur, sed in proprias scholas discedunt,

ubi

ubi hæc seorsim tractata accipiunt. Vis autem & anima religionis, quatenus ad bene beateque vivendum necessaria est, vix alicubi evidentius docetur, aut urgetur imprimiturque studiosius: nempe hanc unam pro fundamento, & vinculo, & culmine humanæ societatis statuimus. Neque prælegimus tantùm et elucidamus, sed ubique monemus, hortamur, insistimus, & singulos familiariter accedimus, ut ad ipsorum animas penetremus: ac non tantam opportunitatem, aut nominatim aggrediendi, aut pro variâ animorum temperie moderandi, aut perpetuis impulsibus promovendi, ipsis concionatoribus datam arbitramur, quam vel patri familias, vel præceptori. In hoc eram negotio cùm vos me primùm adiistis; istùmque quem mecum vidistis puerum per occasionem singulatim tractabam: atque utinam (addebat cum vehementi suspirio) vivis exemplis præire possemus, neque in hac parte potiùs deficeremus. Hæc dicens, paulisper sistebat ad recordationem tam ingentis officii, & conscientiam infirmitatis suæ. Deinde rursum perrecturus erat: cùm Politianus subveritus ne non perficeret institutam narrationem, istam loquendi intercapedinem explevit, & his laudibus ulterius pellexit. Rectè quidem & egregiè cavetis ut neque in solitudine puerorum ingenia marcescant, neque in turbâ singuli negligantur. Nunc autem scire aveo, qua arte mores & prudentiam maturetis, aut quæ remedia hujus ætatis vanitati quæratis. Tum ille. Haud aliunde major honos aut uberior fructus literarum existit, quam si conjunctæ sint cum virtutis studio, ac prudentiæ sale conditæ, atque inde ad communis vitæ officia, non, ut plerumque fit, ineptos et inexpertos, sed egregiâ dexteritate instructos

tranſmittant. Hoc autem in paucorum poteſtate poſitum eſt: ſumma ſagacitas in eo qui præeſt, neque ferè minor in diſcentibus requiritur. Equidem omnibus variæ fortunæ vicibus, multiſque & maximis rebus exercitatus, huic arti me imparem ſentio: quod poſſum tamen his modis efficio. Primùm, inſpectis eorum ingeniis, tum vitia, quibus hujus ætatis impotentia, aut facilitas obnoxia eſt, tum virtutes, & ornamenta perpendo. Hinc levitas in ſobriam agilitatem, iracundia in fortitudinem, credulitas in fidem & obſequentiam, poſſunt non inopportunè detorqueri. Tum illæ nativæ dotes, quales ſunt modeſtia, ſimplicitas, benignitas, & ejuſmodi reliquæ, omni curâ conſervari & excitari debent: atq; adeò nihil eſt in illis quod vel laudamus, vel vituperamus, quin anſam præbeat ad rectè agendum, ſi modò prudenter excolatur: ſin minùs, omnia in pejus abeunt. Præterea uniuscujuſque propriam indolem & genium exquiro. Sunt alii ab ipſâ naturâ tam æqualiter & fœliciter compoſiti, ut ad omnia nati videantur: hi, ut uberes agri, optimis ſeminibus conſerendi, & luxuria potius depaſcenda eſt. Alii tam perverſo animorum habitu, ut nihil pulchrè, nihil ſincerè perficiant: quorum vitia ſunt præcipuè reprimenda. Sunt & alii, qui unico ſtudio impenſè dediti, in eo miram præcocitatem oſtentant, ad cætera mediocres, aut, quod dolendum eſt, nulli: ſi hæc propenſio vehemens & eximia ſit, atque ad rem magnæ utilitatis (nam qualiſcunque ſit, cùm apud nos omnia delibent, facilè apparet) conſultis perſuaſiſque parentibus ad id accendimus atque adjuvamus; & niſi fortunæ ac vitæ ratio cum hoc naturæ beneficio nimium repugnet, unicè dicamus: ſanè plurimi, qui a facili & inclinato

nato curſu ſubiguntur in adverſa, tandem caſſo labore et tædio languidi ad ſpontanea principia revoluntur: qui vero nugis ſtudioſius addicti ſunt, ipſi cavemus, ut hi omnium parciſſimè attingant. Eſt inter hos medius quidam ordo illorum qui principio ad omnia tardi & difficiles, ſpem tamen aliquam & aptitudinem afferunt; ac deinde ſenſim per culturam ſuccreſcunt: tum ſi obſtinatam induſtriam & diligentiam adhibeant, neſcias in quo gradu perfectionis conſiſtant: neque raro illos fœlices ſuperveniunt, quorum plerumque certa eſt acme, quam facile obtinent & difficulter excedunt: quin ab ea potius in occaſum vergunt. Hos certè diſcipulorum præcipuos æſtimo, qui plurimùm debent ſedulitati ſuæ; & præceptorum curæ fideliter reſpondent, ac utrinq; juſtiſſimam commendationem referunt. His in univerſum inquiſitis, pro varietate ingeniorum juxtà aggredior, et dedolare pergo. Eam vero, quam requiris, prudentiam his modis effingo. Interdum pro natâ occaſione corrigo ac commonefacio. Tum de quocunque vitæ propoſito coram me diſſerere jubeo: quin exercitia quoque præſcribo, de rebus fictis, deque veris & præſentibus: quales epiſtolas cuivis ordini hominum conſcribere oporteat: quibus verbis geſtibuſque affari, quibus officiis demereri, ac quemvis ſibi propitium reddere: quâ arte linguam inſtruere, altercari, jocari, objurgare, contrahere, & rem quamcunque gerere conveniat. Has illi perſonatas partes agunt: quod non modò geſtum, vocem, & frontem conciliat; ſed extemporaneum quoque ſermonem, & ſolertiam in tractandis negotiis ſubjicit. Ad hæc res rite æſtimare, & per ſe judicia exercere permittimus. Tum etiam per hiſtoricas prælectiones

rerum genium & ſenſum expono: quid autor rectè ediderit, & in quibus ipſius judicium vacillaverit: deinde quomodo ea quæ rite tradita ſunt pro illorum temporum conditione ab hodiernis moribus diſſentiant: ne pueriles animi ex nimia admiratione antiquitatis exemplis ſine judicio imbuantur; & ſe iſtiusmodi præceptis pertinaciùs aſtringant: nihil enim eſt curioſius verâ prudentiâ, & in ipſâ varietate ſibi conſtantius. Eugenius ad ſingula annuens, & experientiæ ſuæ ſenſu edoctus, ſic tandem applicuit. Et hoc ipſum, inquit, nonnihil eſt, adeſſe qui moneat nos non eſſe libris devinciendos, neque literis ſemper mancipandos, ſed rem civilem præcipuè ſpectandam, cujus noſtri pædagogi nullam omnino rationem habent: ac ſi omnes aut philoſophi aut eremitæ futuri ſimus; neque haberemus quicquam cum familiâ aut republicâ commune, quibus revera ſummis neceſſitudinibus obſtringimur. Hunc errorem mihimetipſi experientia ſero denudavit, quantò vero fœliciores ſunt illi, quibus non modò conſultum eſt ne aberrent, ſed & tot adjumenta ſubminiſtrata, per quæ ſolidam prudentiam acquirant. Nunc verò de iſtis minoribus diſciplinis, quæ in ſcholis noſtris exerceri ſolent (ni tibi gravis videar) cognoſcere cupio. Id quidem, refert, libenter faciam, & multò opportuniùs, ſi bibliothecam noſtram adire libeat, ubi cum libris ipſis, ingeniorum monumenta, & exemplaria repoſita ſunt. Cùm illi hoc ſibi eſſe gratiſſimum reſponderent; exinde per armamentarium ducebat, in quo, præter inſtrumenta ſudendi, enſes, fariſſæ, & omne genus militarium telorum congeſtum fuit. His viſis, ultro interrogabant, an & Martem cum Muſis conjugerent. At ille: Imò verò cum Pallade, ſeu prudentiâ

tiâ civili, a qua militaris scientia sejungi non debet. Hac armorum gestatione, & aliis corporum exercitiis puerorum valetudini consulimus; studiorumque & laborum alternatione abigimus illam inutilem discendi molestiam: nec non equos curare, & exercere concessum est. Interdum in campo nostro, interdum publicè lustrari solent, & belli imaginem adornare, tum pedestris, tum equestris, & desultorii: omnesque omnes se in usus accommodant; modò ordinem servare, modò ducere; nunc premere hostem, nunc recessum firmare. Nec quis credat quàm hæc consuetudo armorum & apparatus bellicus pugnandi terrorem elevet, & veram solidamque virtutem accendat. Ac etiam nostra institutio nonnihil adjicit. Xenophontem Socraticam disciplinam ad imperatorias artes traxisse constat: ut & Scipionem Africanum hujus præcepta hausisse fideliter; atque non minùs justitiâ, liberalitate, continentiâ, & magnitudine animi, quàm armis hostes superavisse. Nosque nunc minimè expectamus cœlestia miracula; verum eandem divinam providentiam in humanis artibus & virtutibus excitandis, & in effecta non minora se exerentem. His sermonibus inter eundum traductis, mox successit ad bibliothecam. Atque hic, dum medius inambularet, sic allocutus est: Haudquaquam, ô juvenes, ullam artem, aut elegantiam, aut perfectionem corporis, vel ingenii spernimus, aut ab aliis accipere dedignamur; cum hæc omnia fluere credamus ab eodem fonte divinæ lucis: neque frustrà inter Mosis nostri laudes memorata est Ægyptiarum artium peritia: Danielem quoque & tres juvenes in Chaldaicâ sapientiâ fuisse versatos. Nos Græcam, & Romanam eruditionem, ut posteriorem

riorem & cultiorem amplectimur. Nunc quibus modis aggrediamur, breviter explicabo. Prima omnium ſcientiarum vehicula ſcitis eſſe ſermonem & ſcriptionem. Tres illas publicas mundi linguas, Hebraicam ſcilicet, ſeu vernaculam, Græcam atque Latinam priùs ediſcunt; inter nos verò nunc unâ, nunc aliâ familiariter utuntur. In his, tanquam tot pretioſis arculis omnes artium & ſcientiarum gemmæ conduntur: quippe rerum varietatem, & multimodos apparatus verſatili flexurâ breviſſimè exprimunt, mundique & mentis noſtræ ingentem copiam ubertim exponunt; denique vividum floridumque ſermonem verborum volubili curſu non ſine muſico tenore diffundunt. Super his quoque linguas exoticas noſtrates addiſcunt, præſertim earum gentium quibus nobiſcum aliquid commercii intercedit: nam interpretationum ſummum eſt diſpendium, tum in ſcriptis vertendis, tum in tranſigendis negotiis: proprietates ſunt cujuſque linguæ, & genius ſuus; quæ qui didicit vix ſatis concipit, certè ignaris & inſcientibus, utcunque aveat atque anhelet, tranſmittere non poteſt: ineruditus miſer multò magis commovebit ſpontaneis vocibus; & indoctus miles ſuis minis plus terroris injiciet; & acutus negotiator ſua tela dexterrimè tractabit, multa ex ore dicentis, multa ex loquendi formula, multa ex unius verbi inſinuatione expiſcabitur: per interpretem loquenti gratia decedit, & magna commoditas audienti. Autores egregios in eodem ſermone perlegimus, quem ipſi ad ſcribendum delegerant: inde elegantias omnes ſenſuſq; penitiores curioſè exquirimus. Tum in loquendo ipſius gentis inaffectatam pronunciationem æmulamur: ne quid abſonum aut ridiculum afferamus, aut quod

curſum

curſum majeſtatemqne dicentis intervertat. Ob has cauſas nonnulli ad ipſas gentes migrare & ibi peregrinari ſolent. Quæ autem linguæ Carmentales ſunt, & exoletæ, aut hodie apud eos populos uſu vigent, quibus nihil nobiſcum commune eſt, Grammaticaſtris, & glorioſis Philologis, non inviti relinquimus: ut enim iſtæ ad eruendam originem verborum, hæ ad curioſitatem & famam faciant; nos neutrum tanti pendimus, ut tot horas iis inſumamus, quæ aliâs fructuoſiùs collocari poſſunt: ſed intra eas potiùs noſtra ſtudia includimus, quarum largior eſt uſus, & difficultas minor: neque verborum literarumque minutiis nimis anxiè inſiſtimus, ſed in hoc maximè occupati ſumus, ut ſcriptorum nervos, & ſpiritus exploremus, ipſiſque effractis oſſibus medullam inſtillemus in ora diſcentium; & quaſi in conſpectum prodeat genius iſte, quem vivacem librum habere oportet. Antiquiſſima & optima exemplaria conquirimus, quantumvis hiantia & mutila, certè minus corrupta, quàm quæ ab aliis reſarciuntur. Quod obvium eſt, facillimè corrigi poteſt; atque adeò pueris ipſis iſtiusmodi mendoſas editiones in manus tradimus, eâ cautione, ut per ſe annotent, ſuamque criſin & judicandi vim erratorum caſtigatione exerceant. Quæ incerta ſunt, & deſiderata, varietate conjectationum diſtrahi poſſunt, & fortè ſuppleri, ad autoris ſenſum vix unquam reduci. Neque ſi id, quod maximè velit, quiſquam aſſecutus ſit, aut ipſum ſcriptorem apud inferos conſulat, & certiſſimam nobis cognitionem referat iſtorum locorum, de quibus bis, aut ter, aut fortè centies, in eodem libro dubitatum eſt, interque hos literarum Cenſores tantâ calamorum concertatione dimicatum, rem opere dignam

dignam præstiterit: nos certè non ambimus tam difficiles nugas; ac si omne verbum, omnis syllaba, ipsæque literulæ Maronis aut Tullii sacræ ac venerandæ essent; & inde sortilegos centones, vel Delphica oracula petere oporteat; aut cum Masoretis nostris in numerum referre. Quin isti adeò sibi plaudunt ex fœlicitate non ineptæ emendationis, ut olim Archimedes ob inventum suum; ac fortè magis quàm ipse autor totius operis sibi blanditus est. Veteres hanc insaniam tum primùm erumpentem irridere solebant: ipsique scriptores à vulgaribus semitis sponte deviare, ut in hos Labyrinthos circumagerent; crucesque passim figebant, in quibus Grammatici seipsos torquerent: & hi quidem vindictam exercent, ipsosque miserrimè discerpunt ut se explicent. Quod si scriptor aliqua parte collapsus fuerit, tum pro diversissimis reverentiæ vel invidiæ affectibus, aut impudenter attollunt atque suffulciunt, aut paucis maculis, iisque fortè literariis, offensi, opus cætera egregium & utilissimum, ceu monstrum imperfectum abjiciunt, maximisque clamoribus, & convitiis persequuntur; quod utrumque est humilis & illiberalis ingenii, & veritati pariter injurium. Hæc præfatus accessit ad scrinium, brevemque cistulam extraxit: tum ad mensam sedem cum utrisque capessens, ex eâ calamorum fasciculum depromit, quam in manu suâ adhuc retinens, ita progreditur. Non tantùm pœnarum metu pueros perterrefacimus, quàm ad virtutem & ingenuam contentionem præmiis incitamus. Istiusmodi sunt hi calami, qui rationem quoque sui certaminis ostentant. Sicuti enim multifariæ sunt vocum distinctiones; nempe alio more confabulamur, alio legimus, alio cantamus; ita verborum struendorum est non minor

varietas

varietas: eamque ſtyli diverſitatem in calamorum ſpecie effingimus; quibus eos donamus, qui in illo genere præcellunt. Hic primus ex ferro, eſt calamus familiaris; robuſtus, ſimplex, negligens, & ex ipſo uſu nitidus: monetque ſermonem quotidianum, ſeu quem ore proferimus, ſeu ſcribendo tranſmittimus, maſculum eſſe & ſobrium; neque ruſticorum diverbiis, neque puerilibus ineptiis; neque oratorum floſculis differtum: ſolidæ phraſes ac formulæ ſunt comparandæ; & quibus aliquid aut vanitatis ineſt, aut altioris vitii, diligenter eradicandæ. Tum ſit lenis, & mitis, & temperans, ratiſſimeque incitatus; habilis quoque & facilis, & ſine curâ curioſè compoſitus; ut neque dicenti laborem, neque intellecturo moleſtiam creet. Intra hanc continetur epiſtolaris, ejuſdem metalli, ſed purior, idemque terſior, Qui ſequitur, æreus eſt, quo utuntur Hiſtorici, grandi ſcilicet & duraturo: crenâ majori; quæ in nigriores literas atramentum ſpargat, omniaque inſigni charactere nobilitet. Ex altera parte plumam modicam & conciſam gerit; apice quoque acuminato eſt, quo ſcriptor materiæ ſimplicitatem recenſet, & brevibus notis interpungit: nam Hiſtoricus a nuncio vel narratore plurimùm differt; nec magis opus eſt memoriâ rerum præteritarum, quàm judicio in poſterum: quippe nec meras fabulas ſani autores edunt, extra omnem utilitatis reſpectum; præſertim illi qui viva tractant exemplaria, debent lectorem manuducere ad eam intentionem, quam ſibi proponunt. Eſtq; ſumma hujus artis commendatio, momenta rerum geſtarum excutere, ſcelera omnia, utcunque ſucceſſu lætiſſima, defamare, & calamitoſam virtutem attollere; quodque nos potiſſimùm deſideramus, ad exemplum

ſacræ

ſacræ hiſtoriæ, admirabilem efficaciam, & varietatem cœleſtis providentiæ ubique indigitare, & ad eam quoſcunque rerum eventus juſtâ cum laude & dignitate referre. Alter calamus argenteus eſt, prioribus plenior, atque productior, multis figuris & coloribus variatus, & in plumam ingentem deſinens. Hic oratoribus inſervit, & illius artis faciem deſignat; quæ ſi cum gravitate & prudentiâ temperetur, eſt efficaciſſimum inſtrumentum, & ad maximos uſus accommodatum; nunc acutiſſimis rationibus, & ad ſenſum auditorum conformatis, præconceptas opiniones expugnat; nunc animorum fluxus, & refluxus inducit; &, quaſi per magicam incantationem affectuum, ipſam voluntatem pertingit, et pertrahit: nec non vario vocis modulamine, & pulcherrimo corporis totius geſtu, ſe per aures oculoſque inſinuat, & blandiſſimæ artis imperio univerſum hominem ſibi ſubjicit: nulla colloquia, nulla negotia, vel privata, vel publica, ſine illâ rectè confici poſſunt. Humilis quidem & miſerabilis eloquentia audientes ſupplantat, ſubvertitque; quæ verò cum majeſtate perſonæ, cauſæque dignitate conjuncta eſt, e pulpito ſuo detonare, & tanquam in ſolio dominari videtur; quanto ſilentio ac reverentiâ, quantâ benevolentiâ & conſenſione animorum ingens hominum multitudo, ornatum, gravem, & generoſum principis viri ſermonem excipit? quantos ſpiritus imperatoris oratio in rudiſſimis militum pectoribus accendit? Neque tam anguſta Rhetorica eſt, ut ſe vulgaribus præceptis patiatur includi: hæc quidem artis fundamenta conſtituunt: at certè generoſa mens ſuo curſu fluere gaudet, novaſque figuras, & variationes, & verſuras ingenii, ac vehementes animi impetus ex ipſâ occaſione ſurgentes

tes effundit: quæ interdum ejuſmodi ſunt, ut neq; ipſe orator, nec quivis alius in regularum loculos facilè reponat. Verum ut artis oſtentatio, ita plerumque nomen Rhetoris eloquentiæ finem & effectum perdit; ut de quo major ſit expectatio et multum fidei detrahatur: cùm itaque votum dicentis ſit, laudari, accedi, credi, & quamcunque rem orandam ſuſcipit, conſequi, & impetrare; qui vim aut inſidias profitetur, ab arte ſuâ longiſſimè recedit: quiq; ab omni eloquentiâ horrere videntur, apud illos quî lucernam faſtidiunt, revera ſunt eloquentiſſimi: hæc enim ars nullo modo poteſt ab humanâ ſocietate, neque a ſermonibus, aut ipſis cogitationibus disjungi, (nam & ipſi nobiſcum rhetoricari ſolemus) ubique verò varianda eſt, ut ubique retineatur: ut in noſtris gentibus alius color, alia forma, quàm inter Æthiopes placet: verùm omnes aliquam pulchritudinem ſibi fingunt, cujus ſpecie et decore capiuntur. Quocirca non ſolùm ad materiæ copiam et verborum volubilitatem, ſed etiam ad debitos tractandi modos, ſumma ſolertia et fœlicitas ingenii in perfecto oratore requiritur. Nos itaque normis et formulis haud multùm innitimur; prælegimus potiùs et decerpimus ex optimorum autorum exemplis: quid in ſtatu populari conveniat, quid in regno; quid urbem, quid ſigna, et militiam deceat: quâ arte barbarorum aures mulceri; &, quod maximum eſt, quibus rationibus & temperie loquendi ipſi prudentes deliniri poſſint. Politianus hic intercipit, Ob hanc cauſam, inquiens, plurimi gtaves viri non immeritò damnavere eloquentiam, quod virtutem plerumque carperet & meretricios colores vitiis obduceret, totumque rerum ordinem, & juſtitiæ legem labefactaret.

ret. Ille ſubridens referebat, hac interpoſitâ querelâ remedium præveniſſe, ſine quo nec ipſe dimiſſurus erat. At eloquentia tolli non poteſt, ut ſupra dixi, regi debet, & in ordinem reduci: quòd ſi prorſus auferatur e rebus humanis, quo ore laudemus aut incitemus virtutem? quo fulmine ſcelera conſternamus? ipſa religio, atque ipſe divinus liber adeo non averſantur eloquentiam, ut eâ potiſſimùm uti videantur, more proprio, ac ſibi debito. Virtus enim & vera pietas, cum ſint nequitiâ ſeniores, hanc prærogativam ſortiuntur, ut inprimis laudari debeant, neque ſcelera publicè proferri volunt, niſi ſub horum nomine atque perſonâ: quapropter ad hunc modum nobiſcum conſtituimus, ut quod bonum, quod juſtum & ſanctum eſt, eloquentiæ munere decoratum lætis auribus excipiamus; quicquid contra eſt, cautè & ſobriè repudiemus; ut neque ingenio & lepore conditum, neque comparationibus illuſtratum, neque ſophiſticis aut popularibus argumentis ſuffultum, neque ſæpe diuque inculcatum cum omni copiâ & pompâ verborum, neque ullis dicendi illecebris præparatum improvidâ facilitate devoremus. Contra has & ſimiles oratorum machinatioues Antirhetoricam excogitavimus, quæ omnium pigmentorum vanitatem, & laqueorum fallacitatem detegat: ac non minùs interim ſanæ veritatis amaritudinem ceu melle tingi & medicari patimur: caſtiſſimamque ipſius nuditatem cunctis verborum ornamentis gaudemus eſſe condecoratam: ut quæ nullo nituntur fundamento, ſubſidunt penitùs & in ſuâ voragine obruuntur; quæ autem ſtabili ſolo conſtructa ſunt, altius attolli, et oſtentari poſſunt: nec quiſquam bonus ſine ſummæ indignationis nauſeâ malos laudari ſentit, aut non

favet

favet dignorum titulis. Poſtquam hunc quoque calamum tandem ſemoverat, proferebat alium, priori conſimilem, ſed aurei coloris, et imaginibus antiquioribus magiſque perſonatis ſignatum, et in penicilli formam exeuntem; dum agitaretur, tanquam cymbalo intus incluſo, conſonabat jucundiſſimo tinnitu. Atque hoc eſt, aiebat, inſigne Poetarum inſtrumentum, quo pulcherrimam naturæ faciem, a vulgari conſpectu ſepoſitam, quaſi in tabulâ depictam referunt, novaſque rerum imagines, et divinioris animi Ideas affingunt: atque ut virtus heroica virtutes ſingulas, ita hæc ars omnium artium rerumque faſtigia ſuo lumine et ſplendore nobilitat. Eſt enim mentis effuſæ, et ad ultimam ſuam capacitatem intenſæ, vel potius ſupra ſeipſam aſcendentis impetus. Hanc barbaræ gentes ſtupuerunt, coluere doctiſſima ſecula, pauciſſimique mortalium ſunt conſecuti. Neque alia quævis diſciplina, aut aditum ſibi faciliorem aſtruit, aut vividiores ſenſus ingenerat; neque ulla exercitatio puerorum indolem magis exacuit, aut virilis animi vehementes æſtus liberius exolvit: quod tamen dolendum eſt, cum omnes aliæ artes religioni jamdiu ancillentur, hæc ſola, non modò minus benignè accepta, rectèque inſtituta eſt, ſed, deſperato reducendi conſilio, a Chriſtianis uſibus ablegata: quodque adhuc magis miremur, interim Ethnicæ ſuperſtitionis reliquiæ, & profani Poetæ in ſcholis præleguntur: imò ne illi quidem qui Sanctorum laudes aut Dei ipſius canere inſtituunt, ab incongruâ, ne dicam nefariâ & deteſtabili, gentilium numinum invocatione deſiſtunt. Ut ob hæc maximè indignamur; ita nonnihil quoque e contra dolemus, probos ac pios homines, haud optimos interim Poetas, res

ſacras

ſacras numeris tantùm, ceu compedibus, aſtringere, nullis coloribus exornare, nullis involucris conveſtire, nullâ ingenii ſublimitate attollere: ac ſi pietas ſola, jejuna, tenuis, ac tetrica res eſſet, neque ullos generoſos ſpiritus, aut parturiret, aut ferret: quod quidem puerorum animos Ethnicarum artium, & cum primis Poeſeos, præconceptâ magnitudine inflatos, ab omni ſenſu Chriſtianæ ſanctitatis, & reverentiâ veri creatoris avertit; cum religio huic arti materiam maximè opportunam, nempe altam, inuſitatam, mirabilem præſtet, & quæ omnes animi affectus efficaciſſimo impulſu excitet: unde legimus ſanctos homines, quoties ſtupenda Dei facinora memorarent, aut cœleſti gaudio afflati eſſent, aut alio quocunque impetu accenſi, in carmina prorupiſſe: tum prophetas ipſos ſacri numinis plenos ad muſicos numeros exiluiſſe, ac vaticinia cantu edidiſſe: certè vel hoc, vel quiddam ſimile, eſt ipſius cœleſtis patriæ vernaculus ſermo, cùm ſit aptiſſimum animi jubilantis & triumphantis eloquium; nempe Angelicorum concentuum nunc nonnullam mentionem accipimus; poſt hanc verò vitam per tot labores & miſerias tranſactam in templo ſupremi ætheris cum admirabili voluptate fruemur, & eadem fœlicitate donati in partem chori ſuccedemus. Nos itaque his ſtudiis non levem curam adhibemus, ſaltem ut recta & ſalubria diſcipulis tradamus. Cum his verbis ipſe tanquam hunc calamum ſatis abſolverat, e manu depoſiturus erat; at Eugenius orare cœpit, ut hujus artis, cujus nudam modò indicationem præbuerat, ipſam faciem, ac formam commonſtraret; & ego, inquiebat renidens, a poetiço furore non ſum alienus; & Joſephus mihi ſpem addidit a vobis poſſe per-

perfectius inſtrui. Et potuit quidem, referebat, huic voto per ſeipſum ſatisfeciſſe: nunc quia ad me rejecit, hanc vindictam ab illo exigam, ut vel abſens id tibi præſtet, maximumque mihi laborem præripiat. Deinde conſurgens, ad parietem ducebat, ubi tabulæ, ſerico velamine ab injuriâ pulveris auræque obductæ, in unco ſuſpendebantur. Primâ retectâ: fluvius ingens, & incredibilis apparet: hinc qua latior, undis ſeſe trudentibus, rapidiſſimè abibat ad mare: hinc revoluti a medio fluctus aliis labentibus præcipites occurrebant, ſecumque reductos rapiebant in fontem: hac aquarum factâ ſeditione, inter editas utrinque ripas patebat ſabuloſa convallis; cujus in medio ſacerdotes arcam in humeris attollebant. Circum has ingens populus, trajicienti ſimilis, pedem proferebant: pars in ripâ ulterioti figebant caſtra, pars a citeriori rapientes in alvei ſe aperientis fidem deſcendebant. Vultus erat ad ſtuporem quam metum propior: & ante principia exercitus vexillum aureum erigebatur, hoc carmine denigrato conſpicuum.

Cedite jam tantis victoribus undique Gentes,
Naturam ſubigunt qui dare terga fugæ.

Recitabat hæc Eugenius, & ſubito acumine percitus, in recognoſcendo parumper hærebat. Mox pari deſiderio ad aliam avolans, velum manu dimovebat. Hìc per clathros cernere erat virum egregii oris palmis oculiſque preces in cœlum efferentem. Horridi atque immanes viſu leones pedes premebant innoxiis capitibus, & laſciviente linguâ rèlambebant; quaſi ad ſatellitium potiùs quàm carnificinam admiſſi: quod hæc carmina in aditu inſcripta manifeſtius explicabant.

Si vitare virûm vates vis optime morſus,
Ad quæ confugias, antra leonis habes.

Ubi ſatis aſpexerant, præfectus ad aliam avocat; quæ iis offerebat Joannis Baptiſtæ caput argenteâ lance importatum, regemque Herodem, & proceres circa diſcumbentes, dirum puellæ votum tacitâ indignatione execrantes. Inſcriptio verò ab ipſius tyranni vertice affixa his verſiculis liberiùs incuſabat.

Stulte, fide ſalvâ poteras ſervaſſe Joannem:
Scilicet imperio plus erat ille tuo.

Exclamabat Eugenius: O ſi hic monitor ipſi opportunè aſtitiſſet, & ante patratum nefas excuſationis quoque ſpecie allevaſſet juramenti temeritatem. Sed quis hic eſt, inquit, qui Æthiopem demergere parat? purgare ſanè non poteſt. Hæc ludentem carmen in fronte tabulæ depictum ſic repercuſſit.

Ecce lavat membris nigrantem & mente Philippus;
Æthiopem fruſtrà nec tamen ille lavat.

Tum ille: hoc quidem oraculum eſt & cœleſte reſponſum, profanum meum ſermonem tam diſertè refellit. Deinde præfectum allocutus, Suntne hæc, inquit, Joſephi carmina, quibus ille has egregias imagines donavit? Imò, dicebat, & hæ quoque imagines ſunt ejuſdem autoris: nempe nos picturam, muſicam, & ingenua quæque ſtudia puerorum indoli condonamus: omnium ingenia verſamus in poeticis exercitationibus: etſi enim minimè multi hanc artem fœliciter imbibant, paucíſſimi ſunt, qui non ex ejus deguſtatione aliquam elegantiarum tincturam hauriant. Primum & infimum, quod ad Poetam ſpectat, eſt ſtructu-

ſtructura & compoſitio carminis: atque hæc præſtantiſſima ars ſibi ſuaviſſimam pronunciandi rationem aſciſcit: omnis pronunciatio ex tonis gravibus & acutis conſtat; quorum concors & æquabilis temperies ſonum efficit dulcem & gratum: neque ulla vox, aut oratio, aut verborum conſtitutio auribus placet, in quibus hæc harmonia non teneatur, cum numeroſo quodam pronunciandi curſu, clauſuliſque non abruptè cadentibus: atque hanc juſtam & decoram proportionem non ſolùm in recitantium aut pſallentium vocibus, ſed in mutâ quoque lectione requirimus. Proxima lex eſt, ut cum operis intentione conveniat. In ſimplici materiâ ſimpliciorem harmoniam, in rhetoricâ floridam vividamque, in poeticâ plenam perfectamque deſideramus; cujus tanta eſt, & tam egregia curioſitas, ut cum omnium verborum ſenſu omnis quoque ſyllabæ numerus expendi & ritè collocari debeat: neque in carminis compoſitione ſolis regulis fidendum eſt, ſed aures ubique conſulendæ: nempe non magis quantitas quàm ipſe accentus adverti ſolet, ac præter debitam pedum ſummam, et juſtam numerorum proportionem, vocalium quoque, et conſonantium alternatio, verborumque ſingulorum menſura, cæſuraque ſeu finalis ſyllaba, (in quâ vox paulò diutiùs hæret, ut verba diſtinctè proferat) ac denique integri carminis conſtitutio, aptè & muſicè conſonare debent: poteſt enim verſus ex iiſdem pedibus legitimè fabricatus, ita turbari & diſtorqueri, ut cum totus evolvatur, idem non eſſe videatur: unde Virgilius ex unico carmine heroico plurima fecit, et ad materiæ varietatem ſtudioſè inflexit: quandoque etiam longior verſus per cæſuræ tranſpoſitionem in duos alios non ineptè diſcinditur: inſuper totius

ſententiæ ſeries, atque junctura, (quæ in Epico carmine longiſſimè extendi ſolet, in aliis per breviores periodos abſolvitur) harmonicè contemperata ſit; non minùs quàm multiplicis carminis, puta Sapphici, vel Alcaici, univerſa compages: ac denique integrum poema, per ſingularum partium tractus ſibi undique reſpondere & quaſi in eodem alveo per omnes flexuras fluere oportet. Sed hæc ſatis, aut fortaſſis plus ſatis, dicta ſint de proſodiâ, deque muſicâ poeſeos: nunc materiam et ſenſum proſequemur: et, ut occaſionem, quam propoſui, reſumam, ad principia hujus ſtudii deſcendam. Ut primùm pueri copiam verborum ex optimis autoribus petitam nacti ſunt, in hanc molem maſſamque corpoream ſpiritum ac mentem inducimus: at non ſtatim exigimus vim figurarum, & judicii maturitatem, ſed potius ingenii laſcivientis igniculos, ſales ſcilicet & jocos, (modò abſit petulantia) atque iſtiuſmodi elegantiis, quales in his verſiculis deprehenditis, ultro imbuimus: hæ enim alluſiones & prævaricationes rerum atque verborum plus habent leporis & feſtivitatis, & ob id puerilibus ingeniis, quæ in his primùm ſe prodere ſolent, præcipuè arrident. Sic Virgilius Julum rectiſſimè inducit facetum illud de menſis devoratis proferentem: & ipſe cùm adhuc puer eſſet quiddam ſimile compegit, in epitaphio Culicis, & aliis inſcriptionibus: hæc enim quæ impetu conſtant & nativâ indole magis quàm curâ atque conſilio, clariùs lucent, & ſubitis ictibus, ſeu tot ſtimulis, acutiùs perpungunt: quæ autem per laborem eruenda ſunt, neque ſpontaneâ mentis corniſcatione vibrata, ut anagrammata, chronogrammata, & ejuſmodi cætera, omnino rejicimus et faſtidimus. Ad epigrammata,

mata, deſcriptiones rerum naturalium, Odas, Idyllia, Hymnos adjungimus: quandoque de propoſito certo et imperato penſa conficiunt; quandoque per ſe excurrunt, & ſuos fœtus parturire ſolent: quod certè pulcherrima ingenia quotidianis incrementis gravidata ſæpè facere geſtiunt. Hæc carminum genera non vulgarem verborum delectum & egregiam ſermonis ſtructuram poſtulant; tum arcanam vim, et efficaciam, quam tardiſſimus lector agnoſcat. Per hos gradus excitamus ad culmen veræ perfectæque poeſeos, quam heroicam vocant, quæque hiſtoriam rerum geſtarum ad faſtigium ſuæ magnitudinis attollit, et cum judicio prudenter abſolvit: non enim quicunque eſt igneo & vehementi ingenio, inde poeta evadit; ſed potiùs magnam ac ſobriam mentem æquabili naturæ beneficio ſortitus: neque nulla ſunt, neque omnia audenda: neque nunquam, neque ubique ſurgendum: quinimo impetus impetu retunditur, et candore candor obſcuratur: nihil affectatum, nihil ſit nimium; ſed omnia ſplendida, generoſa, decora, & ad humillimam materiam magnificè demiſſa: modus ac tenor ubique ſervandus, præſertim in culmine & præcipitio. Plurima ſunt hujuſmodi præcepta, ab aliis ſatis fideliter tradita, nunc quædam nova ac fortè incognita a Joſephi genio creata producam. Hæc locutus præibat ad ſcrinia; in quibus diſcipulorum opuſcula, in quacunque arte præſtarent, pro ingenii ſpecimine conſervabantur. Tum accedens ad poematum claſſem; in libellum manum injecit, cujus titulus erat, Philippica. Dum illi dubitarent quid hoc nomen ſibi vellet, addidit, argumentum poematis eſſe, bellum navale a Philippo Hiſpaniarum rege in Anglos crudeliter ſuſceptum, & ab

iis fœliciter, ac memorabiliter propulsatum. Arrigebant aures ad hæc nomina, et avidissimè inhiabant, ipsique in manus sumere optabant; cùm præfectus primam paginam avertens, alteri sic insistebat. Hujus tituli sensum, inquiens, argumentum ipsum poetice designat, quod ego, cum selectis quibusdam partibus, quæ maximè meæ intentioni serviant, vobis recitabo. Est autem hujusmodi.

Hesperii tumidos fastus, iraſque tyranni,
Bellorumque minas: hinc altæ cornua classis:
Inde rates parvas, & virginis arma Britannæ,
Virtutemque canam. Tu sacris annue cœptis
Summe Deus! tantis etenim tua dextra periclis
Eripit; & quisquam metuat jam fidere cœlo?

Hujus exordii tres sunt partes; Argumentum seu summa totius operis, Invocatio, & Conclusio: Argumentum sit plenum, contractum, perspicuum; quæ omnia hoc exemplar exhibet. Originem hujus duelli repetit ab ambitione, atque superbiâ, quæ in furias facilè exardent. Tum primùm petentem seu provocantem in arenam deducit, quem Hesperium potiùs quam Hispanum, tyrannum, quam regem, invidiosis nominibus appellat. Bellorum numero, & navale, et campestre (hoc enim hostis meditabatur) innuit: minas addit significanter, quod omnis ista virium jactantia, & bellorum ostentatio, in terrores meros, & crepitacula evanuit, neque justi prælii honorem retulit. Ex adverso omnia elevat, præter virtutem & fœlicitatem; virginem opponit tyranno, Britannam Hesperio, rates classi, virtutem furiis: neque ulla pars est totius historiæ, quæ in his versiculis

ſiculis, tanquam breviario, non directè claudatur. Cæterum poema ipſum inverti & permiſceri placet; ut lectorem ubique ſuſpenſum & implicitum teneat, neque ullam particulam omittere velit, aut poſſit; ſed totum abſque tædio pervolet, expectatione ſemper præmiſſâ, & re alterâ alteri apte connexâ, multiſq; rerum præteritarum & ſequentium circumſtantiis in mediam narrationem contractis. Exitum hujus belli & ipſam victoriam (ut poetam Chriſtianum decet) in Deum refert; ac propterea cum invocatione commiſcet: hæc autem, more Latinorum, rectiùs conſequitur propoſitionem; quia iſte ordo eſt maximè ſecundum naturam: namque res ipſa eſt fundamentum petitionis, quam quiſque ſaltem animo concipit priuſquam preces ornare poſſit, quibus congrua argumenta exquirit. Concluſio ſeu Epiphonema explicat finem & intentionem autoris: nempe ut inde poeticum monumentum, ſeu tropæum, erigat, in quo divinæ poteſtatis & charitatis inſignia defigat, ad quæ omnes pii ex infimis ſuis miſeriis reſpicere, atque in ſolo Dei numine ſpem ſuam collocare debeant. Hæc obiter exponere viſum eſt, ut ſciatis, quo more nos cum diſcipulis noſtris de mente ſenſuque autorum diſſerere ſolemus. Quæ ſequuntur non attingam, præter inventionis modum; quæ quidem inuſitata & audacula eſt, neque minus ab offenſionibus timidæ pietatis, quàm ab invidorum calumniis circumvallanda. Incipit a conſilio gentilium deorum; qui de proventu & incremento veræ religionis in Germaniâ ac præſertim in Britanniâ ſolliciti omni ſtudio ad oppugnandam contendunt. Poſt varias ſententias ultro citroque prolatas, Jupiter tandem decernit, Philippum Hiſpanicum in Anglos eſſe concitandum.

tandum. Id Marti negotium est demandatum. Nunc poetam ipsum audiamus. Tum paginas aliquot prætermittens, in hæc carmina oculos defixit.

Hæc ubi decrevit, solio se erexit ab alto,
Et vacuo in terras latè dimisit Olympo:
Illi omnes, Jovis imperiis immanibus acti
Undique diffugiunt. Mars munere lætus iniquo,
Ingentem abjectâ dextram primùm expedit hastâ,
Et lævum mucrone latus; simul aurea solvit
Cingula; tum galeam, ferrataq; membra reponit,
Loricamque gravem, nec se tamen exuit ipsum.
Nempe alias artes sævâ sub mente revolvens,
Stellantes Superûm pennas, & lucida membra
Induit; & sanctus cœli fit nuncius alti:
Tum calice aurato præfert crudele venenum,
Permistum furiis atque ambitione tumenti.
(Nectareum falso dicunt cognomine potum)
Taliter instructus, mox arripit ipse jugales,
Lassatos requie; dum magni ad mœnia templi
Permissum servant defixi in culmine currum;
Ore reluctantes, spumamque in frena furentes
Dentibus exercent: oculis vigor igneus altis
Emicat, & patulis exuffiant naribus auras.
Jamque revertentem, seseque ad terga locantem
Attollunt lætis hinnitibus: inde soluti,
Aera per tenuem, pennis pedibusque volantes,
Præcipites abiere: manu dat lora secundâ,
Occùs insistens, & recto proxima cursu
Transmittit spatia: interea juga Thessala linquens,
Se super Adriacas non segnius avehit undas,
Romuleasque arces, Tiberinaque despicit arva.
Tum mare per medium properans, hinc præterit imos

Gallo-

Gallorum fines, atque hinc Balearica saxa:
Nec prius effusos uno premit impete frænos,
Quàm simul Hispanam veniat transvectus in oram,
Matritaque astans auratas occupet arces.
Impia nox altum tenebris fœdaverat orbem,
Et jam extrema polo pronas agitaverat horas.
Ille leves atrâ sistens in nube quadrigas,
Apparat æthereos cultus potumque nocentem:
Tum penetrat; magnique torum petit inde Philippi,
Regali structum thalamo; posteaque superbi
Auro intexti, gemmisque nitentibus ardent:
Aurea barbarici lectum velamina texti
Strata tegunt: sed non placidum hæc dat pompa sopo-
Namq; vigil studiis, curisq; ingentibus æger, (rem.
Volvitur: amissos Belgas, tot damna, tot uno
Exhaustas bello vires: nihil omnibus actum
Insidiis, armisque gemit; mentemq; remordet
Indignans: & jam primo fulgentis ephebi
Territus aspectu, videt, exauditque vocantem,
Nunciaq; æthereis tradentem talia verbis.
O dilecte Deo! & superis data cura Philippe!
Qui regis Hesperiam sceptris utramque superbis,
Germanaque aliquam partem telluris, & omnem
Sicaniam & Sardos, Solymamque ascribis honori:
Ac super imperiis tantis novus aureus orbis
Accidit; una tuos excussit Belgia frænos
Impunis, victrixque: quid heu bella irrita tentas?
Nec tandem ut socias inimica Britannia vires
Substruat æternùm, sentis, foveatque rebelles?
Quin petis hanc, Martemq; domos agis ultor ad ip-
Saxonidum: & Belgas ictu consternis eodem (sas
Imbelles. En nunc summis Deus autor ab astris
Me tibi ferre dedit magnis hæc nuncia jussis:

Roma-

Romanusque armis pater execrabile regnum
Devovet ipse tuis: nos & tibi protinus omnes
Europæ populos, mox totum adjungimus orbem.
Sic ait; & calicem in fauces cunctantis apertas
Ingerit, ac pleno ferventia subluit haustu
Pectora: dilapsumque atras se reddit in umbras
Ille tremens; O Sancte! Dei seu nuncius alti,
Seu (reor) ipse Deus, tibi fidimus, & tua nullâ
Jussa morâ sequimur: medios ne deinde paratus
Desere, structa tuo victis de nomine terris
Templa, sacerdotumque choros, festumque sacrabo.
Sis armis dux ipse meis: tu maximus auctor,
Tu rege, successuque pari promissa secunda.
Talibus averso fugientem in nubila vultu
Prosequitur precibus, votoque lacessit inani:
Et jam jamque magis sacro præcordia potu
Incaluere; truces oculos, altumque cerebrum,
Corripuit magici rabies decocta veneni,
Sanguineam expirans animam, flatusque tumentes.
Exilit ille furens thalamis, fremit arma per arcem,
Arma, novosque ultro spirat jam victor honores:
Magnanimosq; duces, pronamq; in tanta juventam
Bella ciet dictis; oculisque ardentibus auras
Inficit, ac dirum ferri transfundit amorem.
Qualis in effœtam vicino vertice quercum
Flamma polo jaculata cadit, deprensaque pascit
Brachia ramorum, sylvamque amplectitur omnem;
Tum facilemque vorat segetem, regnatq; per agros
Purpureis diffusa comis, pecudesque feraque
Horror agit, collesque immani luce refulgent.

Hic ipse legendi satur, vocem paulisper collegit, ac locum pollice distinguens, cum manu librum dejecit.

Tum

Tum in eos intuens, Gaudeo, inquit, nunc adeſſe, qui judicent de hac noſtrâ poeſi; ſanè nobis ſatis arridet, quin ad alios eſt provocandum, & plurimorum judiciis ſtandum: nimirùm Poetica non eſt ars primæ neceſſitatis, ſed quaſi condimentum aliarum artium: quod utcunque innoxium, et ſumptuoſum ſit, ſi tamen palatis convivarum non allubeſcat, nolentibus obtrudi non debet. Hic noſter poeta de diis gentilibus triumphare videtur; non ſupprimit, non abigit, ſed cum omnibus ſcelerum ſuorum ſpoliis victos et catenatos oſtentat: et ad hunc modum profanam poeſin facili tranſitu cum ſacrâ conciliat, ſervato utriuſque decore, et veritate neutiquam læſâ, quinimo auctâ, et illuſtratâ. Deos gentium malos dæmones fuiſſe, tum in veteri, tum in novâ ſcripturâ, prædicatum eſt, & tamen deos ubique appellati. Sic Beelzebub, deus Acronitarum, vulgò dicitur princeps dæmonum ut hic Jupiter. Pythoniſſa non Satanæ, ſed Pythonis ſpiritu agitata memoratur. Nunc quidem imagines & templa deleta ſunt; ſed & hodie regnant in pectoribus hominum, & ad ſcelera non minora impellunt: hoc ipſis ſui vates imputant, & omni generi vitiorum præficiunt: atque hæc poetica repræſentatio iſtas tentationes & incitamenta, quæ divinus liber luculenter exprimit, ad eundem ſenſum quaſi præ oculis ponit. Hiſtoria Jobi Satanam (uti nos vocamus) evidenter, & perſonatè inducit, totum terrarum orbem perambulantem, ac poteſtate a Deo factâ, per vim tempeſtatum, perque prædonum injurias, in ipſum immaniter ſævientem. Micaiæ quoque refert mendacem ſpiritum ad fallendum Achabum regem in ora fanaticorum ſuorum immiſſum: ac Paulus ſe ab iſtis internis impetitionibus,

ut

ut ab Angelo Satanæ, pulſatum queritur. Neque eſt hoc minimum poetæ munus, hujuſmodi intima & inviſibilia opera, quæ a vulgari cognitione ſemota ſunt, in mentis ſcenam producere; unde ab omnibus ſpectari queant. Cùmque ordines eſſe conſtet, tum ſanctorum, tum malorum ſpirituum, probabile eſt etiam hos inter ſeipſos partiri officia; ac licet omnes omnium ſcelerum colluvie impleantur, in unoquoque genere aliquos præſtare: quicquid verò id ſit, minimè dubium eſt egregia in nobis flagitia a malis Angelis excitari: atque hoc eſt quod iſtæc inventio maximè ſpectat, cætera poetis facilè concedimus, unde idipſum clariùs explicari poſſit. Neque eſt quod quiſquam ex Jovis nomine offenſam capiat, cum Jehovæ ſono, ac fortè ſenſu, tam propè conjuncto, cùm ſit omnino alienatum a vero numine, ac proprium huic principi dæmonum: ac non mera ſignificatio, ſed uſus potius eſt loquendi arbiter. Cùmque Apoſtolus nos hujus genus eſſe agnoſcit, loquitur ſecundùm ipſam divinitatem, quam nunc huic Jovi, nunc ignoto Deo obſcurè et perperam affingebant; non ſecundum perſonam Idoli, quod ipſe diabolum eſſe conſentit: & nihilominùs in re tantâ ad vulgi opinionem ſeſe demittit. Joſephus noſter hoc non ambit, neque aggreditur profanam religionem ad ſacram tranſponere; ſed falſos deos, quales revera ſunt, et a cultoribus ſuis perhiberi ſolent, ipſo numine abducto, denudat. Græci Olympum altiſſimum montem deorum ſedem appellabant, ipſe hoc illis cœlum permittit, et poetico templo includit: ſiquidem dicuntur aerii principes, atque ab aulâ cœleſti dejecti, in his inferioribus elementis plurimùm pollent: tum hanc legem ſibi imponit, ne unquam Olympi nomine pro

beatorum

beatorum ſedibus abutatur: neque vult ſacra cum profanis miſceri, a quo nemo religioſiùs cavet, cum univerſa intentio longiſſimè disjungat. Similiter ſuperbiam, & crudelitatem, nectar et potum deorum facit: cùm ſcelus ſit pabulum malarum mentium, ut pietas cœleſtium. Sequitur, hoc venenum nobis infundere, & plerumque ſub bonorum Angelorum ſpecie. Summa itaque hujus carminis eſt; iſtos humani generis hoſtes ſanctis eſſe præcipuè infenſos, & in horum perniciem tyrannos impellere, ac ſæpiſſimè per imaginem falſæ pietatis, ut dum veros Dei cultores ſummis viribus inſectentur, illi tamen gratificari ſe credant: tum principes hac ſceleſtâ opinione imbutos in ejuſdem furoris rabiem plurimos ſecum præcipites trahere. Utiliſſima ſanè doctrina, & ſatis rectè (ni fallor) adminiſtrata. Nunc videamus qualiter his cœleſtem militiam opponat. Hæc dicens iterum reſpexit ad chartam, et pauca præfatus de appartu bellico, in alium libellum tranſivit, unde hæc cœpit recitare,

Ecce operum merces tantorum, & meta furorum,
Occurrit Britonum tellus, qua littore flexo
Excipit abruptas hinc atque hinc æquoris undas,
Heu mediis ſecura malis! nam Chriſtus ab alto
Æthere proſpiciens ſæva molimina gentis,
Sic patitur, propriuſque ſinens inſtare periclum,
Supremam fert ipſe manum, ſopitque paratum
Mortalem, & tantos in ſe convertit honores.
Ilicet athereis divûm qui præſidet armis
Architheum ad ſeſe nutu vocat; atque ita fatur:
Maxime cœlicolum, queis credita cura meorum eſt

Nonne

Nonne vides Erebi motus? non arma Philippi,
Arma, minaſque graves, & ni mea cura reſiſtat,
Anglorum extincto deletam nomine gentem?
I celer! i, caſtris cœleſtibus eripe turmas!
Infernaſque averte manus, vinctiſque ſacratis
Induc: tum Mauri non æquo Marte repulſi,
Sed ſtrepitu, & vanis diræ formidinis umbris,
Diffugiant: ventiſque nihil miſerantibus acti,
In vada præcipitent Gallorum, & Hibernica ſaxa,
Perque Caledoniam pelagus, fluctuſq; Batavos,
Omnibus inde ſatis ſpoliorum gentibus errent.
Hac mercede ruant, qui me et mea regna laceſſunt.
Hæc breviter: nec plura loqui matura ſinit res:
Nec ſinit Architheum cunctantia reddere dicta.
Evolat, & toto cœli ciet undique regno
Ductoreſque pios, conjurataſque cohortes.
Sedibus illi omnes ardent exire beatis,
Et ſervire Deo. Fert dextrâ Syntheus haſtam
Arduus ingentem, pharetrataque turba ſequuntur,
Proximus attollit flammantem Zatheus enſem,
Sydereo ſublimis equo, ferroque furentem
Extimulat, ſed frena manu ſimul aurea tendit:
Ardenteſque equitum pulchro rapit ordine turmas.
Ipſe autem bijugo vehitur ſuper æthera curru
Architheus, viridi præcinctus tempora lauro,
Ferratumque manu ſceptrum vibrante coruſcat.
Illum humiles ſervare pios, flenteſque receptos,
Sub pedibuſque juvat faſtus calcare ſuperbos.
Turba ſimul ſacris cœli ſubit aurea campis,
Luce coronati fratres, curruſque volantes:
Quam noctis ſeræ nigrâ in caligine noctis
Undique ſcintillas medio diſſeminat antro
Ferrum, immane, rubens, formandum incude gementi:

Cum

Cùm Chalybes primos alternant ocyùs ictus.
Interea portis cœli considit in ipsis
Christus & aternâ se majestate refulgens
Attollit solio; regali incincta coronâ
Frons humana nitet; dextrâ venerabile sceptrum
Exerit, & lævâ servatum sustinet orbem.
Circumstant sacri proceres, fidique ministri.
Concilio bonus Ergotheus: face dextra coruscâ,
Et radiis incensus apex; lanamque fluentem
Aurea sub geminis succingit zona papillis.
Talis erat: tales socii velamine picto
Ornati insistunt: sed cunctis altior extat
Mystotheus vates, purâque in nube refulget.
Tum sacer Opsitheus divinî nuncius eris
Cultibus ethereis fulgentes induit artus,
Ipse latens radiis & spissi fulguris aurâ:
Ut jubar accensum fontani luminis igni
Attollit thalamis surgens Sol latus Eois;
Diffunditque diem; populisque optantibus orbem
Detegit, exuperans flammis, mergitque comantes
Luce premens vultus, & multo sydere condis.
Inde satellitio sequitur delecta juventus,
Nuda sinus, humerisq; leves tantùm induit alas;
Et regem flammis cinctum cœlestibus ambit,
Lataque perpetuo tollit præconia cantu.
Ceu totidem pasti fugiunt ad nubila cygni,
Ordine surgentes longo, cœloque volantes
Solvunt ora modis, perque humida colla canores
Effingunt numeros, & sydera voce lacessunt.
Tempora Dorotheus sertis florentia tollit,
Frugiferasque manus: donis nec talibus æquat
Charithei sublime decus; cui virginis ora,
Impubesque gena, crinisque in colla revolvit

Atreus

Aureus, et roſeo reſplendet lumine vultus.
Ipſe nec Autotheum tanto contingit honore,
Supremum, ſimilemque Deo: quem nulla tueri
Aut acies hominum, tremefactave Tartara poſſunt.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Spiritibus: lapſoſque premunt victricibus armis
Tartareos hoſtes: magnique æterna Parentis
Viribus extremis alacres mandata perimplent.

Hæc ſcena eſt admodum nova, & vix adhuc tentata a grege Chriſtianorum poetarum; nititur tamen fundamento antiquiſſimæ veritatis. Chriſtum ſervatorem noſtrum, poſt ſuſceptam hominum ſalutem, curam ſuorum ſemper geſſiſſe, e ſacro volumine probatum eſt. Hunc ſcilicet illum fuiſſe, quem Deus Moſi ſe pro duce præmiſſurum ſpondet, qui gentes Hebræo nomini infenſas ſummoveret, & prædebellaret; hunc ſummâ cum reverentiâ proſequerentur: atque eundem Joſuæ obveniſſe, ſeque ductorem & imperatorem fore profeſſum; atque ab illo divinos cultus excepiſſe; qnod nemo, neque ſanctorum, neque Angelorum pateretur: & quidem expreſſè de Chriſto legimus, oportere eum regno potiri, donec omnem inimicam poteſtatem pedibus ſubjecerit: noluit quidem regnare inter homines, ut qui ſervi formam ſubiit, cúm eſſet hæres ac dominus omnium. Neq; minus conſentaneum eſt Angelorum uti miniſterio, Michaelem ſcilicet cum ſuis copiis Draconis partibus adverſari: quippe cœleſtes Angeli, qui imperio Chriſti ſubduntur, ipſius gratiâ ſanctis quoque inſerviunt. Memorabile eſt illud, quod de ſervo Eliſæi traditur, qui oculis divinitùs patefactis, hanc cœli militiam, & æthereos currus, dominum ſuum

circum-

circumſiſtentes vidit: neque noſter poeta quicquam aliud facit; aut hic nimis ſollicitè & curioſe ſcrutatur Angelorum naturam, ac ſi revera dividerentur in hos ordines, quos ipſe deſcripſit, multò minùs venerandos proponit: ſed, ut de malis dæmonibus ſupra dictum eſt, ea quæ de illis in univerſum credi par eſt, poetico more ſingulatim deſignat: Ipſos ſcilicet præcellere potentiâ, ſcientiâ, atque amore Dei: ſcientiam poteſtate diviniorem eſſe, amorem utriſque. In genere poteſtatum, primum eſſe gradum ſtare cum Deo: proximum, ingenti ardore ac zelo ferri: ſummum verò faſtigium, omnium adverſarum virium perdomationem, & perpetuam vincendi fœlicitatem. In ordine ſciendi, infimum eſt opera Dei meditari: medium, oracula & myſteria interpretari: ſummum atque altiſſimnm, ipſam faciem divinitatis intueri. Pariter in amando, aliquid eſt Deum propter ſua beneficia, nec ipſa tantùm beneficia, amplecti: melius adhuc, meram charitatem, & gratiam reſpicere: optimum, amare Deum propter ſeipſum. Non tamen his ſingulis ordinibus lectoris fidem magis alligat, quàm ipſis perſonis & nominibus fictitiis; quæ omnia pro more noſtro, ut Michael, Gabriel, & ejuſmodi Hebraica, in Deo terminantur. Nunc quia ſine pugnâ & tam admirabili rerum eventu dimittere nequeo, ſummam ejus ex alio libro breviſſimè repetam.

Jamq; catenatæ naves, nexæq; coibant,
Et trabibus denſis latera ardua circumtectæ,
Curuatæ in faciem Lunæ, cùm menſtrua ſeptem
Pubeſcit noctes, mediavè a parte ſeneſcit.
Conſtant: amplexuſq; avidos, & hiantia laxant
Cornua: ceu vaſtâ ſpumans vertigine vortex,

Æquoris in medio, piſces, puppeſq; propinquas
Haurit agens; ruptiq; intorquet faucibus Orci.
Angligenæ tanto firmatas robore claſſes
Incaſſum circumſiliunt, ſylvoſaq; telis
Oppugnant caſtella procul, cautiq; minantur:
Haud ſecus oppugnat vaccas impaſtus Hibernas,
Huc illuc agili lupus obſidione, coactas
Unanimem in circum, medioq; imbellia vallo
Pignora tuta tremunt, molleſq; ad terga remittunt
Mugitus: ſurgunt inſuetæ matribus iræ.
Ille furit, neſcitq; fames fruſtrata reverti,
Quæſitamq; dapem ſeptam tot cornibus horret.
Chriſtus at hoc cernens, rebus ſuccurrere feſſis
Deſtinat: his mentem immittit farcire carinas
Ignibus armatas piceis, ac ſulphure nigro.
Ac ſimul ordinibus divûm e ſtipantibus unum
Doſithenm æthereis habilem ſic increpat alis.
Vade puer, celeremq; ſeca per nubila curſum,
Terroremq; voca: connexas perdere claſſes,
Maurigenaſq; jube. Sic imperat. Ille per altum,
Ocyor aſpectu, mentiſq; ſimillimus ictui
Evolat, & cæco Terrorem accerſit ab antro.
Antrum immane, minax lapſuris undiq; ſaxis,
Finibus Arctois poſitum ſub nocte perenni:
Haud loca nota viris: habitant in littore phocæ,
Urſiq; informes, & corpora dira ferarum,
Infauſtæq; ſtryges; totoq; in limine circum
Stant lemures, umbræq; & ſpectra nocentia viſu:
Tum mala Prodigia, & dubiæ Diſcrimina vitæ,
Captiviq; Metus; atq; ingens incubat Horror.
Inde ruit; magnaq; tremens vi concitus aſtat,
Corpus inane, volans, tinctum omnibus undiq; mon-
Juſſaq; tanta capit divini ex ore miniſtri. (ſtris:

Terro-

Terrorum rex dire! cavam nunc deſere ſedem:
Chriſti juſſa vocant: Hiſpanam disjice claſſem,
Quæq́ parant feſſi flammantia tela Britanni,
Tu rege rapta manu. Tali ſermone ciebat
Lætantem nimium tantos miſcere tumultus:
Ille fremens, quantum diſploſa tonitrua reddunt,
Et quantũ freta quà ſeſe gemina æquora rumpunt,
Horrendum attollit riſum: tremit Arctica tellus,
Diſſiſſæq́ jugis rupes, æternæq́ ponti
Fracta ſono glacies, moto cœlum axe tremiſcit.
At non mortali turbatum voce miniſtrum
Pone premens, vaſti ſequitur ſuper avia ponti;
Monſtrataſq́ rates pernicibus occupat alis.
Ipſe gubernator rectis incurſibus actas
Heſperiam rapit in claſſem, ceu tela tot arcu,
Aut dextrâ contorta volant: ſimul arma, faceſq́
Sulphureoſq́ furens mediis in navibus ignes
Spargit utraq́ manu; ſimul horridus ingruit ipſe;
Ferrataſq́ alas quatit importunus ad ora;
Exhauritq́ animos: illi, ſtatione ſolutâ,
Diripiuntque, ruuntque: neque hinc victoria curæ,
Nec quæſitus honos, prædaque inſana cupido:
Terror agit, menteſque truci formidine ſolvit.
Noctigenam tantis intenti caſibus Angli
Viribus inſtructis unà poſt terga ſequuntur;
Turbatoſque ſuper medio in diſcriminis æſtu
Cominus inſultant: & fulmina ſulphuris atri
(Heu populis ignota diu melioribus annis)
Expediunt; verſantque latus: miſerabilis intro
Cæſorum auditur gemitus: cruor impius undas
Polluit: ingeminant ictus, & ferrea tela
Trajiciunt per utrumque latus, malaſque prærupti
Deturbant pelago, & flammis apluſtria perdunt:

Æquora pulſa tonant, nox ignibus atra coruſcat.

Hic occurrit res perſonata, Terror ſcilicet, poetico cultu veſtitus: neque quicquam aut familiarius, aut innocentius eſt, quàm res mutas & inanimatas, ut viventes alloqui: uti mors quoque rex terrorum appellari ſolet. Tum etiam perſonata vocabula ad naturalem ſenſum extra ullam obtrectationem revocari poſſunt: ſic Phœbum pro Sole, Martem pro bello, Mercurium pro nuncio cum vulgo uſurpare licet: neque hæc nomina e ſacris libris eraſa ſunt, ac Chriſtus ipſe Mammona deum Syrorum non ſemel pro divitiis ponit. His præmiſſis, nunc de utilitate poeticæ artis breviter verba faciam. De fictionibus & fabulis ſic conjicio. Senſus noſtros objecta per intuitum amplecti, mentem per diſcurſum & illationem multo ſtudio & labore conſequi: nempe parentem humani generis cecidiſſe præcipitem; optimaſque animæ facultates, ut omnino corrupiſſe, ita maximè contudiſſe: unde fit ut certior ſit ſenſuum notitia, & jucundior voluptas, quàm ipſius animæ intelligentis: noſque propterea rerum intelligendarum ſpecies metaphoris a re corporeâ deſumptis ſponte repræſentare, quando volumus ſenſibiliùs agnoſci, aut efficaciùs inſinuari. Inde cum metaphoricum loquendi genus adeo placeret, in allegorias excurriſſe. Tum allegorias peperiſſe parabolas; atque has demum, quæ unicam tantùm intentionem ſequuntur, in modum continentis hiſtoriæ ad univerſam vitæ menſuram formatas, hinc poeſin fuiſſe deductam, & inter alias artes ſeorſim numeratam. Eam itaque commendationem obtinet, quam vino tribuimus; quod cum ex ſe placidum atque fortiſſimum ſit, vel medicamentum, vel venenum

venenum ipſi infuſum, ſtomacho blandiùs & vehementiùs ingerit. Quantis verò uſibus hæc ars inſerviat, conſtat ex parabolicâ docendi formâ, quæ Chriſto tantopere placuit: ac vix ulla calumnia intendi poteſt, quæ ab illo exemplo defendi nequeat, ſi res ſacras in ludum et jocum verti exiſtimes, Chriſtum accuſas, et Deum ipſum, qui quamvis per ullam externam imaginem ſub oculos deduci nolit, et ob id zelotypiâ ſe quadam affectum dicat, tamen in hoc animæ theatrum ſe ſponté demittit, per ſpeciem rerum ſenſibilium: nempe auditus fidem inſtruit, viſus ſuperſtitionem. neq; per hanc poeticam adumbrationem, quæ in ipſis vatibus frequenter occurrit, quicquam aliud in ſenſus tranſmigrat, quam aut ſonus per vocem, aut literæ per ſcriptionem; ſermo tantùm mente capitur. Si falſitatis arguas, Chriſtum damnas, & ipſam veritatem: quis enim minùs mentitur, quam qui fabulas profert, ut inde veritatem latentem & abditam his coloribus conſpicuam faciat? Si vera cum falſis indigneris miſceri, reſpicere te velim ad Abrahamum cum Divite & Lazaro conjunctum: quod vel reipſa confingi, vel id ſaltem licuiſſe concedimus. Unica cautio eſt in hac tantâ poetarum licentiâ, ne quid in exemplum edatur, quod cum ſanâ fide aut moribus pugnet: minùs enim peccat qui egregia virtutis & pietatis præcepta fictis exemplaribus condocefacit, quam qui blanda & nefanda ſcelera utcunque veriſſima decantat: quin ille laudem maximam, atque iſte non minorem cenſuram meretur. Hoc Joſephus noſter ſanctiſſimè cavet. Ipſe a nomine Poetæ abſtinet; ludum & fructum, non titulum affectat. Scripſere poemata David, Solomon, Cæſares, non minùs graviſſimis curis intenti.

Hæc ſtudia levia ingenia abſorbent, & in ſe penitus convertunt; ſolida recreant atque maturant. Scenicam poeſin non omninò rejicimus: exercetur præcipuè in ſcholis, ut efficaciſſima diſciplina vocem geſtumque formandi: non tamen permiſſum eſt ut quis ebrium vel ſtultum ſaltet; vel paraſitum, adulterum, ſicarium, aut ullos iſtiuſmodi nebulones ſimulet: hæc enim homine generoſo indigna ſunt; neque poſſunt ad vivum agi, quin aliquam animi cognationem cum iiſdem vitiis aut prodant, aut fortè inducant. Quocirca, ut Ethnici, non ſinebant crudeliora flagitia edi in conſpectu hominum, ſed ea per chorum interpretari ſolebant; ita nos ſcelera cujuſque generis, quæ inter Chriſtianos nominari fas eſt, per nuncios, aut ſimplicem narrationem indicamus: multo minùs aut Deum oculis ſpectatorum ſubjici, aut ipſos dæmones introduci permittimus. Atqui ſubvereor me huic propoſito plus nimis inſediſſe. Nunc ultimum calamum expediam. Atque hic erat ex omni metallo conflatus, & omnibus formis variatus. Ubi ſatis oſtentaverat, Hoc eſt, inquit, illud liberrimum ſcribendi genus, apud antiquos rarò uſurpatum; poſterioribus præ cæteris placuit. Ex omni ſtylo conſtat, & univerſâ rerum materiâ; poeſi ſimillimum, ſed in ſolutâ oratione carmina ſparſim pro libitu intexens. Multi recentiorum hujuſmodi fabulas conſcripſere, obductâ honoris & amoris ſpecie: atque his artibus tenellas mentes, quæ a nudâ vitiorum turpitudine abhorrerent, ad ſuperbiam, libidinem, luxuriam, et ejuſmodi magnifica ſcelera impellunt. Quorum ſcripta, ut teterrimam labem, ac peſtem juventutis, e noſtrâ republicâ amovemus: ac non temerè ſuſpicamur, hinc duas generoſis pectoribus graviſſimas

injú-

injurias exortas esse; multi siquidem hac disciplinâ imbuti, cum tales fabulæ nimis placuerint, experiri & persequi non desistunt: & plerumque aut pœnitendis nuptiis, aut insanâ se perdunt cupidine: tum inde nobilissimi juvenes, ceu tot paria gladiatorum ad dirum homicidii nefas mutuò se provocant; æmulatione falsâ veræ virtutis, quæ semper cum pietate atque justitiâ conjuncta est. Et quidem rari admodum sunt qui ab his vitiis sua scripta præmuniunt; unum accepimus medicorum more ex veneno antidotum parantem, & suis artibus scelera subvertentem; qui nominis loco hoc distichon præfixit:

Cujus opus studio cur tantùm quæris inani?
Qui legis, et frueris, feceris esse tuum.

Hic ipse titulus præmonefacit, neque famam nominis captare, neque palpare vanas & inanes auriculas; verum solidos ac sanos fructus in medium conferre; suumque ipsius librum fore qui eo potissimùm uti didicerit; neque se aliter ullam ejus partem vendicare, neque lectorem alio jure possidere. Quisque enim ex suis scriptis maximam concipit voluptatem, atque, si sapit, non minorem commoditatem: nimirum animus & conscientia cujusque pulchriora sibi subjicit exempla, quàm ipse assequi, & implere possit. Tum etiam publicæ utilitati consulit, qui has metas vitæ perfectioris proponit, et notabili candore depingit, ad quæ virtutis studiosi collineent; quippe modus sciendi non minoribus intervallis absistit a lege consummatæ rationis, quàm actio & exercitatio a gradu scientiæ. Idcirco qui hoc propositum rectè persequitur, ac multa ejusmodi documenta inspergit, humaniter debet excusari a crimine leviorum

lapſuum: non enim jure quaſi divino ad ſuam normam revocare contendit, aut magiſterium in omnes exercet; ſed ea tantùm liberaliter impertit, quæ pro captu legentium, aut obſervanda, aut omittenda, aut etiam, ſi opus ſit, cenſurâ digna videantur. Illi quidem impudentiùs peccant, qui in ipſis urbibus atque imperiis res novas temere moliuntur, antiqua fundamenta convellunt, et magnis ſumptibus, neque minori periculo, pro expertis ſpecioſa conſtituunt. Argumentum hujus libri eſt hiſtoria vitæ liberalis, pietate et virtutibus inſtructæ: intra hominum ſortem perſiſtit; ac ferè mediam conditionem amplectitur, quæ neque infima neque minima reipublicæ pars eſt. Equidem vobis libenter commendarem, niſi quod noſtra laudare videar: novo enim atque audaci commento, cùm alibi ſcenam non commodè erigeret, inter nos fixit: & Vati quam Hiſtorico propior, quale eſt hodiernum ſeculum, prævia anticipatione deſcripſit. Nos huic certè nonnihil debemus, quod de nobis tam bene ominatus ſit: neque putamus ullis conjectationibus hæc tam longè præcipere potuiſſe, ſed id tantummodo velle, ut quæ nemo forſan geſta crederet, ſpe tamen futura præſumeret. De fabulâ verò minor eſt cura, modò mens operis, ſcilicet inſtitutio rectè procedat. Et quidem eo fato ad nos uſque pervenit, ut multorum cenſuram ferret, & quamplurimis interea prodeſſet. In hac oratione indeſinenter proceſſurus erat, ut qui a naturâ uſuque perpetuò ad docendum aſſuetus, eo maximè gaudebat; neque magis avidè audiebatur, quam ipſe dictabat. Nunc verò ad Joſephi adventum a ſermone deflectens, & in illum converſus, ab impoſito opere miſſionem petebat, ipſique ſuas par-

tes

tes referebat. Inde conſurgens, omnibus in ſcrinio compoſitis, auditores qnoque ad Joſephum tradebat. Ipſi, peractis gratiis, a præfecto dimiſſi, in gymnaſium abeunt, ubi ſolet exerceri omne genus puerilium ludorum; curſus, ſaltatio, pila, diſcus, natatio in ſtagnis ad id arte præparatis, equitatio, Pyrrhica, armorum luſtratio, & velitatio. Tum quidem temporis literarum ſtudio incumbebant: quo confecto, ad hanc corporis recreationem non tantùm liberè emittuntur, verùm etiam, ſi qui ſegniores ſint, tanquam ad aliud penſum abiguntur. His quoque luſibus magiſtros adhibent, alios qui diſcendis inſtruant, alios qui mores puerorum (ut qui nunquam alias magis patent, quam in ludendi impetu) inſpiciant, & corrigant: ab omni fraude, & dolo malo, ut re ſervili & ignobili abſterrent: ſi quid præmii propoſitum ſit, ut calcar induſtriæ, & victoriæ ſignum, magis quam lucrum ſpectare admonent; neque cum lege naturæ convenire, rem ex luſu quæritare, quam ſudore, meritis, ac mutuis beneficiis Deus parare & mercari nos voluit: quod ſi incaleſcant, aut victi ægriùs cedant, hos aut abſtrahunt, aut ſaltem corripiunt, & puerilem æſtum, præſertim rixam & iracundiam temperant: ut ſi alios vincere nequeant, ſuos tamen ipſi affectus ſubigant, neque animos cum pignore deponant. Talia juvenes collocuti, pertranſibant omne gymnaſium, & in ſcholas literarias progrediebantur. Mirum erat in diſcentibus ſilentium; tantùm prælectores audiebantur, aut illi qui recitabant: reliqui ſuis ſedebant intenti officiis; neque ſtrepitum movebant in advenarum conſpectu, ſed, tanquam tot ſtatuæ, ſe in locis continebant, & rem ſuam perſequebantur. Joſephus, fratre breviter re-

ſalutato,

ſalutato, cum amicis e ſcholâ abibat: interque ſe adhuc diſſerebant de ratione hujus diſciplinæ. O ſocii! dicebat Joſephus, non fruſtra neque minimis de cauſis hanc puerorum inſtitutionem ſuſcipimus: nam, ut cætera taceam, notandum eſt ipſam religionem in eruditis ſeculis ac gentibus benè moratis plurimùm floruiſſe; utcunque nec alibi pervicaciùs impugnetur: Cùm hæc enim ſit omnium rerum humanarum, divinarumque perfectio, cum rectâ ratione ac veris virtutibus optimè conſentit: omneſque falſæ religiones id luminis ſpargunt, iiſque aſcititiis coloribus ornari ſe volunt, per quæ ſua vanitas conſpici poſſit, & ſeclusæ veritatis radii quaſi per rimas interfulgeant. Ergo omnis ſuperſtitio tyrannidem exercet, legitimam quæſtionem & judicium reformidat. Tum etſi probitas ac boni mores ad diviniorem gratiam minimè aſſurgant, ſed, quod periculoſius eſt, in ſe terminent; eas tamen divinitas amplectitur, & in ſuum conſortium recipit. Objecit hic Politianus. At etiam probi & prudentes viri extitere acerrimi hoſtes veræ religionis; e contra nefarii & impii ad eam ſæpiſſimè confugiunt. Tum Joſephus. Id quidem accidit ex naturæ vitio, cujus aut cæcitas hanc lucem non agnoſcit, aut obſtinata pravitas excludit: unde fit, ut vel ſuperbâ æſtimatione ſuarum virium, vel æſtu libidinum, vel denique juſto Dei judicio, ceu jugo, depreſſi, res terrenas magis ſapiant; atque ut noctuæ, veſperâ gaudeant, diem fugiant; & averſentur. Verùm ut ſcientia bonis moribus, ita utrique famulantur religioni; ac nos ei magis obvios ſiſtunt, eamque nobis familiarem reddunt. Cum literis itaque ac moribus ingenuis, pietatis ſtudium in ſcholis, ac penè in cunabulis commiſcemus:

miſcemus: & tametſi omnes non attingunt æternæ ſalutis culmen, eo recidit religionis vis, ut metu atque reverentiâ ſui, honeſtioribus officiis ac bonis artibus deditos teneat. Tanta eſt univerſæ bonitatis cognatio, quæ ſe undique per naturam rerum variis modis gradibuſque diffundit: quantumque religio debet humanis virtutibus, quæ ſunt ipſius ſatellitium, & ab injuriis malorum protegunt, non minora viciſſim rependit, quod hæc animis hominum omnia rerum humanarum jura quavis lege efficaciùs imprimat. Per hæc dicta ad portam evaſerant: inde in urbem egreſſi, aliâ viâ redibant domum. Joſephus, materteram quæ in illo vico habitabat, inviſere conſtituit. Ubi appropinquaret, a foribus per ſervum prænonitus eam cum ſorore in urbem exiiſſe, ille quidem hac acceptâ reſponſione libenter deceſſit: at juvenes non parùm commovebantur ob præreptam tantæ fœlicitatis opportunitatem, quam illi cæteris ſpectaculis & colloquiis omnibus prætuliſſent: ipſa ſororis mentio erexerat inſperatam videndi ſpem, & eodem quaſi ictu dejecerat. Volebant quidem retinere præeuntem & opperiendi cauſas ſimulare, ſed uterque metuebat deſiderii ſui confeſſionem. Politianus tantùm, An hìc ſoror habitaret, frigidâ voce interrogabat: Simul ambo domum oculis ſignabant: neque hactenus invenerant adeundi viam, neque virgo ad patrem frequenter redibat. Joſephus breviter reſpondens abibat in alios ſermones: quos alter interdum perfunctoriè excepit, dum alter ad ædes ſæpe reſpiceret: totique familiæ & ipſis parietibus invidebant, quæ tali præſentiâ fruerentur, ipſi ſibi exulare videbantur, & a ſuo centro dimoveri: nunc & Joſephi ſocietas & Jacobi domus minùs arridebant: amor

oculos

oculos mentemque infecerat, & aliarum voluptatum reſtinxerat ſenſum. Hinc reverſi ſeorſim abeunt: Joſephus ad patrem de confecto negotio refert: Politianus in hortum ſecedit, ac ſi herbas & medicinam quæreret, quæ mulcerent ſauciam mentem: & quidem amoris tela tardiùs figebant ſeverum pectus, ubi ſemel inſediſſent, hærebant eo pertinaciùs. Eugenius, poſtquam ſe in cubiculo incluſerat, pronâ facie procubuit in lectum, & utraque palmâ oculos obtegens, in mentis ſecreta reductus eſt: hic confuſus impetu cogitationum, tantùm ſuſpiria, & gemitus edebat. Hoc primo tranſacto tumultu, ad lucem reſpiciens, O Eugeni! dicebat, quid facis? aut quâ ſpe fretus hanc tantam cupiditatem foves? Videſnè te amoris ludibrium fieri? & tamen teipſum peſſimè ludis? Utprimum iſto fatali congreſſu hoc cœleſte ſpectaculum acceſſiſti, neſcio quæ mutui favoris indicia vaniſſimâ credulitate collegiſti, ac ſi utriuſque genius ſuâ ſponte ſe viciſſim agnoſceret, & ultroneo animorum conſenſu in obvios amplexus exiret: libet certè & uſque libebit meminiſſe, quas illecebras, quæ gaudia, quos divinæ voluptatis hauſtus ex illo conſpectu retulerit miſellus animus; cùm oculorum feneſtris inſidens, ad improviſum fulgorem placidiſſimæ imaginis e pectoris domicilio evolaret, & in fœliciorem ſedem tranſiret, tùm verò maximè cùm ex mutuo benevoloque receptu ſummæ beatitudinis ſomnio perfunderetur. Utcunque ſuffecit iſte breviſſimus error ad veri vulneris perpetuitatem. O miſeras mortalium mentes! ô inanes amantium curas! quid ergo nobis natura inſerit earum rerum cupiditatem, quibus potiri non licet? neque præparato voluntatum conſenſu ad certiſſimum nuptiarum eventum deſtinat?

ſtinat? eſurientibus cibum ubique porrigit, ſitientibus ſaltem flumina ſuppeditat: cur amantium vehementiores affectus his philtris & veneficiis illudit? debuit ſanè potiùs aut tantos ignes non excitaviſſe, aut excitatos ſuis alere fomitibus. Cum his dictis ſurrexit e lecto; nec queri ſecum & indignari ceſſavit, brachiis in nodum convolutis, & luminibus ad terram detortis; modò ambulans, modo plangens atque ſubſiſtens, mox iterum erumpebat. Atqui licuiſſet, immurmurans, innocentis aſpectus beneficio perfrui, nunc in hac quoque parte deluſus es: &, ut ſcias omnia in tuas miſerias conſentire, oſtentatâ domeſticæ familiaritatis ſpecie, ipſa veluti veſtalis virgo a paternis ædibus ablegata eſt: quin ubi ad eam forte commeares, e ſuis quoque ſedibus evanuit; quid ceſſas itaque infœlix amator etiam ex tuo pectore amoliri? Ad hunc modum cui iraſceretur ignarus, ex offenſione tamen pœnitentiam quærebat; tum ſuæ ſententiæ crudelitate perculſus, ſibi iterum blandiri cœpit, & ſperare ſecundiorem fortunam. Ac non ſum, aiebat, tam abjectæ ſortis, quin ad legitimas nuptias aſpirare liceat: quidni ergo ignave abis, & aperis tua vota Joſepho fratri, eoque interceſſore paternam voluntatem concilias? Jamque ambitioſiùs euntem, & ſuperbâ ſpe intumeſcentem, repreſſit temeritas tam audacis conſilii. Succurrebat, ignaris parentibus aufugiſſe a patriâ: nunc iſti culpæ maximum ſcelus adjiceret, ſi hic matrimonium quoque iniret: neque dubitabat, quin Joſephi prudentia petitionem ſuam hac objurgatione repercuteret. Neque, addebat, es adeò vulgaris amator, ut eam tibi mancipari velis, cujus parem benevolentiam

lentiam demereri nequis: nunc omni opportunitate præclusâ, quoad licet tamen prosequar: ipsique libentissimè reddam illum quem fecit ac meruit amorem, neque meipsum fraudabo jucundissimo tantæ voluptatis sensu. Et, ô si ipsa alter Josephus esset! cujus amicitiam castissimè colerem: aut ego in fratrum numerum succederem, & ipsius Josephi fœlicitatem adirem. His conditionibus spes alias libens omitterem, & intra modestissimæ pietatis terminos meum maximum amorem continerem. Hujusmodi votis & vanissimis figmentis ardorem suum sedare conatus est: & jam carmina meditabatur, quibus, ceu magicâ incantatione, sopiret turbulentos affectus. Mox ad fenestram cubito innixus, Politianum in horto spatiantem conspexit: eum adire & consulere libuit, atque in amici sinum exonerare tantorum affectuum molem: neque sciebat interim eodem onere non minùs gravari. Ut venit obviam, Politianus annotans vultum solito pallidiorem, & turbatum totius oris habitum, Ut valeret, interrogabat. Tum ille. Morbum quidem confiteri pudet, quem vel meipso rectiùs præsensisti: jam victus fractusque succumbo, ni tu properè medicum agas, & læsæ mentis curam susscipias. Ad hæc verba, Politianus gravissimo oculorum conjectu in ipsum intuens, neque dum ulterius progrederetur expectans, Itane verò hujus, inquit, domicilii sanctitatem, & liberalis hospitii jus, tuâ libidine polluis atque pervertis? non ipsius familiæ reverentia & pudor, non morum majestas, non tot præceptorum assidua inculcatio (utcunque mea monita fastidias) a teterrimo scelere absterrent? quod si tam impotens animi es, licet redeamus in patriam, & præcidamus semel occasionem tam indigni facinoris. Hæc dicta tanto impe-

impetu atque ardore impreſſit, ut Eugenius vehementi pudore confuſus, tum temporis præberet pœnitentis ſpeciem, & in alium ſermonem diverteret: atqui poſtea per otium expendens, primùm quidem non ſatis amicè, neque pro notâ Politiani prudentiâ tempeſtivè prolata arbitrabatur, mox in aliquam ſuſpicionem veniebat, hunc eodem quoque morbo torqueri, & repetitis prioribus indiciis, exindè curioſius obſervare pergebat. Politianus, etſi anteà non obſcurè cognoverat minùs ſimulatam Eugenii voluntatem, nunc tam apertâ confeſſione turbatus, eo vehementiùs excandeſcebat: & quia diffideret abſtrahi poſſe, ut ſibi gravem reſpicere cœpit. Eſt adeò improba amoris vis, & immaniſſimus furor,; ut non modò cæteros affectus ſuperet, ſed ipſam quoque amicitiam ſuis votis obſtantem extinguat.

NOVÆ SOLYMÆ

Liber Quartus.

TOrquebant ſe indies his curis miſerrimi juvenes: quod ob oris mœſtitiam, & affectatam ſæpius ſolitudinem, Joſephus advertens, neccdum exploratâ tantæ ægritudinis cauſâ, ut languentes animos refocillaret, ad purioris auræ benigníta-

nignitatem provocavit: cùmq; adeſſet vindemiæ tempus, opportunitatem adjecit exeundi in paternas vineas. Uterque tacitè ridebant tam inutilis officii vanitatem: graviter quoque ferebant adeo mutatæ ſanitatis aliquam extare indicationem; quam ut a ſe magis amolirentur, ac ne ulteriorem cauſam quærendi darent, ſimulatâ propenſione amplectebantur. Deinde omnes, conſcenſis equis, ab urbe in campos deſcendebant. Hìc Joſephus in medio equitans, & regendi ſtudio deditus, hunc intereà ſermonem habuit. Nullum eſt (inquiens) generoſius ſpectaculum homine equo decenter impoſito, quicum, Centauri more, formam ſuam communicare videtur, & egregiâ facilitate regendi ipſam quoque animam inſinuare: tum quidem brutorum omnium animantium vere rex & imperator apparet, & ſe ſolio auguſtiſſimo attollit, non ebore, non auro, gemmiſve ſuffultus, ſed pulcherrimo fortiſſimoque quadrupedi inſidens, manu, voce, geſtuque, ad quoſcunque ſuos nutus circumflectit. Per hujuſmodi confabulationem dilabebantur ad vineam, quæ apud Emaum erat conſita. Hic res nova & inuſitata a vindemiatoribus Joſepho relata eſt: forte Alcimus illuc præveniens ſe muſto ſatiaverat: cujus ſpiſſiſſimi halitus, & gravis odor ſpumantis preli cerebri vires oppreſſerant. Operarii ebrio non illudebant, ſed madentem ac vacillantem utrinque manibus fulciebant; locumque humaniter circumſpiciebant, ubi ſoporis beneficio ingraveſcentem temulentiam exolveret. Nondum ſomno conceſſerat, cùm Joſephus accedens, & gravi aſpectu pauliſper intuens; tum ut alios ab iſto ſcelere efficaciùs abſterreret, hanc technam excogitavit: Nempe mentem ſubiit intolerabili pacto ſibi mancipare

Chartam

Chartam itaque & calamum poſcens in hunc modum breviter perſcripſit. Ego Alcimus filius Apollo me Joſepho Jacobi filio in puram & perpetuam ſervitutem do; ipſique in me vitæ ac necis poteſtatem facio atque concedo. Poſtquam prælegerat, ſuâ manu conſignare jubet. Ille temulentus & impos animi, aſſenſu quæſito, cum obſcuro murmure annuit, & calamo inter digitos poſito oblatæ chartulæ notam incompoſitæ lituræ affigit: omnes qui aderant teſtes adhibiti ſunt. Ex quo facto, ſibi relictus, & quietem carpere permiſſus, ſopori ſe dedidit. Unde poſtea, dum Joſephus hic moram traheret & fructuum rationes colligeret, vaporibus per ſomnum conſumptis, lucem recepit: primùm ubinam eſſet, aut quid ageretur incertus, loci faciem circumſpectabat: mox vineam & prelum agnoſcens, & nauſeantis ſtomachi intemperiem, ac pudefactus ebrietatis memoriâ, e conſpectu clanculum abire prætulit. Vix dum exurgens ſeſe averterat, cùm miniſtri a Joſepho immiſſi ad tergum conſequuntur, & injectis manibus a curſu retrahunt. Ille fronte converſâ, Quid pararent, interrogat. Optimo jure tecum agimus, reſpondent, qui hero ſuum fugitivum reddimus. Commotus his verbis tremebat admodum neque ullam reſponſionem reddebat, confuſus atque ignarus quo ſenſu hæc dicerent aut quid de ſe agitaretur. Ut verò coram Joſepho venit, ore dejecto pudibundus, in has preces prior deſcendit: Miſereſce quæſo humanæ infirmitatis! æſtus vehemens & muſti præpotentia incautum neque multum intemperantem ſuperabant. Si quid tamen deliquerim, id ex tuâ prudentiâ æſtimes; iſtamque pœnam quamcunque tu ſtatues æquiſſimè feram. Joſephus ne cœptam fabulam turbaret,

baret, ſimulatâ ſeveritate ſic excepit. Haud a te expeto graviorem pœnam, quàm tu tibi ipſe conſtituiſti. Deinde e ſinu chartam protulit, quâ breviter perlectâ. An recogneſceret, ab ipſo quæſivit. Ille haud ullam tam amplæ conceſſionis imaginem ſe memoriâ complecti dicebat. Atqui, referebat Joſephus, hos teſtes habeo tuam ipſius eſſe ſubſcriptionem. Nunc vides ex hac qualicunque ebrietate quanta oriantur incommoda; quæ non ſcelera paterer is? quæ non ſubires incommoda? poſſum te ad fodinas, ad remigium, ad laqueum damnare: neque ullis humanis legibus ab hac iniquâ pactione eo prætextu te expedires: et ſanè æquum eſt eum eſſe alieni juris, qui ſeſe & rationem ſuam tueri non poteſt: tu tibi prima injeciſti vincula, & ſævioris domini ſubiiſti imperium. Ad hæc, Alcimus in lachrymas effuſus, Agnoſco, inquit, & ipſe omnium maximè deteſtor: neque nunc vigil & ſobrius recuſo eam agere pœnitentiam cui me hæc intemperies ſubjecit: Joſephus, his auditis, & eum quem voluit finem conſecutus, remiſſiori vultu. At ego, dixit, cùm te hujus vitii nexu atque dominio ſolutum videam, nunc ſolvo, mittoque e manu meâ. Simul hæc dicens, chartam in fruſta laceratam abjecit. Inde repetitis equis convehebantur una in urbem. Ubi domum reverterentur, Joſephus, ut cum ipſe abeſſet juvenum animos perpetuis ſtudiis exerceret, & triſtiores curas abigeret, librum obtulit, in quo miſcellanea quædam carmina congeſſerat; atque iis legendum permiſit. Eugenius accepit, ac ſtatim inſpiciens, primo forte intuitu agnovit Jobi diras in Latinos elegos ad hunc modum variatas.

Iſta dies pereat quæ noſtri conſcia partus,

Et

Et nox quæ puerum rettulit esse fatum:
Istadies nox sit, nec vultu maximus æquo
Ætheris æternâ spectet ab arce Pater;
Non unquam radiis niteat discreta diurnis;
Mortis, et inferna polluat umbra domus.
Desuper incumbat spissa caligine nubes
Et sævi facies terreat atra poli;
Cæca tenebrosam perdant oblivia noctem;
Nec sibi Sol jungi, nec sibi Luna velit.
Sola sit, et vacuas consumat inutilis horas;
Ulla nec interea lætior aura sonet.
Tempora qui damnat, diris hanc damnet acerbis:
Quique ciet miseris tristia vota modis.
Hesperus et lateat, speratæque flamma recedat:
Sed neque Luciferi lumina prima ferat.
Nam quia non uteri portas obstruxit aperti;
Nec luctus oculis abstulit illa meis.
Cur ego non ipsâ perii præreptus ab alvo?
Nec modo quam subii reddita vita fuit?
Cur nec amica parens genibus præcluserit adactis?
Ubera nec misero sponte negata mihi?
Scilicet æternâ posito sub pace liceret
Mortis inoffenso posse sopore frui.
Conderet alta quies comitem me regibus æquum, et
Consulibus, vastas qui posuere domos.
Vel cum principibus, multum quibus obtigit aurum;
Nec minor argenti gaza relicta tumet.
Aut ego jam nullus fueram: ceu fœtus abortæ
Deperit, aut soboles nescia luois abit.
Illic invalidos cessant vexare tyranni;
Illic emeriti dona quietis habent:
Turbaque communi recubat captiva sepulcro,
Victoris tumidas non subitura minas:

Illic et ſummi cives miſcentur et imi:
Servus et indigni jurgia temnit heri.
Heu quianam miſeris nimiæ lux addita vitæ eſt?
Et tantum inviſi temporis ager habet?
Qui mortem exoptat crudelia vota negantem
Ut terrâ poſitas quærit avarus opes.
Scilicet infœlix non ficto pectore geſtit,
Et tandem invento funere lætus obit:
Quem præcluſa latet melioris ſemita vitæ,
Objicit et votis undique ſepta Deus.
En mea præveniunt vacuas ſuſpiria fauces,
Et fluvio ſimilis fletus ab ore ruit:
Quod reputans mecum præſagâ mente verebar,
Accidit, & ſummo triſtior ira metu:
Non ego tutus eram, ſtabili nec pace potitus;
Heu nunc præcipitem ſæva ruina premit.

Perlecto carmine gratulabatur eruditam pietatem, quæ ad ſenſum ſacri carminis ſuum nativum ſplendorem adjiceret. Hic Joſephus. Certè ſpiritus ſacer, neque ab iſtis elegantiis omnino receſſit, ne vaniſsimi mortales ſolidæ veritatis fructum faſtidirent; neque nimis anxiè affectavit, ne in floſculis & pigmentis immorarentur. Hæc ſcriptura familiariter exhibet rectam ſceleris & gratiæ conditionem: & (ut illa ſeponamus quæ ſunt nebulis & myſteriis involuta) ad hanc evidentiſſimam rationem audeo omnium impiorum calumnias adigere. Hìc vera pietas ubique præcepta, & non tantùm ſublimibus ingeniis, ſed infimis quoque captibus conformata, in vitam tranſit, uſque ad primos animæ motus divinæ autoritati ſubſternendos: hic perfectiſſima juſtitiæ lex, & humanarum ſocietatum adminiſtratio: hic veri

numinis

numinis pulcherrima deſcriptio; & ipſius redemptionis ratio: ac denique omnium earum rerum, quas aut agi, aut cognoſci ab homine oportet, plena & genuina repræſentatio: neque ulla philoſophorum dogmata hujus doctrinæ dignitatem adæquant: etſi aliquam divinitatis auram a Judæis per manus acceperint, quod a Moſe videtur innui, fore ut eorum ſapientia omnibus populis admirationi eſſet. Atqui veri numinis ſcientiam, quod eſt unicum rectæ religionis fundamentum, ut myſticum naturæ ſecretum, aut tanquam magnificum Perſarum regem, a populari conſpectu ſubtrahunt: cùm tamen omnium communiter interſit ipſum intueri atque amplecti: unde nec ulla Ethnicorum gens illorum præceptis imbuta, hujus doctrinæ efficaciam, & ſacræ pietatis ſenſum retulit: neque ipſa poetarum inventa hanc divinam majeſtatem & cœleſtium rerũ ſublimitatem accedunt. Ac nihil æque fidem adjuvat, & his ſcriptis autoritatem conciliat, quam manifeſtæ divinitatis radii in omni paginâ coruſcantes. Cùm Platonem aut Xenophontem lego, illius ſublimem ſapientiam, hujus ingenuitatem & prudentiam agnoſco, & doctiſſimus quiſque mecum agnoſcit: in Cicerone de ornatiſſimâ ubertate conſentimus: in Virgilio de majeſtate carminis, & efficaciâ ſermonis: ac non minùs divinæ veritatis lumen his oraculis ineſſe conſpicuum eſt; unde veriſſimè dicitur, Qui Moſi & prophetis non credit, neque, ſi quis a mortuis reviviſcat, illi ſit crediturus: non enim ex narrantis fide penderet, ſed adhuc ipſam veritatem requireret, quam nuſquam evidentiùs expreſſam inveniat. Et quis hæc ſobriè perlegens non interdum perculſus atque attonitus hæreat alio quodam more,

quam ex hominum ſcriptis evenire ſolet? Neque ipſi Chriſtiani ſcriptores, aut prædicatores ejuſdem doctrinæ, hujus ſtyli majeſtatem & ſimplicitatem exprimunt, quanquam & demas diverſarum gentium ac ſeculorum proprietates. Denique hæc ſacra ſcriptura in mediis temporibus a Deo edita univerſam mundi hiſtoriam complectitur. Primùm mirabili vaticinio ab initio creationis orditur, tam multis ſeculis anteacto, inde poſterorum fata prænuncians, ad cœleſtis ævi æternitatem producit. Atque ut omnibus innoteſcat jam olim perfectam & conſummatam eſſe, ille ultimus Apoſtolorum, quicum hæc prophetica virtus extincta videtur, fatali denunciatione claudit atque obſignat: Si quis huic libro addere voluerit, Deus addet ipſius ſuppliciis: ſi quis ſubtraxerit, ab illo ſubtrahet ſalutis partem. Prius quidem viſionibus, ſomniis, et inſpirationibus divina voluntas privatim patefacta eſt: poſtquam gens noſtra in rempublicam coaluit; additæ ſunt ſcriptæ leges, cum exemplaribus ſuperiorum temporum. Hæc antiquiſſima rerum monumenta a Deo tradita, admirabili providentiâ hucuſque ſervata ſunt: non hoſtium invidiâ, non criticorum injuriis; non tot annorum ſenio violata: quin nobis, qui in exitu mundi naſcimur, ac iſtis divinis revelationibus orbati ſumus, inſtar omnium vaticinationum, ut perpetua veritatis ſtatera, tranſmiſſa. Quin ut ipſi intelligatis certiſſima univerſæ veritatis principia in divinis monumentis extare, ad Academiam noſtram deducam, ubi craſtino, ut audio, die prælector Phyſicæ Philoſophiæ ejus ſummam e ſacro codice deſumptam, et ſuis commentationibus explicatam tradet. Hac expectatione erecti proximo mane libenter adibant. Ædes gemina

erat

erat in altero urbis angulo versus occidentem sita. Hæc a dextrâ, illa ad sinistram, quadrangulari formâ constituta: utraque in medio lucum et vireta inter se latissime patentia conjungunt. Per hæc illi ad dextram deflexerant. Huc transmitti solet ingenua juventus ludo literario satis antea instructa, ut ulterioribus studiis excolatur: nempe hic Philosophiæ prudentiæque civili proximi triennii spatium impendunt; quibus optime formari solent ad omnia nobilioris vitæ instituta. Doctissimi atque gravissimi viri maximis stipendiis conquisiti discentibus præsunt: utuntur magis laxo ac liberali regimine, ac fere mediocri inter magistrorum severitatem ac plenam potestatem sui: neque eos in urbem egredi prohibent, et cum civibus versari, ac rebus communibus interesse: ne mox in vitam exituri, aut novi et imparati prodeant, aut immissis repente frænis ex nimiæ restrictionis tædio in solutiorem licentiam erumpant. Qui verò cujusvis scientiæ, utpote Theologiæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ professam conditionem sectantur, hi seorsim eruditiuntur in suis collegiis juxta ad lævam positis; ubi se his studiis singulatim dedunt, eo a cæteris tantum mutuantur, quantum ipsis commodè inserviat; ut suam quisque provinciam exornent: iique vicissim ad hos sæpe transeunt, ac ipsorum prælectionibus et colloquiis interfunt, et ad se recipiunt quod conveniat cum negotiis publicis. Josephus cum amicis in aulam ingressus, circa legendi tempus, opportunis in sedibus secum composuit. Hic ingens juvenum frequentia, qui in sellis ordinatim dispositi prælectoris adventum opperiebantur. Interea chartulas explicuerant, et calamos in manu promptos tenebant, omnia brevissimis notis excepturi, tanto scribendi

compendio, ut minimè moraretur dicentis cursum, graviter quidem et distincte procedentis : unde audita accuratiùs captarent, et librorum fidei mandata repeterent : ipsumque oporteat ob id studiosiùs se comparare, ne quid temerè effundat quod sit chartis imprimendum. Jn ipsâ pulpiti fronte brevis tabella suspendebatur, hac inscriptione quæ in omnium oculos incurreret, depicta. De ortu & occasu rerum. Nimirum hic erat titulus hodiernæ prælectionis. Tum Lector e conclavi cujus janua emittebat in pulpitum coram ingressus, sese in sede sublimem collocabat : mox silentio sponte præparato inductus, sic legere cœpit. Miris modis hallucinantur antiqui fere omnes Philosophi in perscrutandâ rerum origine. Naturam quidem causarum ductu usque ad principia insectantur : hic hæsitant, atque consistunt, neque ad omnium rerum autorem perveniunt. Ut qui fluvium vestigat retro ad primam fontis scaturiginem, hic quia nihil ultra in aprico positum suis oculis consequi valet, pedem figit, & illum ingentem aquarum fluxum ab ignobili latice oriri refert : cùm potius per abditos & subterraneos meatus ad immensum omnium fluviorum parentem penetrare debuerit. Simili more hi gradatim ad elementa, ad materiam, ad atomos descendunt : ubi verò causarum ordo & series deficit, illum latentem & inexplebilem hiatum inter rerum initia, & infinitam Dei virtutem vi rationis trajicere nequeunt, seu potiùs nolunt, cùm hic mentem suam, quæ totius naturæ cursum & universam mundi molem intra se complectitur, in illo immenso divinitatis Oceano obrui atque submergi sentiant. Nos vero quæ ab aliis obscurè de Deo tradita sunt, divini luminis beneficio, clarâ

ac familiari cognitione percipimus; & ipſius autoris indicio creationis rectam rationem introſpicimus. Illum itaque audiamus, quibus modis hæc omnia formaverit, neque ex hominum verbis & ſententiis ſtatuamus novam naturam rerum; quaſi ipſi dixerint, & factum ſit: aut fingamus orbem poeticum, ſatis ingenioſè & harmonicè compoſitum, ſed qui nativam veritatem prodigioſis conjectationibus & commentis ſuppleat: quin eum quem a Deo conſtitutum habemus nude & ſimpliciter pertrectemus; ac non ultra rerum principia ab ipſo creata, & primum edita, alia aliis ſubjiciamus: neque conjectaneas opiniones nimis pertinaciter exerceamus. Nempe nec convenit publicæ vitæ ſectatores hujuſmodi ſtudiis, rem, tempus, mentemque decoquere. Solomon quidem ex ſingularis ſuæ ſapientiæ beneficio utriuſque vitæ generi vacavit: id qui nequeunt, alteri incumbant, & in obviæ veritatis ſinu conquieſcant; quam ipſe orbis & ſacra philoſophia nobis exhibet, ac unde materia divinæ laudis abunde ſuppetit, cum ſatis ampla voluptate ſpeculandi, eâque fundamentali rerum ſcientiâ, quæ tum ipſos ab ignorantiæ nomine defendat, tum ſanam ac ſolidam judicii vim de aliorum inventis præbeat. Statutum itaque ſit, ab uno immenſoque creatore hæc omnia deduci: atque in ipſo temporis principio, cœlum ac terras, hoc eſt, centrum & circuitum, materiamque ac ipſa formarum principia, ſimul e nihilo prodiiſſe: neque tamen hanc formoſam mundi compaginem, quam vel hodie obtinemus, vel quæ ſeptimo die perfecta eſt; ſed quendam rudem & imperfectum fœtum ipſo in ortu ex nihilo

pro-

productum, digeſtumque a ſpiritu Dei tanquam ovum ſub alitis gremio: ipſe enim qui primus eſt motor, univerſis rebus motum indidit; elementarem maſſam atque congeriem temperavit; deinde claſſes ac familias diſtinxit, & unicuique proprias leges, ac terminos, & periodos conſtituit; unde ſuas provincias obire, ſuaq; ſpatia & munera vivendi conficere poſſint: quod ut magis conſpicuum eſſet, per ſex ſingulos dies gradatim perfecit. Ante omnia lux ſive ignis eductus eſt: neq; de igni quicquam aliâs profertur. Hic ſummam regionem occupat, & ipſius beneficio cætera ſunt illuſtrata: non quod hæc ſit nova ignis creatio, ſed quia in lucem editus, tum primùm e tenebris emicuerit: atq; idem quarto die de magnis cœli luminaribus memoratum eſt, quæ tamen clariſſimè conſtat noviter non eſſe creata, ſed compoſita ex iſtâ luce in orbes ſtellarum variè collecta. Poſt lucem ſimiliter illud ingens expanſum, quod vulgus cœli nomine compellat, a lucis puritate deciſum, & quaſi ſub pedibus poſitum, in ſuas regiones eſt diſtributum: infra quod aquæ ab aere disjiciuntur, cujus in medio nubes fluctuent, & inter utramque radiorum vim pendeant. Tertio quoque die nullum creationis indicium extat, ſed ipſius telluris ſegregatio ab immani aquarum colluvie: quæ utraque ſub initio creationis nominatim deſcripta ſunt. Ad hunc modum elementa ſtruebantur, ſecundum illam diſpoſitionem, quam hodie mundi ſitus indicat. Neque aliter ex his ipſis elementis perfectiorum rerum formæ profectæ ſunt, & ab eorum utero, ubi priùs latebant, per debitam temperiem excitatæ. Primùm tellus ex ſe herbas & arbores fundit: pariter Sol, Luna, ſydera e cœlo oriuntur. Tum inſtructo cœli ſolique theatro, vivi ſpectatores ſunt intro-

introducti. Procreat aqua piſces. Deinde alites in auras exeunt: quorum tenerior eſt ſubſtantia, quam beſtiarum, atque aer eſt aquæ maximè affinis. Ultimò omne quadrupedum genus terra parturit; nempe magis ſolidæ ac terreæ molis, &, antè hominem editum, perfectiſſimum. Atque ut ea quæ vigent non prius extitere quam elementa rite præparata erant; ſic neque ſenſu prædita, ante formata vegetabilium principia. Generationis benedictio non tranſfert aliquam vicariam creationem; verum idem quod de plantis perhibetur, quæ ſua ſemina conferre dicuntur; virtutem ſcilicet inſtrumentalem conformandi principia ejuſdem generis, et ſibi ſimilia propagandi. Ita denique hic egregius artifex univerſam mundi fabricam extruxit, ut deinde ſingulæ partes ſuos curſus abſolverent, ſui generis ſucceſſionem prorogarent, et ad totius orbis perfectionem, ex primis & intimis naturæ legibus, vel contra privatam indolem, conſentirent: tanquam machinæ ingentis conditor, qui ſic eam ab initio comparat, ut omnes rotæ ſuo ordine procedant, inter ſe contrario forte atque averſo, & per diſparia temporis momenta, mutuo tamen impulſu, eoque omnium & ſingulorum conſenſu, ut totius operis finem conſequantur. Ad hanc itaque creationis hiſtoriam, velut ad Lydium lapidem, Philoſophorum ſententias revocare debemus. Primùm agnoſcimus duo iſta rerum ſenſibilium principia, materiam ſcilicet, & formam. Materia eſt illa communis moles quæ per ſuam quantitatem ſe prodit; eſtque ſedes, ſeu corpus formarum, unde incraſſari, & rarefieri, ac millibus modis variari ſolet, at ipſa nunquam omnino diſperdi. Huic forma tanquam anima conjuncta eſt, &

ob

ob id dicitur materialis, quod cum materiâ in eandem ſubſtantiam conflata, & per eam extenſa, & ſuſtentata, ſine illâ ſubſiſtere nequeat: atque ut materia per quantitutem cognoſcitur, ſic ipſa a qualitatibus & virtutibus ſuis, quæ ſunt ejus poteſtates, & radii, per ſphæram, ut vocant, activitatis diffuſi, quibuſque induta foris ſe profert, & noſtrorum ſenſuum notitiam ſubit, atque ad ipſam menrem pertranſit per ſimulacra ſeu ſpecimina qualitatum. Materia verò neque ſeipſam ab æterno creavit, neque formas ex ſe congenuit. Quis enim mentis paulò ſanæ, aut non compulſus in extremas falſæ opinionis anguſtias, patiâtur illam ſummam & infinitam virtutem ſeſe & omnia procreandi viliſſimis naturæ ſordibus aſcribi, quibus nulla vis ineſt, nulla activitas, ars & ingenium omnino nullum? tum unde hæc rudis & ſimplex & ubique ſui conſimilis moles ederet tantam formarum varietatem, tantæ varietatis formoſitatem? Iſta itaque materiæ potentia, quam ut formarum originem exhibent, nihil eſt aliud, quam recipendi deſiderium, & indiſſolubilis conſociatio; ut quæ oritur ab egeſtate utriuſque principii, quod cùm ex ſe imperfecta ſint, hanc primam perfectionem ambiunt, ac ne in ipſa creatione disjuncta erant, neque dum natura conſtiterit ullâ arte ſeparari poſſunt: quin ut materia univerſum orbem ubique perimplet, ſic formæ pervadunt omnem materiam. Cum illâ primâ rerum materiâ formæ rudes coagulabantur; atque inde tanquam ex communi theſauro in quatuor loculos elementorum digeſta ſunt. Hanc materiam elementaribus formis conveſtitam, ſecundam cognominant, ex

cujus

cujus itidem poteſtate formas perfectiores oriri perhibent: neque id abhorret a priori ſenſu: nimirum elementorum debita temperies ſemina formarum, quæ inibi prius latebant, cum ipſis connata & complicata, contrariarum verò qualitatum malignitate obſtructa, in externam faciem & actum profert. Elementa enim, quorum vires, atque ingenia in omni miſturâ deprehendimus, conſtat eſſe fundamenta corporum compoſitorum, & cum ipſâ materiâ a ſe præparatâ illis ſubeſſe inſtar alterius materiæ: tum formas proximas cum his permiſtas locum facere formis ſuperioribus, & ſic deinceps uſque ad ultimum naturæ gradum. Nos hanc opinionem amplectimur, ut Moſaicæ doctrinæ magis conſentaneam: neque adeo pugnat cum philoſophorum ſententiis: tantum, quas illi eminentias & potentias appellant, nos certiori vocabulo ſemina ſeu principia formarum dicimus; in hoc ſolo diſtamus, quod illi nimio naturæ ſtudio, hæc omnia ab elementis, elementa a materiâ, materiam a ſeipſâ oriri prædicent: nos hæc ſemina ipſis elementis inſeri, & concreari a Deo credamus, ac inde per debitam miſtionem in medium produci. Quod enim res quæque non habet, ipſis fatentibus, non poteſt reddere; ſi vero unumquodque elementum ſit principium purum atque ſimplex, tum ex horum compoſitione nihil profectò oriretur niſi quiddam medium miſtumque ex omnibus. Commiſceamus calidum cum frigido; quid inde præter tepidum expectemus? his infundamus humiditatem, proculdubio erit tepor humidus; adjice ſiccitatem; & adeptus es ipſum temperamentum ad

pon-

pondus; nihil vero amplius, nulla ſpes reliquarum formarum, animarumque vigentium & ſentientium. Sunt quidem plurimæ variationes pauciorum rerum; ut lucidi, & opaci, cujus ſpecimen in Iride habemus, omnes tamen intra coloris naturam conſiſtunt; nempe ſuis principiis conformes: unde ergo unicum ſimplex elementum parturiret qualitatem alterius elementi? ſi enim terra per ſiccitatem frigus ex ſe gigneret, tum etiam humorem per frigiditatem (quod in aquâ fieri teſtantur) aut ſaltem aliquam ejus proportionem: id vero quam ſit abſurdum, ipſi diſpiciant. Conſtat autem prima quatuor elementa eſſe fundamenta omnium elementarium formarum, & earum ſeminibus gravidata: uti tactus, cui omnes hæ primæ qualitates objectæ ſunt, proprium eſſe ſenſum agnoſcimus, & reliquorum ſenſuum ſedem; qui quamvis hujus miniſterio utantur, ipſi tamen ab eâdem animâ ſuam ſingulatim originem trahunt: neque vero hæc ſemina ſeu principia formarum in ſingulis quæque elementis ſubſiſtunt, etſi in miſtione huic vel illi magis propendeant, & aliquantam prædominationem exigant: nam & reliquorum partibus favent, & omnium contemperationem poſtulant, cum ab illis partim exurgant: neque poſſunt elementa pura & ſimplicia ſeorſim ſubſiſtere, quin mutuò inclinent atque adhæreſcant, ob nimiam nuditatem ac vehementiam: quocirca in initio confundebantur, ac ubi poſtea diſcreta ſunt & in ſuas regiones diſtributa, adhuc tamen eam miſtionem tuentur, quæ, ſtante naturâ, haud unquam diſſolvitur. Inde principia rerum perfectiorum, quæ primùm minimè apparebant, per gradus debitæ compoſitionis ex ſuis ſedibus exiluerunt. Horum principiorum

ſive

ſive ſeminum (quæ cum ipſis elementis coæva ſunt, utcunque non prodeant ante certam elementorum contemperationem) maxime curioſa & difficilis cognitio eſt, quia nullibi ſeparatim exiſtunt: nempe ipſa elementa ſecum invicem coire gaudent, neque ſuam formam elementarem produnt niſi per mutuam miſtionem: tum neque formæ operantur, aut in conſpectum veniunt aliter quam per ſuas qualitates; quibus compreſſis, aut ſolvuntur, aut occultantur; non minus quàm ipſæ qualitates, quæ, cum ſpecies intercipiuntur, ſenſus noſtros non pertingunt, ſed vel abeſſe, vel non eſſe videntur. Quis lucem et calorem, quæ ſe maximè oſtentare geſtiunt, in ſilice quærat, priuſquam per conflictum explicet? quis vino ſuſpicetur nondum digeſto, aut calci nondum per humorem ſolutæ, tantam ſubeſſe ardoris vim? et tamen hæc ſemina jam ante præparata, & per primum exitum eruptura ſubſtiterant: dum verò latent, in ſuis principiis ſopita deſident, & cum inimicis facilè conſentiunt, qualitatibus ſcilicet per quas pugnant oppreſſis: donec remotis impedimentis per acceſſum ſociarum virium, in arenam prodeant, armata virtutibus ſuis: victa verò & profligata, aut adverſarum qualitatum vinculis conſtricta, in latebroſum carcerem conjecta quieſcunt. Idcirco fruſtrâ quiſquam quæſiverit ullum principiorum indicem, cum natura nihil conſpicuum præbeat, quod ipſum ſit purum, & non alienâ ope ſubſiſtens. Hoc tantùm ſcimus & profitemur: eſſe duo rerum ſenſibilium principia, materiam ſcilicet & formam: quatuor harum formarum claſſes, quas in orbe condendo Deus ipſe diſtinxit: deinde totidem numero princi-

pia

pia formarum, quot sunt rerum simplicium varietates quæ ex ipsa mistione non constant. Hinc quo ordine formæ rerum primùm constituuntur, per eosdem progressus multiplicari visum est: sicut aquæ rivus primùm arte hominum in canalem ducitur, deinde suo cursu perpetuò fluit. Ita Deus ex his elementis ritè compositis omnium formarum semina collegit, & in ipsas formas erexit. Inde parens perfectè conditus allicit atque confingit principia, & in seminis epitomen conjicit: quod in ejusdem generis cursu positum eandem multiplicandi facultatem obtinet: atque hæc ædificatio seu structura rei est ipsius generatio: certè parens, & materiam, & elementarem substantiam aliunde acceptam partui tradit: nec minus formarum superiorum principia: compositionem autem, ac proinde illam ultimam perfectionem, quæ rem ipsam denominat & ab aliis quibusque distinguit, sibi debet. Est nempe semen abundantis nutrimenti excrementum; corpus autem ex bono benignoque succorum atque spirituum supplemento, quos ex cibo desumit, seipsum alit augetque: ac propterea fomitem poscit sibi convenientem, qui neque sit nimis dissimilis, ob difficultatem resolutionis, & penuriam principiorum; neque omnino simillimus; ne natura actum ageret, & rem perfectam ad eos gradus revocaret, quos jamdudum præteriit; quod est contra ejus ordinem; ac si quis cibum præmansum regerat, iterumque per palatum demittat: illud verò quod proximè accedit ad materiam primæ concoctionis, quam chylum vocant, ut jus carnium excoctarum, optimè nutrit: neque non quædam animantia suorum corpora vel cadavera devorant. Generatio itaque non est decisio; cùm sit multiplicatio: neque

taurus

taurus qui plurimum ſeminis emiſit, minus formæ bovinæ in ſe retinet, quàm bos caſtratus, aut quàm ipſe prius habuerat: non externa impactio ſeu confabricatio; quia per internam unionem efficitur: neque nobis magis perſuaſum eſt, eſſe converſionem formæ uniusin aliam: tum enim unum elementum eſſet principium alterius: nimirum ſi forma aquæ verteretur in formam aeris, aqua eſſet aeris elementum, ac parens: imò ſi forma geniti, neque ſit pars formæ generantis, neque ex propriis principiis exurgat; tum eſſet novæ cujuſdam ſubſtantiæ creatio. At non omnes formæ integræ perfectæque ubique funduntur per omnem materiam, neque ſemina rectè præparata omnibus inſunt elementis; ſed juxta creatoris primam diſtributionem ipſa hæc principia variè ſpargunt̃, cumque ſint materalia atque extenſa, partim hic, partim illic, coagmentari probabile eſt: tum etiam elementaria, & inferiora principia ſuperioribus communiter inſerviunt: ut ſi equus herbam digerat, cum principiis equinæ ſubſtantiæ, vegetatricia quoque & elementaria, ut his ſubjecta, unà deſumit. Itaque generatio fit per juſtam conſtitutionem principiorum ſuorũ: plerũq; quod omne ſimile attrahit ſibi ſimile, & cum illo conſpirat. Ita calor evocat calorem, & principia ignea vehementer attollit, per diſſipationem contrariarum qualitatum: mirum eſt quidem quantum ignis ſuffocati lateat in omni materia uſtibili; verùm hujus elementi genius adeo fortis eſt, ut ſuas partes liberrimè abſolvat; adeo purus atque ſubtilis, ut fuſiſſimè explicet; adeo denique lucidus & manifeſtus, ut clariſſimè ſe ſenſibus ſubjiciat: neque omnis flamma eſt purus ignis, ſed & fumus accenſus: ſic ferrum candens adhuc ferri naturam retinet, utcun-

que ignis in lento & tenaci fumo defixus, totum permeare, & possidere videatur. Aer qui igne est minus subtilis, ex unicâ guttulâ in amplissima spatia sese effundit. Neque nos inficiamur æquivocam generationem: quin hæc quoque ex propriis principiis confit sed extra ordinem communis generis. Motus calorem excitat in corpore calidæ virtutis fœto, neque minùs frigiditatem in frigido; quod de ventis manifestum est: idque per modum instrumenti: ut rumvis enim ex se fundere, quis potest induci ut credat? tum enim vel esset idem cum igne, vel alterum ipsius principium: atqui e converso activæ qualitates motum producunt; quia forma est principium activum, & suos motus per has exercet. Nili limus animalia progignit, nempe per debitam præparationem principiorum, unde vitæ semen exeat, a solaribus radiis accensum: neque alio more stirpes & herbæ ex collectis in telluris utero principiis nascuntur, quàm si agricola seminibus conserat. Fit hæc etiam aquivoca productio per semina proximè dispositæ, ut cum asinus ex equo mulum generat: unde elucet hujus generationis proposita ratio a communi non multum diversa. Ex his sequitur corruptionem nihil aliud esse, quàm demolitionem formæ compositæ: neque si principia interirent, sine novâ creatione restitui possent: hæc itaque cum materiâ creata, non magis quam ipsa disperdi queunt. Cum terra in aqua submergitur, ut sal, aut saccharum liquefactum, vel argentum in aquâ forti solutum, terreæ tamen particulæ supersunt, ita ut quandoque suam formam recipiant: neque cum aer absorbet humorem, vis aquea deperit, ut non denuo in imbrem recidat; quod in fumo argenti vivi insigniter apparet: neque ipse ignis adeo cætera elementa

menta depaſcit, quin dum ſe claro incendio quaſi victor attollit, terram in cinere, atque etiam in fuligine, aquam & aerem in fumo, atque hunc in flammâ ſecum conſervet, & cùm omnium ruinam & internecionem expectes, ipſe plus juſto tyrannidem exercens, ſuam ſedem ac regnum convellit, & in primi fontis latibula relabitur. Nihil certè redigi poteſt uſque ad nuda & pura principia: neque ullum oleum aut fumus aut cinis ejuſmodi eſt, ut hæc eſſe rerum principia credamus: cùm id longè diverſum eveniat, neque ipſa compoſita tam inter ſe differant, quàm eorum ultimæ extractiones: unde ſatis liquet ea quoque ex propriis, iiſque diverſiſſimis, conſtare principiis. Siquidem Deus per primæ creationis legem, omnium rerum ordines, & curſus, & metas defixit; & hæc quæ maximè fluxa & caduca videntur, omninò tolli aut aboleri nequeant, imò ne ad propriam ſimplicitatem reduci. Ipſe terram, ceu totius domûs pavimentum, immobili ſoliditate ſubſtravit: ipſe tectum cœleſte fumavit, perpetuis curſibus minimè attritum: ipſe ſingulis rebus indidit univerſi curam; non ex aliquâ charitate civili, ſed a communis naturæ conſenſu; unde fit, ut quamvis levia ſurſum, gravia deorſum dirigantur, tamen in omni locali motu iſte ſit princeps atque ſupremus, quem primum in creatione acceperant, ſcilicet orbis ſui completionem: neque quicquam proprium aut privatum agere poſſunt, antequam in hac circulari vicinià collocentur, ſummâque neceſſitate inducta naturæ fines tueantur. Sic itaque edito pulcherrimo hujus mundi palatio, ipſum hæredem ac dominum induxit, e terreſtri pulvere compoſitum, & vitali ſpiritu inſpiratum. Cum enim omnis natura gradatim aſcendat ab imperfectis ad perfecti-

ora; ac proinde ſint plurima participia & media animalia quæ rerum claſſes continenter adjungunt; id potiſſimum in homine apparet, qui cum pulcherrimâ pecude, corpore ſcilicet humano, mentem, ſeu dæmonem, maritat; cujus natura eſt omnino alia atque diverſa a formis elementaribus. Hanc duplicem hominis conditionem hiſtoria creationis apertè deſcribit: corpus e terrâ formatum, id eſt, e principiis terreſtribus in hanc formam compaginatis: mens autem a Deo infuſa eſt: neque eodem more produci dicitur, quo cætera animalia ſunt ab elementis enata; quod & alibi expreſſum legimus: pulverem noſtrum ad terram redire, ſpiritum ad Deum qui ipſum ediderat. Angelos corporeæ generationis expertes ſingulos ſimul creaviſſe credibile eſt. Homines quotidie creat ſecundum primæ inſtitutionis legem. At non hæc creatio animæ tollit humanam generationem, imò verò clariſſimè explicat omnium generationum veriſſimam rationem: nam ſi quid aliud eſſet, quàm principiorum prius creatorum recta compoſitio, & conſtitutio, tum homo non gigneret hominem: quòd ſi poſteriorem ſententiam teneamus, hominis generatio parùm differt a communi: atque adeo pater pro ſua parte ante unionem non minus conducit, per debitam ſeminis prædiſpoſitionem, quàm ipſa mater, cujus in utero hæc denique peragitur. Has itaque animas ratione præditas, ſicut terra primum non parturivit, ita nec Africa, nec Nilus parturit. Neque fabuloſos Pyrrhæ lapides agnoſcimus. Certum eſt homines marinos, & aliquot ejuſmodi monſtra noſtram faciem referre: atqui mens humana non niſi per hominem inducitur: quin ex hominis cum beſtiâ congreſſione nullum medium animal quod ſit neutrius generis enaſcitur:

ſcitur: verùm aut homo ſit, aut beſtia; prou Deus ipſe accedere velit: utcunque hic fœtus, ſi ſit humanus, ex carnis temperie belluinos mores ac formam referat; quod interdum accidit ex hominibus nato: aut ſi belluinus, hominem ſimulet, quod & ſæpe apparet in beſtiis: ſuum tamen genus disjunctiſſimum ſervat; & vel eſt, vel non eſt rationis particeps, & ipſius æternitatis capax. Et quantumvis pecora aliud ex alio conſequi videantur, non tamen ideo philoſophantur, aut verſantur in orbe intellectuali; vel per ea quæ ſunt ſenſui ſubjecta tranſcendunt ad illa quæ ſentiri nequeunt: cùm mens noſtra alteram rerum faciem, & quaſi alium mundum in mundo intueatur: ac mirabilia Dei opera, & interioris naturæ Ideam perſpiciat: tum ſeipſam, ac ſibi congeneres Angelos inviſibili ſuo lumine perluſtrat, & ad ſupremi numinis immenſitatem quodammodò aſſurgit: anima quidem corpori coaptata eſt, & per iſtam aptitudinem hujus vitæ officia exercet: at vero ſenſuum errata refutat, corporis motus mente corrigit, & tanquam hujus conditionis moleſtias propriæ libertatis conſcia indignaretur, vitæ vincula violenter abrumpit; quod nulli pecudum accidere poteſt: quin miſerrime omnia extrema perferant potiùs quam mortem ſibi conſciſcere, & ſeipſos perdere velint: unde conſtat naturam noſtram non pendere a cauſis elementaribus, quæ nihil ſupra ſe audent. Mens autem in hoc corpore incluſa ex duplici defectu eſt dæmonibus inferior. Primùm quod non niſi per ſenſuum mediationem hanc rerum faciem contempletur, ac non ipſa potius intueatur, ut oculus cernit, atque aures audiunt. Tum quod neque ſeipſam commoveat, ne-

que corporeis ſpiritibus vim ullam adjiciat, ſed tanquam auriga in curru conſidens alieno impetu circumferatur: aut ut fœtus utero involutus, non iſtas facultates exerat, quarum ipſius natura capax eſt: neque verò ſeparatim ſubſiſtere poteſt ſine aliquo vigore & virtute propriâ: aut ullam inde fœlicitatem caperet his perfectionibus non conveſtita: & proculdubio homo perfectè creatus pro illo ſtatu quem primum ſubiit, ad altiora jamtum deſtinatus fuit. Multi adverſus conſcientiæ teſtimonium, & extremi judicii neceſſitatem, incertis rationibus & argumentis excuſſi, æternitatis ſuæ fiduciam deſerunt; neque ad infiniti creatoris virtutem ſuſpiciunt, qui hunc indiſſolubilem cœlorum orbem, qui principia rerum, rudemque materiam hucuſque perpetuat, & in æternum perennare poteſt. Nos certè noſtram immortalitatem amplectamur, & res dignas hac immortalitate ſequamur: quæ ſi nulla futura ſit, & Deus in orbe condendo operam ſuam malè perderet, & homo ipſe vaniſſimus eſſet: ſi quis vitæ ſummam æſtimet, & cum lætis adverſa conferat, ſomnum & requiem quæ morti proxima eſt, optimam ejus partem cenſuerit. Certè ſi ad æternitatem reſpiciat, ob eam quantulamcunque ſpem, hæc omnia quæ viventibus accidunt nemo ſanus nolit deponere: cùm hic nihil perfectum, nihil ſolidum, atque ſincerum ſit, aut quod animi deſideria terminet, præter hanc nobis a naturâ inſitam perpetuæ fœlicitatis expectationem. Finitâ lectione, illi domum regrediebantur. Hic inveniunt Joſephi ſororem jam tum ipſum reviſentem, & quod non dudum affuiſſet cum illo adiret ob quædam materteræ negotia excuſantem. Hujus aſpectu atque colloquio juvenes in priſtini

ſtini amoris æſtum relabuntur. Poſtquam diſceſſerat, Politianus ſe in ſecretam ſedem abjiciens, & agitatus impetu ſuorum affectuum hæc ſecum tacitè revolvebat. Heu mentem miſeram & inimicam ſibi, quam ſua macerat & torquet cupiditas! quid enim perdidi? aut quorſum querar? ſi hanc pulcherrimam virginem nunquam conſpexiſſem, nihil dolerem: nunc ſaltem aſpectu potitus infœliciorem me fieri ſentio. Nam quem alium incuſem? an naturam, quam in illâ maximè mirari debeam? an virginem? at hæc adeò immunis eſt ab hoc veneficio, ut ſe adhuc amari neſciat. Quam ſimillimus eſt amor invidiæ, qui alienis bonis intabeſcit? neque ab illâ prorſus abhorret: quis enim rivalem ferat ad eadem vota tendentem? Ignoſcere debes mi Eugeni ſi non ſim minùs oculatus, neque decedere poſſim tantæ fœlicitati. At quis fratrem credat nobiſcum amare, & ob id noſtros arcere conſpectus? neque ulla ſanctitas tam divinam ſuperat pulchritudinem; neque ipſa fraternitas amoris impetum. Hæc & plurima fœdiora verſabat, cæde, furto, & peſſimarum rerum imaginibus mentem & conſcientiam inquinans: donec relucente virtutis ſcintillâ ſuam ipſe nequitiam abominatus cum vehementi indignatione revomeret. At vos apagite furiæ inſanientis animi! tuq; tot ſcelerum turpiſſime parens! qui puriora noſtra corrumpis gaudia, & amiciſſimum quemque a me rejicis: vel ob hanc cogitationum immanitatem, ut teterrimo monſtro non tantùm renunciare debeo, ſed diris quoque omnibus devovere. Heu fuge, Politiane, fuge hanc ſceleratam ſolitudinem, teque ipſum tuum certiſſimum hoſtem: & te propere amicis redde, priuſquam hæc ſemina libidinum in furorem & odium

odium publice exeant. Tum illico foris evolans Josephum ubique quæritabat, cujus ingenuam pietatem in se plurimùm valuisse præsenserat. Nunc utcunque abruptis amoris vinculis ad firmiora remedia confugit. Ubi non oculis assequeretur, auribus fortè arrectis accepit citharæ sonum e propinquo se impellentem: dimotâ januâ, Josephum pulsantem aspicit, & Eugenium avidè haurientem. Huc ingresso Josephus capite annuens in modulandi studio pergebat: ac postquam absolverat, hoc carmine vocem exercuit,

Mortales oculi gaudent quæcunque tueri;
Seu rosa puniceis florem diffusa labellis,
Seu quæ lacteolo tollunt se lilia collo,
Aut ebur, aut fulvi feriat magis aura metalli,
Gemmaque perspicuos radiis incensa colores,
Sydereaque faces, cœlique æterna juventus,
Pulchrior & cunctis vivi non unica vultûs
Gratia, seu pueri, seu virginis ora tenellæ,
Quæ rapiunt avidos cognato fœdere sensus:
Omnia divino credas de Numine fundi.
Noctis ut astriferæ terrenâ conditus umbrâ
Cynthius auratæ dispergit semina flammæ
Omne per imperium cœli, populumque minorem,
Et Lunæ vacuum supplet lux decolor orbem,
Sic tua se variis ostentat gloria formis
O pater! ô princeps! rerumque æterna potestas!
A te cuncta fluunt, tibi se labentia reddunt
Secula: tu primi fœlicia regna parentis
Heu violata rapis: nostr ique intercipis ævi
Relliquias tristes, insanaque gaudia vitæ.
Quicquid ubiq; viget, quicquid mors sæva reposcit,

Quod

Quod petit, & quantum non expetit ipſa cupido,
Iſto fonte latent: in te ſpectabimus uno
Mille voluptates, & mille reſurgere mundos,

Carmine peracto, Eugenius impenſe laudabat, Politianus quoque nutu favebat: cujus triſtitiam & inquietudinem Joſephus ex oculis vultuque cognoſcens de valetudine amicè rogabat, Ille difficili riſu hanc quæſtionem a ſe amovebat. Quin ab ipſo flagitabat ut ſermonem de vitiis rerum ad Dei perfectionem attexere vellet. Primum quid cenſeret de venenis, de feris, de prodigiis, de morbis, deque omni mortis ſatellitio. Hic Joſephus, tanquam ad Herculeum laborem ſe pauliſper colligens, ſic exolvit. Idem cenſeo quod prius: infinitam eſſe potentiam ac bonitatem Dei; defectus verò omnes ex ipſis rebus oriri, quatenus non attollantur vi & prudentiâ creatoris e ſuâ nullitate ad illius perfectionem. Nunc ſingula breviter expediam: quæ tametſi rerum imbecillitatem prodant, nihil interea faciunt ad virtutem autoris elevandam. Scire etiam debemus creatorem in hac naturæ fabricâ varietati ſtuduiſſe, & diverſiſſimarum rerum ſpecies per omnia elementa ſparſiſſe. Hinc ea, quæ nos venena dicimus, reliquis ſua virtute præcellere, alia in genere caloris, alia frigiditatis: neque dubium eſt in primâ mundi creatione hæc extitiſſe, cum innatâ fugiendi aut appetendi ſolertiâ. Hunc pertinent iſtæ compaſſiones, & pugnæ rerum; neque ſunt minima naturæ miracula. Tum & venenoſa animalia convenienti pabulo aluntur: et noctuæ lucem vitant, quantumvis pulcherrimam: necnon ipſi medicinæ, cujus nunc indigent afflicta mortalium corpora, viroſum aliquid ineſſe ſolet: quod

non

non inutili violentiâ naturam in contrarium abeuntem revocet. Atque ut hæc præstant qualitatibus suis, ita sensu prædita varietate affectuum: quædam sunt in extremæ formidinis regione posita, quædam in audaciæ & fortitudinis: hæc imaginatione plurimùm pollent, illa sagacitate atque astutiâ: & quascunque alias facultates universum brutorum genus obtinet, natura in singulis eminenter prodit. De feris curiosi quærunt, num in statu perfectiori prædari noverint: nos nihil certi afferre possumus, cùm ne homini quidem ante diluvium carnes concessas esse legamus: neque ulla fere bestiarum est hodie quin incruentis cibis nutriri possit: at non magis sagacitatem a canibus, quàm ipsas nares abstrahere licet: quare primùm fortè venatui ad lusum saltem indulgebant; quod nunc sæpe catuli minimè adhuc cruentati faciunt, deinde cædem ex fame addebant. Verùm probabile est ab initio feras & immanes belluas inter se familiares fuisse, & humani oris regiam majestatem, ut nunc flammæ splendorem, reveritas. Quin & multarum virtutum exemplaria ab his animantibus traduci possunt: annon molossus domino timiditatem exprobrat, & equus sessori ignaviam objicit, cùm in tela & hostilem tumultum adverso pectore vel invitum abripit? Monstra verò & prodigia rara sunt, & pro ostentis habentur: Poetæ multa hujusmodi ad aurium voluptatem confingunt: naturam perfectiorem illustrant, ac justa opera ex opposito commendant: sunt & divinæ libertatis indicia, aut fatorum plerumque subeuntium præludia. Morbi sunt flagella Dei, seu fasces atque secures divinæ justitiæ; & ejusdem generis, bellum, fames, pestilentia, quæ non tam hominum, quam gentium morbi sunt. In his omni-

omnibus, aut reprimendis, aut moderandis summa apparet providentiæ benignitas. Corpora nostra, tanquam circumlatitia horologia, aut ejusmodi tenerrimæ constitutionis machinæ, multis casibus & perturbationibus obnoxia, valent tamen sæpissime in seculum. Primi parentes cujusque generis improles obiissent, rediret atque insisteret aquarum diluvium, tempestates perpetuò sævirent, universum viventium genus pestis absumeret, nisi hic qui consultò immittit, idem prudenter temperaret. Quis medicorum aerem sanare posset? quis Batavorum excludere Oceanum? Multæ familiæ clarissimorum hominum ipsæque urbes & imperia funditus interciderunt. Naturam tempus arrodit, fortuna pervertit, mors enecat; solus Deus restituit, & singulis annis senescentem recreat. Ipse humanæ libidinis improbitatem intra certos fines & successus continet, & quamtumvis more tyrannico sæviant, ac cœlum tartaro miscere gestiant, nullâ tamen armorum licentiâ, nullis artibus atque insidiis, hujus mundi structuram convellere, aut animantium secula evertere sinit. Ipse singulis rerum momentis præsidet: nihil tam humile est, cui non summam voluntatem intendat; nihil tam magnum, quin facillimo nutu circumagat. Ineptissimi poetæ prædicant suum Jovem, nunc non vacare exiguis rebus, nunc a gigantibus superari: at necesse est eum, cujus omnia plena sunt, omnibus interesse & prædominari: cùmque sit optimus humillima respicere, & cùm maximus, summa subjicere. Hic res validissimas, & scitissimè compactas per leviores istas minutias intercipit: furta, homicidia, conjurationes, & altissima mortalium scelera rimas suas habent, per quas effluunt. Certaminum quoque & justi belli eventus, cui quisque suam

summam

ſummam virtutem, cum omni arte & conſilio impendit, hanc aleam ſubit: quandoq; inſperatum,& tumultuarium vulnus, aut unius viri caſus; quandoque ſubitus & vanus terror victoriam propè partam remittit. Verum enimvero multa & maxima ſunt quæ nos ne digito quidem contingere poſſumus: ut cætera omittam, quàm is eſſet opulentiſſimus, qui cœli dominus pro Solis uſu tributa poſceret, & tempeſtatum commoditatem divenderet? Hæc maxima mundi compaſcua, cœlum, aer, aqua, & telluris ſaltem inambulatio majoris ſunt uſûs & pretii, quàm quæ ditiſſimi privatim poſſident. Ut deſiit, Politianus nondum miſſum faciens, hac calumniâ ſermonem protraxit. Atqui ex eadem ratione, quam tu nobis primùm tradidiſti, ad eam ſententiam deduci videor, quæ duo numina ſibi contraria ſtatuit: ut enim bonitas boni autorem arguit, ita malitia mali. Imò verò, retorquebat Joſephus, ſi recte tenes, hanc omnem malitiam ex rebus ipſis oriri dixeram. Nam ſi infinitum numen excludit ſocium, multò magis hoſtem, & inimicum: quia cùm eſſent pares viribus, alter alterum luctando compeſceret, & ab omni opere impediret: aut ſi impares, tum inferior victus & ſubjugatus ſua parte rerum decederet; modò non penitus extingueretur; ut humidus Ægyptiorum deus igneum Perſarum deum oppreſſit: ſeipſos enim ut duces partium primùm odiſſe & oppugnare deberent. Quin ſi unus & idem Deus totius hujus mundi compaginem ac omnes ejus particulas creaverit, quis huic malo locus? aut quid ſit aliud quàm ipſarum rerum defectus? Eſt enim hæc malitia, vel abſentia ſummæ perfectionis; atque adeò nihil eſt bonum præter ipſum Deum, ad quem omnia comparata, vana, ac mala eſſe

eſſe agnoſcimus: vel corruptio debitæ rectitudinis: ut membra diſtorta inducunt corpori deformitatem, & intemperies ægritudinem: vel, quæ huic quiddam immanius adjicit, violatio imperati juris; ut delicta & flagitia noſtra, quæ a divinis legibus aberrant. Deus, qui ſummus eſt, idemque liberrimus, poteſt vel accedere, vel deſtituere, prout ipſe viderit: cujus enim eſt dare, ejus quoque eſt non dare, vel eo more quo libet diſponere: etiam primæ creationis facies inanis erat atque informis; &, ſi ſenſus aliquis ineſſet, fortaſse gehennâ non tolerabilior. Hic iterum Politianus, Ergo videndum eſt, inquit, ne Deum mali autorem facias: Hæc enim duo, malitia & bonitas, ab eodem fonte non promanant. Tum Joſephus: Rectè admones: atque ad id ipſum perducis, quod dicturus ſum. Deus poteſt omnia agere, quæ repugnant noſtræ voluntati; qualia ſunt, infirmitates, ſupplicia, neces: nihil quod ſuæ; tum enim ſecum pugnaret: illud verò propriè malum eſt, non quod abeſt a perfectione divinâ, ſed etiam obſiſtit, & adverſatur: neque Deus ipſe aliâ lege tenetur quàm ſuæ laudis & gloriæ ſtudio: nam ut ſalus populi ſuprema lex eſt humanarum ſocietatum, ita Dei gloria divinitatis: quinimo ea quæ per ſe ſcelera ſunt, nullâ datâ facultate patrandi, per divinam diſpenſationem ab omni crimine liberantur: præceptorum enim ſuorum ſummam & regiam poteſtatem in ſe retinet, uti & omnium reliquorum operum. Ipſe verò neque injuſtus eſſe poteſt, cùm ſibi reſiſtere nequeat; neque a nobis rectè cogitari, cùm non alio modo ad ipſius cognitionem perveniamus, quam omnia optima in unum contrahendo. Cur juſtitiam tam ſeveris præceptis imperat, tantis laudi-

laudibus ornatam exhibet, si injustitia magis allubescat? nonne, quod impii faciunt, profiteretur potiùs, & ostentaret ingenium suum? quâ lege vel quo judice damnari posset? aut in quem peccaret, præter seipsum? nam quis illi metas & cancellos statuat? cùm ipse solus sit mensura rectè & perperàm factorum: tum quâ fraude inductus, quibus rationibus inclinatus a suâ rectitudine decederet? nos quidem miseri, sæpe fictis erroribus capti, sæpius nostris cupiditatibus impulsi, ad illecebras & præmia scelerum deflectimus: illi nihil ignotum, nihil dubium, nihil non facili nutu parabile. Denique finge, ut libet, Deum tyrannico more regnare; quis tibi hoc in mentem indidit? cùm nec ipse de se quereretur, neque te sineret alere hanc scelestam suspicionem; nisi suæ sibi integritatis conscius, has omnes calumnias eluere nosset. Ex his patet Deum omnia bona creare, ac nos peccatum e nihilo fingere. Non enim elementorum furor, non ferarum rabies, non corporis intemperies peccatum constituunt; hoc monstrum est mentis fœtus; nempe quod ipsa liberè perpetrat contra præscriptam mentem Dei: neque cætera animalia, quibus nulla divinitatis conscientia, nulla voluntatis libertas inest, aut pietatis conditionem, aut peccandi capacitatem adeunt. Nobis verò ut ingenui & liberalis officii potestatem faceret, his pulcherrimis dotibus instruxit; quas ipsi in nostram perniciem vertimus, & a summæ nobilitatis gradu in turpissimæ calamitatis fundum decidimus. Quin Politianus nondum expletus, sed adhuc graviora mente concipiens ita demum exposuit. Atqui mihi videtur subesse nonnullus tristior atque asperior scrupulus. Cùm enim malum per se nihil sit, sed ab alienâ radice suppullulet; Deus

vero

verò omnium rerum & actionum autor & gubernator: qua ratione reddamus illum hujus noſtri ſceleris immunem, magis quàm omnium aliorum malorum, quæ in ipſis quoque rebus fundata ſunt? In exemplum ſit primum hominis peccatum: ſi nempe Dei providentiâ effectum eſt, ut crearetur illa fatalis arbor, ut tam ſacrâ interdictione ſecerneretur, ut parentes aſpicerent, & deguſtarent: ex his omnibus in unum collatis extat illud ingens & immane flagitium, quod omnium ſcelerum fontem aperuit. Neque ſi Deus eſt ullus, hæc providentia negari poteſt; neque cum illâ providentiâ hæc conſequentia eventorum: tum quantumvis interveniat voluntas hominis, non ideo ceſſat adminiſtratio divina, cui in nulla re potuit reſiſtere: quinimo ipſa libertas arbitrii ab illo donata, ab eodem pendet & operatur. Neque officioſe tantùm & ſerviliter aſſiſtit, nedum modò fieri permittit, ſed regio ſuo nutu deſignat; ac licet minimè cogat voluntatem, conſtituit tamen, & terminat, & rem ipſam fieri facit. Quis enim præterea credat illam ſummam maximamque machinationem Dei, quam ab omni æternitate ſecum inſtituerat, redemptionem ſcilicet humani generis per filium ſuum, qui ab orbe condito cæſus dicitur, & cui ipſa creatio præludere viſa eſt, ad incertitudinem humanæ libertatis rejici? Omnia quidem in ſinu ſuæ æternitatis complectitur, ſed exequitur ordinem externarum rerum: ac nihil certe præſcire poſſet, niſi ipſe huic certitudini ſimul ſubjiceret. Hic Joſephus ſtupens atque attonitus ſe diu continuit dum aptam reſponſionem moliretur, Eugenius interpellans, Hæc, inquit, vexatiſſima calumnia me diu ſuſpenſum tenuit; nunc mihi videor exolviſſe. Cui Joſephus. Audiamus itaque, ſi placet, ac nos tuo lumine impe-

impertire ne ceſſes. Tum ille, Hæc duo certiſſimæ rationis principia fixa & inconcuſſa utcunque retinenda ſunt: Dei ſcilicet providentiam in hunc orbem prævalere, omniaque in illo edita: neque ullam interim malitiæ ſuſpicionem cum ipſius puritate convenire: nec quidem poteſt ſuæ gloriæ refragari: poteſt autem velle, ut id alii audeant; quod ipſe juſtiſſimè convertat ad ejuſdem gloriæ illuſtrationem: nobis non item licet malum admittere, ut inde eveniat bonum; aut conferre noſtra peccata ad honorem Dei: quia per aliam ſemitam præſcriptæ legis ad eundem finem conſequendum dirigimur: idem enim quoad nos malum eſt, ob præcepti nexum, quoad hunc bonum, ob reſpectum gloriæ: nam qui adverſatur imperatæ expreſſæque voluntati Dei, quamlibet illud quod Deus decrevit neceſſariò perficiat, is tamen proculdubio peccat, cùm eatenus ſe animo hoſtili gerat: ipſe verò qui ſuorum præceptorum eſt autor & dominus, quanquam ab aliis refringi velit, ſecum tamen optimè conſentit, ſibique in univerſum conſulit: vult certè quodammodò malum fieri, quod etiam quotidie fit, cùm ſceleris ſcelus pœnam facit; quamvis enim punire ſit bonum, adhuc tamen peccare malum eſt: neque pœna eſſet ſine peccato, neque peccatum ſine præcepto: non ſunt autem in Deo duæ diverſæque voluntates, ſed eadem ſibi ſubjecta per diverſos reſpectus; ut & perfectè conſiſtat præcipientis autoritas, & peccantis iniquitas, & punientis juſtiſſima voluntas: & tamen idem qui præcipit punit. Certè Deus, qui ultima primò intuetur, vult homines juſtè damnari: quod ut legitimè faciat, ſuis præceptis illigat, ac ſtatuit ipſos peccaturos eſſe. Nimirum ipſe hunc orbem condidit ad ſui numinis oſtentationem: atque ut

omnium

omnium cæterarum virtutum, ſic etiam juſtitiæ (cujus vel ultimum apicem attingit) hæc in nobis exempla conſtituit. Interim noſtra voluntas ex ſeipſâ peccatum parit, quanquam ſubjecta ſit voluntati divinæ: ſcilicet Dei providentia non ſolùm ſe exerit in rebus ipſis per eam internam vim quam ex lege naturæ indidit; ſed & ſuper has per ſuam imperatoriam & infinitam poteſtatem: pariter quoque in nobis agit, & gubernat noſtram voluntatem, quam tamen, juxta hujus naturæ legem, liberam eſſe juſſit, & ſuæ ſpontis: regit quidem & terminat ex vi inſcrutabilis ſui decreti: non autem impellit, non ſuadet, non elicit, nec quovis alio naturali modo, aut circumſcribit, aut defigit; quo minùs ſuâ libertate fruatur, & voluntatis conditionem retineat, atque adeò hæc liberè peccet, ipſe ab omni noxâ ſe liberet. Neque infiniti hujus decreti vis aut nos reddit excuſatos, qui in ipſum hoſtiliter inſurgimus: aut hunc ſceleris participem facit, qui ſecum minimè pugnat. Quid enim Deo imputari poteſt, cujus ſancta & immenſa majeſtas a tenuitate noſtri judicii, neque debeat, neque limitari queat? quòd ſi adhuc quiſquam obmurmuret, cur itaq; peccaturos, & damnandos creaverit, ut ex noſtris miſeriis ſibi gloriam comparet: hic eandem divinitatē induat, ac ſe ponat creatoris loco, & virtute omnipotentis dexteræ alium orbem e nihilo extrahat? annon hæc eadem prudentia mentem illico ſit ſubitura, ut ſibi in luerum cedere velit, eamque regiam poteſtatem, & libertimam autoritatem oſtentare geſtiat? Et quis poteſt jure calumniari? cùm ſint omnia ipſius opera, neque ullius debiti lege teneatur, ſed in immenſæ libertatis ſpatia, nullo vetante, ſe circumfundat: num non & quiddam ſimile nobis in

pecudes impertit ? quarum, cùm occidimus & devoramus, nullam aliam rationem reddimus, præter usum & commoditatem noſtram : quod ſi hoc nobis in conſervos licet, quantò magis in nos domino, præ quo univerſum mortalium genus, ac tota cœli & terræ moles, ut pulviſculus eſt lanci incidens ob id minimè præponderatæ. Joſephus hæc tacitè perpendens, Idcirco, ſubjecit, omnis hujus controverſiæ nodus perpetuò recurrit ad illam infinitam autoritatem Dei, cujus neque rationem accedere, neque menſuram æſtimare poſſumus : quocirca hoc immane ſecretum mens noſtra nunquam ſatis exquiſiverit; & tamen non ceſſat inveſtigare : at qui funditùs ſcrutari audent, ceu vertigine correpti, huc illuc titubant, atque vacillant : aut enim providentiæ injuriam faciunt, aut juſtitiæ non ſatis provident : & ipſe quidem hoc ſæpius admonet, ad nos noſtra pertinere, nempe iſta explicitæ voluntatis præcepta ; ſe ſuas partes tueri velle, & hucuſque ſervare ſecretas in arcâ non introſpiciendi pectoris. Certe Paulus, ille clariſſimus divinitatis interpres, convictus ſimul & confuſus exclamat : O profunditatem ! ô abyſſum ! atque ubi copioſiùs diſſerit, huc deinde recidit : ac ne tantùm loqui reamur de decreto Dei, non de ipſo effectu, vel de bonis potiùs operibus quàm de malis, ad ipſum quoque peccatum deſcendit, & hanc querelam evidenter coarguit. Quid ergo cauſetur ? nam quis ejus voluntati obſiſtat ? Atqui, inquit, quis tu homo es qui Deo obloquaris ? non diſtinguit, non extenuat, non reſpondet ; ſed querulos & curioſos in immenſam divinæ libertatis voraginem detruſos rejicit. Tum ne hæc ſolùm de judicio Dei poſt patratum ſcelus ſe in obnoxios exercente affirmare credamus: ubique beneplaciti

placiti mentionem ingerit, & reducit ad ipsam creationis legem. Haud res ficta fictori dixerit, cur me finxeris talem: annon figulus id juris in argillam obtinet, ut ex eadem massâ vas aliud ad nobiles usus instituat, aliud ad sordidos ignobilesque? Remittamus ergo hanc causam ad ipsius summum & indeclinabile tribunal, istumque noviſſimum diem, in quo ipse, ut alia hujus seculi ænigmata, ita hoc omnium maximè perplexum, immisso veritatis lumine, primo intuitu facilè absolvet; annuente omni sanctorum consessu, & ipsis impiis obmutescentibus: ut sit undique agnoscendus ab his qui anteà minùs senserant, & ab illis admirandus qui se plurimum scire crediderant. Agnoscamus igitur vanitatem nostram & subjectissimam conditionem, quæ nunquam alias evidentiùs patet, & stupeamus ad hanc immensitatem Dei; neque illud impenetrabile decretum ad finitæ rationis modulum revocemus; sed potiùs res nostras metiamur, & respiciamus ad æquissimam legem, & iniquissmæ mentis malignitatem. Nonne ad vetitas voluptates ultro avideque properamus? annon ipso vetante violentiùs exardemus? cùm tamen fortè pretio inducti a constituto scelere decederemus: imò istam animorum licentiam sortiri videmur, ut ipsi putemus, si quod Deus secum decrevit, nobis patefaceret, & consensum prius rogaret, posse saltem cõtrarium velle. Sed ut ad rei summam veniamus, & in hac qualicunq; conditione positi nostræ saluti prospiciamus hoc pto explorato habeamus, unicuiq; nostrum ineſſe peccatũ; quod utcunq; inciderit, nobis solvendum est priusquam exeat. De justitia Dei impii mortales, ut velint, sentiant, seq; in omnem maledicendi licentiam effundant: hic cœlesti solio securus considet, & quamcunq; nocen-

di libidinem ad ſuæ laudis incrementa convertit, atque in juſtiſſimam damnationem accumulat. Quin ſi ſapis, î potiùs, & ſubde te tuo judici: præſertim cùm pro te, ô homo, & ſalute tuâ tam facilis & præparatus aditus in æternam beatitudinem pateat. Quis enim hujus juſtitiam inſectari malit, qui vel delicta miſèrorum non minùs confert ad ipſorum fœlicitatem, quàm ad ſuam gloriam. Rejice itaque hanc impudentiam ad ora dæmonum unde primùm effluxit. His poſtquam Politianus aſſenſerat, & gratulatus eſſet hunc ſcopulum tam ſobrie & prudenter evitatum: ſic ultra proſecutus, Ergo, inquit, cùm peccatum ſit noſtræ creationis; & quantumcunq; ſit, noſtris cervicibus univerſum incumbat, neq; Deus minimã illius partẽ ad ſe recipiat: perpendamus tanti oneris gravitatẽ, & ipſius monſtri faciem ſpectemus; ut perfectè ſciamus, quæ ſit ejus natura, quæ vis, & quanta malignitas. Tum ille. Id quidem libenter faciam, cùm ad Dei gratiam explicandam, necnon ad noſtram ſalutem pertineat. Ut vero virtus, ſi his mortalibus oculis conſpici poſſet, in immenſum ſui amorem raperet, ita, ſi peccatũ prodiret palàm, nemo tam perditè flagitioſus eſt, qui ad ejus aſpectum non exhorreſceret. Utiq; illa eſt animæ pulchritudo, hæc veriſſima deformitas. Multi ſcelera inter ſe conferunt, atque perinde alia degravant, alia autem plùs juſto elevant: pauci ex ſe æſtimant; neq; omnia vident eſſe lethalia, quorum hæc ſumma eſt accuſatio, quod ſcelera ſunt. Veteres Philoſophi hanc peccati rationem minùs advertunt, prout eſt divinæ voluntati contrarium, propterea ad veram & Chriſtianam humilitatem ſe nunquam demittunt: cùm in naturam omnia referant, & a finitæ rectitudinis normâ vitiorum menſuram quærant: atqui poteſt Deus illud ſtatuere,

quod

quod a communi jure naturæ dissentit, & tamen cum justissimâ ejus voluntate concordat: quia ipse nihil vult nisi quod justum quin ipsi inservire justissimum est. Huic verò obversari quam iniquum, quàm horrendum, quam denique scelestum sit, tecum ipse potes expendere; cum in omni rerum naturâ nihil aliud extet tantæ rebellionis reum, aut quod Deus a se abdicat. Is enim qui peccat, eâ mente, vult non esse Deum, vel quod immanius est, non esse justum: quinimo regiam ejus majestatem & gloriam, quæ est universæ perfectionis corona, perdit atque proculcat; deque imperio et ipsâ divinitate concertat. Ob hæc infiniti reatûs saltem aliquem respectum subit: haud tamen proprie infinitum dixeris, quia non exuperat illam summam et infinitam voluntatem Dei, de quâ prius disseruimus: tum enim profectò esset alter malus deus, neque ab ipso excludi potuisset, vel admissum flecti et perdomari. At verò minimum scelus universi sceleris rationem contrahit, cùm sit læsæ divinitatis crimen. Illud enim est regium & supremum et commune mandatum, Diliges Dominum Deum tuum cum toto corde, toto animo, totâ mente, totis viribus, toto homine: quo quid æquius esse, aut fingi potest? Quis nolit amare bonitatem, & vereri summam potestatem? qui hæc denegat, vel detrectat, ipsa naturæ principia convellit: mens nostra undique amoris radios effundit, & alienam pulchritudinem ad se rapit: quam perfectionem dum ubique persequitur, non usque cessat donec ad ipsum Deum perveniat; cujus immensitatem tam propè concipit, ut illam tantùm non exhauriat: cætera omnia quo magis absorbet, eò

magis hydropicè ſitit: hic ſe ſatiat, hic quieſcit, ſeu potius liberrimè ſpatiatur in vaſtiſſimo bonitatis Oceano. Deus ipſe per coujunctiſſimam ſui fruitionem perpetuam poſſidet beatitudinem: neque nobis injuriam facit, ſi ad eandem communionem provocet. Quam avidè & ſtudioſè accedimus inſignium rerum ſpectacula? quantùm oblectamur vel poeticâ narratione mirabilium figmentorum? quam ardenti voluptate perfundimur ex corporeæ pulchritudinis aſpectu? aut quid ipſo amore amabilius eſt? Quàm multò præſtiterit hunc intueri, atque amplecti, qui in ſe uno omnia continet, & ipſe omnibus infinitè præcellit, quique eſt ſingulorum melior natura; a quo alimur et ſuſtentamur, tanquam infantes in maternis uteris: ſine quo, neque arcere hoſtiles injurias, neque ea præmia conſequi poſſumus, quæ hic exhibet, et ſecum affert, ipſumque ſe, qualis et quantus ſit, in legem mutui amoris tradit? Subjungitur huic illud alterum mandatum, Diliges proximum ſicut teipſum. Atque hoc a priori ſuam virtutem, et autoritatem trahit: qui enim id ipſum facit, vel ex ſponte naturæ, ut parentes erga liberos; vel ex nudæ rationis præceptis, ut probi, & liberales viri; non proinde perimplent mandatum Dei: quoniam neque amorem ad ipſius voluntatem, neq; ad autoritatem producunt obedientiam. Et qui injuſtè inter homines agunt, in hunc primùm peccant, qui rex mundi eſt, & ad regni ſui adminiſtrationem has leges hominibus indixit: quæ ſi rectè colerentur, univerſus orbis eſſet una reſpublica: tum quanta pax? quanta charitas? quanta fœlicitas ad unumquemq; rediret? nihil mutuo amore jucundius, nihil utilius, nihil honeſtius atque homine dignius: hoc exulante homo homini

fit

sit pessima fera: odit, invidet, furit, occidit; ac, si liceret, usque ad infernum persequeretur; quod etiam diris & execrationibus testatur: ipsum amorem libidine corrumpit, ipsam amicitiam in fraudem struit. Neque unus uni tantum concurrit; sed magna mortalium multitudo, sub ferali sacramento adacta, omnibusque perdendi artificiis instructa, tum vexillis atque insignibus decorata, & in justas classes ordinesque disposita, educitur ad terrarum vastationem, urbium incendium, & maximarum gentium occidionem: & qui plurimum terroris orbi intulerunt, ac maximas strages ediderunt, hi gloriantur atque triumphant: & ad posteros in exemplum traduntur, ne fortè credere nolint tam dira facinora a majoribus perpetrata, aut per se non satis audeant ad eandem sceleris immanitatem assurgere. Quin si libet experiri, quanta & quam perfectæ malignitatis moles uno pectore circumferri possit, audi illam verè tyrannicam vocem, Me moriente terra misceatur incendio. Ac sanè nescio an major sit benignitas ipsius præcepti, an hujus unius dicti malitia: universa rerum secula in se terminat; totum orbem suum bustum facit: & tunc quidem cum hac vitâ defuncto neque mundi fœlicitas obstet, neque clades sit emolumento. Sub hac itaque lege continetur amor sui, seu potius premitur, atque subjicitur: quod enim in Deo & summum, & optimum est, ob cujus gloriam omnia sunt edita; illud in nobis est infimum, ac planè nullum: quia ad id facti prognatique sumus, ut illi communiter serviamus: neque cuivis se aliter respicere licet, quam ut partem humani generis, & publicum mundi civem: ut sit hujus præcepti summa; Diliges universum humanitatis corpus, quod teip-

ſum non minus quam alios includit: ita ut quantum tua commoditas aut incommoditas Deo plus conferat, ac mundo profit, tanto magis minuſve ſpectari debeat: hoc in brutis quoque animantibus & ipſis elementis natura exercet: quanto magis ratio in nobis ederet? adeo undique divina lex cum univerſâ omnium fœlicitate conſpirat: qui autem ſibi ſtudet, ſeipſum perdit; cum naturæ ſuæ debitum non exolvat, neque ſolùm ſit malus ſubditus, & malus civis, ſed ipſe ſuus eſt malus genius: & quod foris facit, domi ſentit; ac diris affectibus incitatus, ſuam ipſe fœlicitatem pervertit. Hìc Eugenius: Haud parum mecum mirari ſoleo, unde accidat, quod cum ſcelus, ut dixti, ſit animæ morbus, & ipſius naturæ diſturbatio a recto & proprio uſu, ullam inde voluptatem præbeat. At Joſephus: Eſt quædam naturalis voluptas, quæ a moralibus vitiis non variatur: hanc amor Dei & recta ratio ſibi ſubjicit: verùm mens noſtra ex hoc regio thalamo nunc foris ejicitur, ad ſervorum libidinem detruſa: eſt etiam quædam impotentia pravorum affectuum, quæ vel naturæ modum excedit: atque hæc ægritudo & intemperies animi ſeipſam expleri quodammodo gaudet; ut quæ picâ affecta eſt, ea quæ noxia ſunt, & ſibi adverſa, vehementer appetit. Quin et tanta eſt peccandi perverſitas, ut mens impia nequitiæ venenum, ſerpentum more, pro dape deglutiat: nempe eſt alia lex, & ratio, & natura malitiæ, perfectæ bonitati ex adverſo oppoſita; ac ſi pictor turpiſſimæ deformitati ſtudeat, aut muſicus ingratiſſimæ numerorum diſcordiæ. Hæc locutum uterque intento oculorum hiatu, & defixi oris aſpectu, ad longiorem hujus ſermonis contextum invitabant. Ille, qui hanc horam aliis negotiis deſtinaverat,

ut

ut molliùs abrumperet, hoc corollarium carmen adjecit ex ſuo penu depromptum, neque a præſenti colloquio multùm diverſum.

O cœli ſupreme parens! qui fœdera rerum
Condis, & innatas ſignas in ſemina leges;
Te citus Eois ducentem Phœbus ab oris
Tramite perpetuo, te ſydera ſacra ſequuntur:
Nec ceſſant medium flammis diſtinguere mundum,
Partiriique diem: paret tibi ventus, & æquor,
Et conjuratis imperdita terra procellis
Ah miſeri! ſurdas ſoli pia juſſa per aures
Sparſimus, illicitos avidi decerpere fructus
Ah nobis cur tanta mali permiſſa poteſtas,
Frænaque cervici nimium laxata rebelli?
Cur neque nos ipſi fines & ſepta videmus
Quæ ſtatuunt, claudunt q; nefas; gladiumq; minacem
Cernimus, & ſævas Erebi circundare flammas?

Dum illi plurimis hujuſmodi ſermonibus ſe quotidie exercerent, interea Antonia prona in Philandrum, primum quidem ſub filii ſpecie liberius indulgens, deinde his affectibus concitatis, ac magis indies magiſq; accenſis, neſcio quid altius interdum meditabatur, & oblatas fortè cogitationes a ſe ſtatim repudiabat. Haud longè poſt accidit, ut ſopore in auroram extracto, per ſomnium ſibi videretur Philandrum a dextrâ ſentire in mariti loco accubantem: eâ ſpecie commota, & ſomno exturbata, primum tanquam in ipſum ſævitura, protenſâ manu per lectum quærebat: mox nube mentis excuſſâ, nunc ſeipſam, nunc inanem fabulam ridebat, ejuſdem ſomnii imagine per jocum ſæpius repetitâ. Deinde exurgens, levi ſuſpirio

ſpirio, quaſi in auras fundebat; Philandrum verò interdiu libentiùs intuebatur, noctu eadem ſomniare optabat; & ſimulatis amplexibus refovebat viduum cubile: quin adhuc ſub filii nomine laſciviens baſia blandius ingerebat; & hunc innocentem ludum ſibi liberrimè condonabat. Illius etiam diligentiam pro ambitioſâ affectatione cœpit interpretari: ac ſtatim indignari ſecum & tumeſcere ob ingentes divitias: haud æquum eſſe has ſpes admittere, aut deſcendere ad tam impares fortunas: tum a famâ quòque cavebat, ſi quadraginta ferè annorum fœmina puero ſaltem dimidio juniori ſeſe demitteret: inde velut petentem ultro faſtidire, & increpare nimiam familiaritatem: mox iterum impenſiùs blandiri, atque rogare, quot annos natus ſit; et immaturam ætatem fictis argumentis refutare: credibile non eſſe, quin filium longe antecederet, qui viceſimo ætatis anno ad plures migraverat: ſe circiter tricenariam mentita, puellam admodum nuptui datam, & continuò matrem factam: tum ut crederetur vera dicere, juveniliùs ſe ornavit, & cum oris habitu geſtum quoque molliorem compoſuit. Ex his initiis in amorem præceps ruebat, ut a Philandro minime ſollicitata per ſe matrimonii conſilium iniret: ſed cum prior rogari vellet, crederetque opulentiam & dignitatem ſuam illius obſtare verecundiæ, quo minus hæc vota explicaret; neque dubitabat quin eâ modeſtiâ exolutus ſpem tantam libenter hauſurus eſſet, ob ingentium divitiarum præmium, quæ cum ipſius tenui fortunâ optimè conveniebant; ut deſtinatæ fœlicitatis ſenſu pelliceret, plurima in illum elargiri conſtituit: novis et ſplendidis veſtimentis condecorat; quod etiam oculis ſuis donare viſa eſt: cum his grandem pecuniam adjicit; monetque

netque inſuper, liberali more ſe gereret, neque futuræ benignitati diffideret, ſi ipſe ſuis rebus proſpicere poſſet, & fortunam in ſinum cadentem amplecti. Ac non occultam expectationem ferebat, fieri poſſe, ut in omnium bonorum hæreditatem veniret. Proinde aſciſcebat ſibi ad illorum rationem contrahendam, eâ fraude, ut oſtentationem ſuæ opulentiæ præberet. Tum graviter ingemiſcens, addebat, opus eſſe ſibi ſtrenuo viro ad res tantas adminiſtrandas: & quanquam a ſecundis nuptiis huctuſq; abhorreret, nunc demum hanc neceſſitatem ſibi impendentem ſentire; & melius eſſe a principio cavere quam in fundo dolere: neque ſe ſpectaturam alienas opes, modo talem optare, qui ſibi ſubſidio & ſolatio foret; ſatis habere cujus in partem maritum accerſat, atque eo ſibi devinctiorem reddat: non tamen rem tantam temerè ſuſcepturam, aut cum illo prius non communicatam, cujus prudentiæ et fidelitati plurimùm inniteretur: neq; præter ætatem quicquam amplius in conjuge ſperaret. His editis parumper obticuit, conſtanter & curioſe intuens, & expectans, quæ contra reponerentur. At Philander, ſive adhuc non ſatis perſentiſceret impudentiam fœminæ, ſeu non ſentire ſimularet, ſimpliciter reſpondebat ſecundum verborum faciem, non pro ſenſu & intentione dicentis. Cum hac arte parum proceſſiſſet, excuſatione factâ, omnia quæ dixerat reſorbebat; & revocatâ prioris viri memoriâ in ſuſpiria et gemitus et præſentiſſimos fletus ſolvi videbatur, ita ut Philandro neceſſe fuerit blandis ſermonibus demulcere, & tanquam præ dolore fatiſcentem, gratiſſimo amplexu ſuſtentare. Illa indignans ſe non intelligi, eo affectu augebat dolorem; & nunc incuſabat, nunc ſecum ridebat ſtultiſſimi adoleſcentis

leſcentis inſcitiam, quæ fœmineam voluntatem per tam obvios geſtus & ſignificationes ex diverſo ſermone non captaret; ſed expectatione claræ confeſſionis huic ſexui debitam extorqueret modeſtiam: cùm verò nondum ſpei ſummâ excidiſſet, quin hæc potiùs puerilis ingenii ſimplicitati, quam ſui faſtidio imputaret, rejecit in aliud tempus: neque nunc a propoſito deſiſtens, O fili, inquit, tametſi his negotiis me imparem ſentiam, quo magis ad conſiderationem novi matrimonii animum impello, eo magis abhorrere ſoleo: quod ſi tu operâ fideli juveris, levabis deſiderium amiſſi conjugis; neque in te hactenus illiberalis fui, ac multò minus futuram ſpondeo. Hìc Philander gratias perſolvens, ſe quidem excuſabat, ut minimè gnarum iſtarum artium; quatenus autem uſui eſſe poſſet, de ſuâ voluntate dubitari nolle. Ea collocuti, utrique diſceſſere. Hic quidem non levi ſuſpicione correptus ſe non maternâ charitate exceptum, ſed infando potius amore obſeſſum, et hac nimiâ benignitate ineſcatum: huc ſpectare familiares blanditias, ac non ſatis caſtos & innocentes amplexus: tum omnia inter ſe conferens, & ad poſtremum ſermonem retrahens, apertè videbat, aut ſe pro conjuge ab Antoniâ peti, aut aliquid fœdius meditari. Inde attonitus atque confuſus contemplatione tam indigni facinoris, O ultricem, exclamabat, fortunam! meis me laqueis implicuiſti: dum alium facie ſimulatâ proſequor, eadem fraude meipſam prodidi. Illic ubi amari par eſt aut ignota ſum aut faſtidita; hic turpiſſimi amoris incurſu ſatior atque excrucior. O amantium deliria! ò impotentiam muliebris ingenii, quam in utraque perſonâ nunc tandem exqerior! meritò

ritò nos viri ludibrio habent, cum extra modestiæ fines aberramus, quam nobis natura tribuit, ut fidissimum nostræ imbecillitatis præsidium, & ornamentum omnium gratiarum. Hæc dicens atque ex detestatione alienæ libidinis ad se respiciens, liberrimè increpabat stultitiam suam, & infœlicitatem temerarii facinoris, horrore, tædio, ec pœnitentiæ stimulis exagitatus; nunc ulteriorem fugam animo meditabatur, nunc ad moriendi libertatem spectabat; atque id spatium deliberandi sumpsit, donec instanti necessitate cogeretur alterutrum consilium exequi. Nec longum erat ambigendi tempus. Crastino mane Antonia moræ impatiens, ac ne diutius suspenderetur ancipiti spe, sed Philandri voluntatem perfectè cognosceret, omnibus se instruens ornamentis, extremam machinam admovere constituit. Captâ itaque opportunitate ad cubiculum accedit, unde nondum egressus fuerat: tum ex ipsius tristitia exordio facto, Heus, annon, inquit, tibi conjuge opus est. qui te sic maceras, & corrumpis florem juventutis tuæ? Ac deinde pauca ejusmodi præmittens, Quale tibi videtur, addidit, illud insanum meum somnium, quod de te jamdudum somniavi: & simul cum plurimo risu satis improbo ore repetebat, cumq; adhuc cunctantem cerneret, ad nuptias liberrimè invitabat. Philander in re proditâ vehementiùs accensus, truci & constricto vultu, Apage, inquit, succuba, & larva fœminæ, tuique ordinis ac omnium matronarum dedecus! Tune quæ anus es, & opulenta, & adhuc (quantum audio) syncerì nominis, conjugium pueri, & peregrini, & profugi, non aversaris? non expectas? quin istâ tua impudentissimâ fronte ambis atque efflagitas? Non reve-

rita

rita es filii manes? non umbram amantissimi conjugis? quos tu ingratissimâ oblivione præteritos, & hac insuper contumeliâ affectos, in suis tumulis conquiescere noluisti; sed tanquam a mortuis excitatos, fecisti patronos turpissimi sceleris, & lenocinari tibi coegisti. Quod ad me attinet: scire te velim, & execrari nuptiarum mentionem, & renunciare pristinæ necessitudini, quæcunque hactenus interceſſit: neque me ullis officiis devinctum judico, neque ingenuè neque castè tractatum: sed blanditiarum artificio illectum, ac denique pretio conductum, ut tuæ libidini inservirem. Dum in hunc modum ardenti ore detonaret, Antonia tam inexpectatâ responsione perterrefacta, pudore, libidine, irâ, impatientiâ, & ingenti cogitationum procellâ huc illuc agitabatur: neque per affectuum vehementiam, aut quid diceret, suppetebat, aut tremulo atque frendenti ore proferre poterat: unico tantùm gravissimo gemitu, & lachrymis (ejulatu præ angore mentis compresso) guttatim effluentibus, non moderatum animi furorem prodebat: quin mox insanienti similis e cubiculo se turbide proripiens, ac sine ullâ intermissione secretum quærens, conclusis violenter foribus, & fideliter oppessulatis, tragico more sæviebat: non vestibus parcebat, non ornamentis, non crinium nondum canentium circulis, puellari studio in continentes annulos circumductis, & per oras superioris vultus in genas atque cervicem deorsum serpentibus: plangebat interdum & frequenti verbere castigabat pectus; donec primo furore consumpto cogitandi intervalla reciperet, & intentissimo conscientiæ nervo miserrimam mentem constringeret: neque cessabat insimulare seipsam, magis imprudentiæ, quàm flagitii: Atqui, aiebat, hoc saltem debuisset

meo

meo amori redonare, ut blandimentis fallere mallet, & leni consilio ad sanitatem reducere, quàm immiti & aculeato sermone in extremā desperationē præcipitare. Annon jam omnibus innotesceret, vel ipso prodente, & de Antoniæ famâ triumphante? Ergo nunc fabula publicè & ludibrium fiam? dum hic meo capiti crudeliter insultat: quod si vir esset, certè tot fortunis, tantis artibus atque amoribus meis nunquam obsisteret. Est potius noster malus dæmon, qui totam familiam perditum venit, meque superstitem suis veneficiis fascinavit: nunc sine omni humanitatis sensu jacentem obruit atque conculcat. At experiar necne sit fœminâ editus, & mortali corpore constitutus. Ignoscite vos ô chariſſimi manes! sinite modò non inulta descendam! deinde volens ad inferos sequar, & & hunc meum mecum accusatorem pertraham. Scilicet destinaverat secum pœnitentiam agere, & cum Philandro redire in gratiam: inde cùm minimè suspicaretur, per venenum poculo infusum, & ipsi vitam præripere, & eodem potu se proximam tollere: tum priusquam commorerentur, spatium fore hanc injuriam retorquendi, & cum omni verborum licentiâ exolvendi noviſſimos spiritus. Ex hoc tam diro & immani consilio nonnihil solatii capere visa est: unde ceu re pacatâ iterum vestimenta componere sustinuit, iterum comas in ordinem redegit, & (ô muliebris ingenii fallaciam!) sibi blandiſſimos aspectus imposuit, ac ne proximæ opportunitati deesset, certiſſimum venenum ab Italiâ priùs exportatum, & in suo mundo secretò repositum, diligenter exquisivit, & in parato apud se habuit. Circa hoc tempus peregrini quidam ex Siciliâ Solymam devenerant, & Josephum ex nomine quæsitum jam tum e paterno limine cum amicis

amicis egredientem conſpicati acceſſerant. Ubi convenirent, ſalutatione perfuncti, ſeorſim ab illis exponebat itineris cauſam: ſe miſſos eſſe a Prorege Siciliæ ad inveſtigandam Philippinam filiam, quæ nunc quarto menſe præterito e patriâ effugerat, tectus ſervili, &, quod indignius eſt, virili habitu. Pater, ut par erat, dolore & verecundiâ incenſus, primùm quidem impatienter ferebat; mox ſuperante unicæ natæ deſiderio, idoneos homines ſeparatim dimiſit qui ejus veſtigia inſequerentur. Nobis præcipuè hoc iter mandavit: nempe vulgatum eſt hanc amore tui detineri: unde facilis conjectura erat, cùm ex Siciliâ diſceſſiſſes, ægerrimè tuliſſe, ac mox abeuntem ſecutam eſſe. Sanè præter hanc amoris impotentiam, non vivit ulla modeſtior aut melior. Si verò ad te confugerit, ſaltem indica miſero parenti: veniam utriſque pollicetur: neque generum eſt averſatus, nunc certè perſpectis fortunis tuis multùm lætabitur. Horrebat ad hæc nuncia Joſephus; & ſanctè affirmabat ſe tunc primùm de ejus fugâ mentionem accipere. Neque ego, dicebat, aut tales nuptias affectavi, aut, quamvis ſe mihi dederet, tantæ improbitati conſentirem. Doleo quidem maximè hanc illi imprudentiam obtigiſſe; quam equidem ſummis veſtris laudibus digniſſimam ſcio. His auditis: illi graviter contriſtati, & quid denique agerent incerti, ab ipſo petebant, ut, ſi quid virgini conſultum vellet, oſtentaret, potiſſimam inſequendi viam. Joſephus tanto negotio, in quo nomen ejus vertebatur, adhuc defixus, & plurima ſimul mente complexus, fortè in animum induxit, illum Philandrum, qui paternis ædibus quotidie aſſuevit, huic Philippinæ non eſſe abſimilem; & ſublato ſexûs diſcrimine, aut eandem eſſe, aut valdè comparem.

Hâc

Hâc ſuſpicione non leviter permotus, cum illis communicare conſtituit, Hic, inquiens, proximè diverſatur juvenis, nomine Philander, qui ſe pro Italo gerit, at loquendo valde Siciliciſſat; cujus ætas, forma, geſtus, a Philippinâ veſtrâ non multùm abhorrent: &, quod magis conjecturam augeat, ad me ſæpè ventitare ſolet ac non vulgari more obſervare: imo, quod nunc auguror, his ſimillima ſub alienis nominibus in primo conventu de ſe retulit; verùm hactenus ob ſexus variationem nihil tale ſuboluerat. Illi hac aurâ recreati, vehementer inſtabant, ut rem altiùs exploraret; ipſi extra hoſpitium manerent, ne ab illâ agnoſcerentur. Sub fugam enim literas ad parentem reliquiſſe, ſi eam vivam eſſe vellet, ab omni inſectatione deſiſteret, ſe ſuo tempore redituram. At Joſephus, quòd ipſius fama huic fabulæ intereſſet, quin ipſi ſecum adirent, inſiſtebat: aliter ſe nolle huic negotio intercedere. Exibant itaque omnes ad diverſorium; ac Joſephus ſervum accerſens, cum Philandro ſe colloqui velle dicebat: reſpondebat, intus in cubiculo eſſe, & per atrium viam præmonſtrabat. Illa ad feneſtram tum fortè accumbens, & ſe peti priòr advertens, ultro aperuit, & faciem fidenter obtulit, truci & ferali aſpectu pallidam. Continuò Joſephum nomine inclamans, En, inquit, Philandrum, ſive tu mavis, Philippinam: cujus ergò, & patriam deſerui, & parentem, & nunc denique meipſam: nam quia cognitam fallidire credideram, mutato habitu, mutato ſexu, hanc ſervilem perſoniam indui, eo animo, ut tibi unicè inſervirem: &, ni fallor, officioſè demerui: quantò magis ſub uxoris titulo amori mutuo ſtuduiſſem? Neque ullam præter te Creſcentiam habeo; Ignoſce, quæſo, temeritati, & hoc ſaltem meo amori retribue!

Scito quoque Antoniam tuam vicem ulciſci, quæ cum ingentibus ſuis divitiis promereri cupit puellares nuptias. Refer modò paternis miniſtris, quos per vicum tranſeuntes ipſa dudum agnovi, non opus eſſe ulteriori curâ, mox in eorum manus me dedam, & omnem fugæ ſuſpicionem incidam. Inter hæc verba Siculi duo, cum ſervo duce, quos Joſephus triſtiora præſagiens ad fores ſubmiſerat, ut in cubiculo incautam invaderent, dum ipſe mutuo ſermone detineret, obſtructas effringere aggrediebantur. Philippina poſtquam ſe morti addixerat, has prius occluſit, & nunc quid molirentur præmetuens, pugione, quem in hunc uſum manu præparatum tenebat, lævum pectus forti atque intrepido ictu percuſſit: &, priuſquam ingredi poterant, humi prolapſa eſt. Ipſi mox aditu patefacto cum maximâ vociferatione inſiliunt, & telum incunctanter eripiunt. Illa fatali vulnere per mamillam cor ipſum transfixerat: nihilominus omnia tentabant remedia, quibus abeuntem ſpiritum revocarent. Poſtquam deplorata eſt, fama undique percrebuit, & Antonia ſuæ ignominiæ ſupereſſe dedignans, peregit inſtitutum facinus: dumque omnes circa Philandrum occupati erant, in cubiculum ſecedens, & venenum potioni immiſtum, Philandri, cui partem deſtinaverat, manibus propinans, ipſa totum exhauſit: hinc ubi tibiæ ambulantem deſtituerent, lectulo injecta & ſe decenter componens, in extremum ſoporem conceſſit. Joſephus Philippinæ fato conterritus, de his rebus variè ſecum meditabatur, & inſignia quædam documenta deinde in Epitaphium contrahebat; quod per miniſtros cum cadavere reportatum pater marmori jubebat incidi.

O quis

O quæ laudatæ jactas te munere formæ!
Hos utero vultus respice, vel tumulo.
Ora Philippinæ cæcis jam condimus umbris,
Spectari quâ non dignior ulla fuit.
Illa tibi moriens sævi monumenta doloris
Legat, & exemplo proderit usq; suo.
Nempe prius læsam confixa cupidine mentem,
Crudeli sese perculit ulta manu.
Mortales miseri, nimiisque furoribus acti!
Quos & bella necant, & malesanus amor.

Præterea quia visum est inanes reliquias miseranda virginis ad patrem deferre, ipse pollinctores accivit, qui mortalitatē, quæ usq; ad pulverem sævire solet, & innatam pulcherrimis putredinem, dum tumularetur, arcerent. Huic curæ intentos reliquit: mox Lucæ occurrens ab illo admonitus est Theophrastum adhuc ægrotantem, animo quoque vehementer dolere, alio longe quam priori more; atque ad ipsum visendum est invitatus. Inde cum Politiano atque Eugenio illius cubiculum accessit. Hic illum offendunt lecto jacentem, & miserabili voce damnationis suæ sententiam in se iterum iterumque pronunciantem. Stupebat Josephus, & scire avebat, quo sensu hæc ederet. Politianus Eugenio molliter insusurrans, Quæ nova est, inquit, hæc intemperies? an etiamnum hic dæmoni obnoxius est? Hæc submissâ voce prolata ipse acutissimo sensu hauriebat, & ad eos conversus, Ignoscite vos ô quicumque adestis, si flagello Dei exercitus, me minus continere possim. Peccata, clamabat, peccata sunt corrodentes & carnifices mei, visa quondam levia & ludicra, dum in somno sceleris volutatus sum: nunc ingenti terrore conficiunt, & tenerrimam conscientiæ pupillam con-

candentibus ſtimulis perpenetrant: in equuleo Dei conſtitutus, vel invitus fateri cogor: video veram ſceleris faciem, quaſi in ſcenam prodeuntem: ô monſtrum omni dæmone deformius! omnibuſque ſupplíciis, & tormentis horridius! libenter optarem atque expeterem hoc miſerrimum cadaver a quovis tyranno in machinâ includi, quæ omnium pœnarum ſenſum per univerſi corporis articulos diffunderet, quàm vel unicum ictum divinæ ultionis in animo perpeti. Sentio fulgurantes oculos ſeveri judicis, ipſamque omnipotentem dexteram in meum caput fulminantem. Tum Joſephus propiùs accedens, Mira, inquit, audio: te tantam benignitatem nuperrimè expertum, ereptumque a dæmonis tyrannide, nunc illi denuò ſubjacere; ac non potiùs ad nota remedia confugere: hæc ejuſdem adverſarii fraus eſt: & ab eodem ſervatore petenda defenſio. At ille nihil cunctatus. Non reformido vel myriades dæmonum: ad conſpectum irati numinis totus horreo & contremiſco: hic juſtiſſimas mecum inimicitias exercet: ac nunc unde aut ſpem ultra aut ſolatium expectem? poteſtne factum infectum reddi? poteſtne revocari præterita dies? tum me ſalvum fieri poſſe crediderim. Subinde Joſephus. Ideo te Deus ferit, ut ferientem agnoſcas, & ad ipſius miſericordiam convertaris; quæ cum immenſa & infinita ſit finiti ſceleris menſuram exuperat. Dum his ac plurimis hujuſmodi altercationibus, hic remedium inculcaret, ager perverſâ deſperatione rejiceret, Lucas nunc quidem ſummovendos eſſe dicebat: poſtquam curationem adhibuiſſet, (ſi vacaret) denuo reviſerent, & precantibus auxilio eſſent. Joſephus, qui tantæ opportunitati deeſſe nolebat, cum amicis in

proxi-

proximo triclinio se conventum expectare respondit. Hic imaginem tam atrocis spectaculi multis sermonibus renovabant. Atque ille, Sunt hæc, inquit, certissima divinæ lucis effecta, & sæpe cœlestis gratiæ præludia: in tenebris quisque cæcutit, & in somnum prolabitur: dies omnia detegit, atque ad agendum tardissimos excitat: neque sunt hæc apud nos infrequentia exempla, neque non occurrunt in sacrâ historiâ. Extat primi fratricidæ querela, breviter signata, quam ego poetico more sic fusius explicui.

Quò nunc profanum solus abducam caput,
Heres nefandis nequior parentibus?
Nondum creatus, sorte nativâ fui
Fœlicis horti pulsus ob patrium scelus:
Nunc spe secundâ pulchrioris gratiæ
Sacroque cœtu pulsus ob proprium nefas.
Æternus exul, cæteris fugor locis:
Unum meipsum fugere non usquam licet.
En fratris adsum carnifex, nunc & mea,
Nimiusque vindex: pœna consimilis placet:
Extinguar ultro, si vel extingui licet:
Sed nec salutem fata nec finem mihi
Futura spondent; summus hic superest dolor:
Cujus vel ipso vivus immorior metu.
Scelus ô scelestum! mentis ô proles malæ!
Clades parentis! unicum hoc justum facis.
Jam jam placebat ipse livor invidus,
Snique tortor, cædis & dirus furor.
Heu nunc cruenta stragis aspectus redit,
Animumque sontem millibus torquet modis.
Hominem peremi: mortis indictæ viam

Aperire primùm nostra non timuit manus:
Scelerisque pœnam scelere præcepi meo.
Fratrem peremi: magna pars novi jacet,
Meliorque mundi: filius solus super
Parens refandi sum futurus seculi.
Sanctum peremi: cade respersus suâ,
Mortalis altum primus in cœlum subit:
Hunc gratiorem victimam stravi Deo,
Dirus sacerdos; livor hos fructus paris,
Attollit alios, ipse se magis premit.
Me me peremi: nostra nec qui respuit,
Absolvet unquam sacra violantem sua.
O quantus ultor vertici incumbit meo!
Qui cuncta finxit, cuncta qui nutu regit:
Cujus sequaces fugere nec possum manus,
Nec sustinere: nempe subeundum est mihi,
Quodcunque metui, quodque non metui potest.
Horrore pœna percitus, pœnam fero,
Vitamque perdo; cujus heu solo quies
Labore constat: sedibus pulsus datis,
Sedem seorsim dexterâ condam meâ.

Quin ergo, aiebat Eugenius, de sceleris merito, & justissimâ Dei vindictâ, quæ hic Theophrastus tam atroci confessione designat, pauca disseramus. Tum Josephus. Id verò ut rectè faciam, primùm sceleris initia repetam; et ipsius Adami lapsum, qui magnis ingeniis fortè nimis fabulosus videatur, ab istâ suspicione defendam. Nihil vero propius esse potest, quàm hominem in summâ perfectione fuisse creatum: hoc natura jam lapsa proclamat, et ad illius fœlicitatis memoriam suos questus & desideria retorquet: neque aliud innuit divina lex, ad cujus exemplar, atque

que mensuram mens humana procul dubio conformata fuit, et ejusdem aliquam lacerâtam imaginem conscientia nostra nunc intra se retinet, quam id quisque probet, atque a se exigat, cujus præstandi facultatem amisit. Hæc nobis prodit veridicus liber; & præterea (quod nulli philosophorum in mentem venit) qua lege, et cujus delicti causâ, universa gens hominum in perpetuam sceleris hæreditatem succedat, Deum scilicet omnium inferiorum rerum imperium in primos parentes contulisse, hortum quoque selectissimum in medio telluris sinu positum, ceu dominicum fundum, excoluisse: hic arborem unam præ cæteris editam fructuum pulchritudine conspicuam; sed quam gravissimâ lege circumsepsit, ne impiâ cupiditate violarent: ex hujus mandati observatione pendere humanam fœlicitatem. Nunc agnoscite quam id non sit injustum, neque indignum majestate divinâ. Annon reges & liberales domini sæpe solent ampla prædia in servos transferre, eâ lege, ut vel piperis vel cymini granum in observantiæ testimonium persolvant; ob cujus omissam præstationem rem donatam repetere liceat: imò quidem in re levissimâ lex summa fundata est: cujus tota vis & autoritas consistit in regiâ voluntate & institutione imperantis; quæque summam fidem & obedientiam perfectè exerceat: siquidem credere oportuit huic interdictioni, quam nulla ratio, nulla justitiæ lex fixa sancibat, mandato Dei non interposito, sine quo hæc abstinentia superstitiosa fortè & scelesta fuisset: neque ulla virtus fide sublimior est; atque hæc in minimis se maximè exerit, & illud imperiale mandatum, scilicet Dei gloriam, perimplet. In hujus gratiæ exercitio stat summa Christianæ religionis; in hoc tantum distinguitur

ſtinguitur à nativâ Adami fide, quod illa ſeipſam penitus exuat, & ad Chriſti merita perduçens, in ipſius ſinu acquieſcat; hæc ſuâ vi, ſuo opere conſtet, ut cætera omnis obedientia. Denique hoc præceptum clariſſimè detegit genuinam peccandi licentiam; cùm neque id jubeat, quod naturæ deſiderium amplectatur, neque prohibeat, quod per ſe fœdum & abominandum ſit: ſed res ipſa eſſet mediæ ſortis, & in æquilibrio juris conſtituta, præponderante tantùm ſanctione divinâ: quapropter de hac lege ut ſtatutâ & pronunciatâ memoratum eſt, cùm reliquæ omnes tacitâ editione in mentis tabulâ deſcriberentur. Sequitur, ſerpentem, uſurpatâ voce, fœminam fuiſſe aggreſſum, & per varias diſputandi vices fictis argumentis illuſiſſe. Nec dubitandum eſt hunc ſerpentem, a dæmone, quem nos Satanam vocamus, agitari. Eſtque eo nomine a ſacris ſcriptoribus inſignitus: ac non alia facies magis placuit, cùm his poſteà a quibus colebatur ſeſe oſtentare vellet. Hunc mendacem & homicidam ab initio extitiſſe legimus: neque hodie quicquam diverſum facit, cùm nos ad ſcelera ſinuoſè impellit, & qui primum debellaverat, hucuſque utitur victoriâ ſuâ. Hic Politianus. Quorſum ergo tam diſertè præfigitur, ſerpentem fuiſſe quavis beſtiâ aſtutiorem, atque in illum deinde pœna indicitur, omni dæmonis mentione excluſâ: aut ſi revera dæmon eſſet, cur non tacite ac ſine ſtrepitu ſe menti potius immiſceret, & in iſtâ palmariâ fraude ſecuriorem aditum captaret, quo more nunc lapſis inſidiari ſolet? At Eugenius. Forte is ſit ſenſus verborum, qui ab hac intentione minimè abhorret, ſerpentem fuiſſe aſtutiorem ullâ beſtiâ quam Deus formaverat: hoc eſt, ſupra quàm beſtiis ſapere

datum

datum est, nempe alienâ calliditate instructum. Argutari nolo, rejiciebat Josephus; non dubito tamen quin hæc ipsa præfatio mirum aliquod atque insolitum portendat, & extra communem agendi modum: serpentem verò, ut symbolicum animal, huic negotio accomodatum, cujus non minima facta sit immutatio, ob pœnam sequentem, quam justissimè tulit, quod ipsius nativa species tam infandis usibus inserviret: dæmonis nulla subjecta est mentio, quia per se satis patet, non ad serpentem, sed in unicum hostem humani generis hoc facinus esse referendum: aut fortè ob præteritam Angelorum creationem, ac minimè vulgatam defectionem: neque id agunt sacri scriptores, ut curiosis auribus obsequantur, sed ob reconditas rationes, Deo dirigente, alia lucidè patefaciunt, alia tenebris & silentio involvunt. Nunc reliquum est, ut hujus externæ repræsentationis (quam diaboli incarnationem appellare liceat) causam substituamus: nimirum credibile est, humanam mentem adhuc integram, & inviolatam, ab omni sceleris insinuatione munitam fuisse, atque in suâ potestate positam persistendi labendique libertatem: neque conveniret cum hoc fœliciſſimo statu istis nefandis impetitionibus infestari: sic Christus ipse hoc extraneo more est oppugnatus, quoniam nihil in se haberet sceleris irruptioni obnoxium, aut quod cum illo commiscri queat: hac necessitate hostis inductus, se potiùs personatum obtulit, ut cum aurium sensu aspectum quoque occuparet, quod nunc alio aditu facto rarissimè facit, nec sine magnâ sui fiduciâ. Fœminam verò expertus est, ob impotentiam sequioris sexus, & ipsius forte novitate miraculi ad hoc colloquium invitatam, aut ipsum Angelum agnoscentem

sub

ſub hâc larvâ ſibi objectum, & ſuis rebus conſulentem. Quin audiamus quibus rationibus ad tantum ſcelus pellicere potuit. Errant longè vaniſſimi homines, qui hoc gulæ crimen præcipuè æſtimant. Enimverò univerſum hominem harum illecebrarum ſenſus penetravit, mentemque maximè implevit immenſa divinitatis cupiditas: non fortè exquiſitiſſimæ voluptates, non maxima divitiarum vis, nulla terreſtris imperii gloria, tantam fœlicitatem emercari, virtutemque evertere potuiſſent: ſed altioris fortunæ ſpes, & ſupremæ dignitatis ambitio vaſtiſſimam animi capacitatem tam immani deſiderio extenderat: adeo ſcitiſſimus iſte fallendi artifex coruſcatione falſæ deitatis illuſit, ut interdictæ arbori hanc myſticam efficaciam ineſſe crederet. Hæc alea fuit humanarum rerum; hic brevis terminus tantæ fœlicitatis, & fons omnium calamitatum: nempe illud ſolenne præceptum, ut univerſæ obedientiæ pignus, in ſe uno omnia incluſerat; cujus triſtiſſimam violationem pœna non minor eſt conſecuta ſub mortis nomine deſignata. Nam quicquid deperditur, mori dixeris: atque omnis miſeriarum moles injecta eſt, ut ſe mori ſentiant: tum licet hoc ſcelere commiſſo, omnium vitiorum comitatus irruperit, ut ſubducto angulari lapide totum corruit ædificium: neque ſine perfectâ virtute juſta poteſt obedientia perſolvi: quiddam tamen amplius impactum videtur, nimirum illud divinæ maledictionis oneroſum atque immobile pondus, ut neque nos quicquam cum Deo commune, nec ipſe nobiſcum ſit habiturus: unde fit, ut hæc ruina omnino reparari nequeat, neque ſuperſit ulla reſurgendi voluntas, qui eſt hujus miſeriæ altiſſimus fundus, & omnino inſuperabilis vorago; quam nemo morta-

mortalium ſine novo divinæ opis impulſu trajicere poteſt. Sub hæc dicta Politianus adjecit. At vero ſi libenter velim, quo jure quâve æquitate, quod parentes deliquerint, nos pari ſupplicio luamus; cùm ipſe Deus diſtinctè pronunciet, paterna crimina ad numerare ſe nolle poſteritati. Cui Joſephus. Ut hoc præceptum inſtar omnium præceptorum, ita illud par hominum inſtar univerſi generis conſtitutum fuit; in quibus noſtræ fragilitatis hoc unicum caperetur experimentum: & quemadmodum veriſimillimum eſt, hac lege obſervatâ, a cæteris omnibus nihil fuiſſe periculi; ſic ipſis ſtantibus, omnes fortè confirmatos fore; neque omnium aliorum parentum flagitia, neque omnia alia ipſius Adami, in liberorum capita eo more deſcendunt: ergo huic arbori ſcientiæ boni ac mali inſcripta eſt; quod hanc unicam peccandi opportunitatem haberent, per quam ad ſceleris conſcientiam devenirent: atque ob id arbor vitæ proximè adjuncta eſt, ut ex alio ſimili ſacramento commoneficerent univerſam ſalutis ac vitæ ſpem a vetitæ arboris religione pendere. Hinc illa ironica exprobratio: Ecce homo factus eſt noſtri ſimilis ſcientiâ boni ac mali præditus! alludit ſcilicet ad vaniſſimam illam prævaricationem: Eritis ſicut Dii: quam iſte veterator tam bellè inſtruxit ex myſticâ arboris appellatione, & conflatâ in prohibentem invidiâ: Denique Deus, ut omnem ſpem ac ſpeciem ſalutis a nobis abducat, hoc vitæ pignore excommunicatos, ab ipſo quoque paradiſo exterminat. Neque unus tantum, ſed uterque parens humani generis huic culpæ interfuere: unde nos omnes, qui ab illis naſcimur, jam tum ipſorum perſonis incluſi, in eandem noxam ſuccedimus. Quapropter Chriſtum edi oportuit, extra

tra communem naſcendi legem, ne hujus morbi contagione hæreditario jure innecteretur: neque impedit, quod ab illâ parente, quæ in hoc ſcelus prior incidit, humanitatem ſuam traxerit: quia non tam ſingulorum delicta, quàm illud ab utriſque perfectum crimen ad liberos pertinet. Cum his lucrandi perdendique ſortem inivimus: nec quis dicat malle ſe ſuo ſtetiſſe periculo; aut ſaltem optionem feciſſe, quibus ſuâ vice rem tantam committeret? cùm omnes ex eadem maſſâ producti, iiſdem defenſionibus inſtructi, eadem arte aggrediendi eſſemus: cumque jam duo omnino fuiſſent, neuter horum culpâ vacavit: ac nos eandem impiam voluntatem per quotidianas libidines renovamus. Haud verò Dei judicia nimis ſollicitè & ſcrupuloſè exploremus; ſed pro præſenti rerum ſtatu agnoſcamus ſcelerum incumbentium molem, & noſtræ ſaluti proſpiciamus. Laudabant illi prudentiſſimam modeſtiam, & in eâ potius acquieſcere videbantur. Tum iterum Joſephus. Nunc quoque pœnæ rationem explicabimus. Primò conſtituamus nobiſcum id quod nemini ambigendum eſt, quicquid in ſe bonum juſtumque ſit, huic ea, quæ alio ſenſu bona dicimus, deberi, quæ verò mala ſint mereri contraria: hanc ſententiam natura pronunciat, conſcientia noſtra in ſe recipit, expectat, exhorret, ac Deus ipſe totius mundi æquiſſimus judex proculdubiò eſt executurus: neque aliâ voce ſcelera noſtra ad ipſum provocant, quàm ut hanc ſupremam legem in ſontes exerceat. At Politianus: Cur ergo non plectuntur impii, ſaltem ob egregia & nefanda flagitia? cur tot præmia injuſtitiæ auferunt? cur è vivis impunes abeunt, & per ſcelera famam & fœlicitatem comparant? cur boni ubique in prædam expoſiti, ipſius innocentiæ

nocentiæ laqueo ſe implicant? certè omnia adeò vacillant, & perpetuâ incertitudine laborant, ut nonnullam occaſionem dederint contrariæ opinioni, Deum ſuâ cœleſti beatitudine perfrui, nos mortales, ceu tot pilas, ludibrio habere, neque rerum noſtrarum ſtudio ſuam pacem ſollicitare. Huic reſpondit Joſephus. Ethnici ſanè tam exilem Dei notitiam habuere, ut ſi omnia non ſuccederent pro mentis arbitrio, de ipſo numine dubitarent: neque nos ſecus cum Deo agimus, qui ipſius juſtitiam ad menſuram noſtræ patientiæ contrahimus: atqui ipſe, qui ob minima noſtra peccata præſentiùs iraſcitur quàm nos maximis offenſionibus irritati, hac tam mirabili tolerantiâ egregiam ſuam longanimitatem oſtentat: utcunque vero ſit patientiſſimus, ac diutiſſimè ferat, oportet tandem aliquando æquare ſupplicia meritis, ut juſtitia quoque ſuas partes abſolvat: neque hæc omnis cunctatio obeſt quo minus perfectiſſimam ultionem expleat, modò ad ejus æternitatem & omnipotentiam reſpiciatis: quod ſi quis noſtrûm cum orbe condito natus eſſet, omniumque ſeculorum ſeculum viveret, & univerſam ſceleris ſentinam in ſe unum contraheret; non hic magis ſperet, aut ſe integram impunitatem conſecuturum, aut ab ullâ parte excuſatum fore, quam ſi unicâ tantùm labeculâ ſpargeretur: ut enim quiſque ſcelus accumulat, ita juſtiſſimus judex in alteram lancem ſupplicii pondus exactè imponit; ac non ſortem modò ſed uſuram quoque tam longæ tolerationis uſque ad ultimum quadrantem repoſcit: ipſoque noviſſimo judicii die eadem omnia quæ nunc confuſa & promiſcuè jactata videntur in debitam

per

perfectionem restituet: & tanquam ex altero hujus seculi chao pulcherrimos rerum ordines & universam providentiæ seriem in omnium conspectum educet. Ut qui amplissimam domum extruere atque adornare secum instituit, multam materiæ vim, saxorumque & metallorum, rerumque diversissimarum copiam comparat, quæ singula vario more, cædit, dedolat, fabricat; & quamvis omnia invicem coaptata arte suâ definiverit, & certissima observatione notaverit; ubique tamen particulatim sparsa per negligentiæ speciem disjicit, ut quicunque intueatur, cum nihil perfectum, nihil ordinatum, nihil compositum inveniat, stupeat quidem plurimùm & varias conjecturas animo inducat, artificium ac formam operis, & tot singulorum membrorum communes usus minimè advertat, cum hic infimæ partes superjaceant, summæ obruantur, & quæ proximè collocari debent, longissimè dividantur: ipse verò Architectus, omnibus ritè præparatis, tum demùm adhibet supremam manum, totamque compaginem in ordinem disponit, ac denique erigit in formam perfectissimi ædificii: ita cùm illud extremum judicium consummatum fuerit, omnia in suas partes abibunt; neque minùs distabunt inter se homines quàm nunc boni ac mali Angeli, qui quamvis naturâ conjuncti sint, & participes ejusdem originis, ex diversâ tamen ratione meritorum, & justissimâ Dei sententia, illos summo gradu constitutos agnoscimus, hos ad omnem malitiam & miseriam projectos non sine maximo horrore nominamus. Neque scelera nostra in nos minùs valent, neque divina misericordia ad inferiora servatos attollit. Nunc quidem, ut nulla extat aut nostræ nequitiæ, aut virtutis perfectio, sic in mediâ quadam

regione

regione pendemus, inter cœlitum gaudia, & pœnas inferorum. Credi autem oportet hæc extrema supplicia quæ ad Dei vindictam perfectissimè exequendam ab orbe fundato sunt præparata, constare ex omni miseriarum æstu, quas Deus incutere potest, ac naturæ nostræ conditio sufferre: quem enim quisque odit vult esse miserrimum: & licet ex peccato mortalitas nata sit, hæc ipsa peccati pœna mortem excludit, vel potius in perpetuum extrahit: quin idcirco morimur; ut in futuræ vitæ immortalitatem transeamus. Hic Eugenius. Equidem hanc mecum conjecturam duco, universas elementorum virtutes, quæ primùm ad corporis voluptatem harmonicè consentiebant, & nunc quasi dubiâ pace mediam facultatem sortiuntur, tum denique inverti, atque armari in exitium nostrum: ita ut intra se omnium dolorum morborumque fortissimam complicationem, & extra, ipsius naturæ militiam summâ vi irruentem damnati persentiant: atque hoc videtur æquitati convenire, ut in quo quis peccat, in eo plectatur. Hanc pœnam primo parentum sceleri Deus adjecit: nempe ut tellus (quo fortè nomine hic omnis inferior orbis, quem homines possident, designatus est) pro segete spinas & tribulos pareret, id est, pro rebus commodis noxias, atque incommodas: quid ergo restat quàm ut peracto Dei judicio hæc eadem pœna perficiatur? & quiddam tale innuere visa est divina autoritas: novos cœlos, ac novam tellurem, quæ justitia incolat, iri creata: nimirum ut omnia huic justitiæ serviant, & in illius æternam possessionem cedant. Hæc illa restauratio seu vindicta naturæ, nunc libidini nostræ inservire coactæ: atque est ejus altera perfectio, ut divinam ultionem exequatur. Cui Josephus. Multi doctorum

in

in hujusmodi argutiis curiosè insistunt, nobis scire sufficit, utramque defunctorum conditionem, neque sub nostrum aspectum, neque auditum, neque ipsius animi comprehensionem cadere: & hanc quidem intolerabilem esse & ineffabilem: quin si libet imaginari, finge quicquid vis, & vel id ipsum, vel certè aliquid tristius eventurum expectes: neq; solum in naturam peccavimus, sed in ipsum creatorem; qui cùm universam hominis constitutionem noverit, potest omnia ossa perfringere, omnes nervos distringere, omnesque sensus ac spiritus conficere, & supra hunc rerum ordinem cum sontibus agere, quod neque verbis definire, neque cogitando nunc assequi possumus; corpus, ut sceleris, ita suppliciorum partem feret; sedes verò hujus belli est ipse animus, qui in Deum militat, & ab illo victus perire cogitur: hic vermis iste, hic vultur, hic aquila, conscientiorum pectori incumbens: æstimate nunc paululum quàm ingens & intolerabilis pœna sit imaginibus rerum fœdissimarum suâ se facie prodentium semper infestari, metu distrahi, dolore submergi, pudore obrui, irritâ cupiditate incendi, angi invidiâ, acerbissimâ ruminatione suarum omnium stultitiarum vexari: tum etiam mens ipsa, quæ cæteras quascunque infirmitates perpeti potest, & ridere sævissimas tyrannorum injurias, irato creatori subjecta, & ab illo domita & enervata, suus sibi infensissimus sit carnifex: ut si humeris sanctis imponatur onus, dolor vulneris sit magis cruciaturus, quàm molis gravitas. Singulos suis vermibus, sive serpentibus, quos in proprio sinu parturiunt, rodi & lacerari credibile est; & meritorum suorum mensurâ impleri: ut quantò animosius hæc flagitia patraverint, tantò vehementius patiantur: torquet

Pharao-

Pharaones ſua crudelitas, Sardanapalos ſolvit mollities, Cæſares rumpuntur ſuperbiâ, Catones falſa juſtitiæ ſpecies ludificatur, & qui veram religionem aut ſuperſtitioſè aut inſincerè adorti ſunt, hujus ſæviſſimâ exprobratione præ cæteris gravantur. His adde offenſi judicis ſeveros aſpectus, & inimicam faciem tanti ultoris: utcunque nunc, dum parcit et connivet, ſatis ſecurè, atq; ſuperbè ſe gerant; tum demum fortiſſimi duces ac reges, maximo metu & horrore perſtricti, ipſos montes & ſcopulos rogabunt ut a viſu irati numinis, neq; mitioris agni ſe condãt. Hæc eſt omniũ pœnarum, & tormentorũ perfectio, quæ buſto gehennæ ignẽ ſubjicit, & ſe ſuo lumine ſemper oſtẽtat. Quin alia adhuc gehenna ſupereſt, ſcilicet ſanctorum incomparabilis fœlicitas, quæ exacuit damnatorum invidiam, præſertim eorũ, qui ad eam ſpem proximè acceſſerant: tum illos quoq; qui hic tantâ animorũ magnitudine tumeſcebant, ut neq; priorem ſuſtinere neque parem admittere poſſent, tunc a viliſſimis quibuſq; viventium, non tantum laude & dignitate ſuperatos, ſed ipſorum conſentiente judicio, quaſi ſub pedibus cõculcatos par eſt pudore & indignatione adeò fore confuſos ut præ hac maximâ torturâ reliquorum ſupplicio-rum ferè ſenſum amittant. Neq; hæc abyſſus miſeriarũ ſpem ullam pro fundo ſubſternit; quin mens fracta penitus & labefacta perpetuo malorum gurgite abſorbeatur: ipſum nomen æternitatis ultimum animi proſpectum eripit: non ſi congemines univerſum mundi ſeculum per omnia momenta quæ ipſum conſtituunt; non ſi totus orbis in minutiſſimos atomos contundatur, & his unisquibuſque eam integram ætatem imputes, ipſius menſuram conſequaris; imò ne minimam, ac vix primam particulam: cùm revera ſemper

incipiat; ac nunquam desinat; & post longissimam sui profusionem largiores adhuc reliquias afferat: nullus finis est, nullum dimidium, nullus post maxima transacta spatia brevissimus gradus, qui miserrimam mentem sistat atque soletur, tanquam aliquâ parte calamitatum perfunctam. Huc refer illum immanem pœnarum sensum, qui diem in annum, annum in seculum extrahere solet: certè invenies hujus supplicii summam, & Deo vindice dignam, & fortissimis peccatoribus horrendam. Imò, inquit Eugenius, his omnibus, quibus nemo quicquam adjiciendum expectet, forsan aliam immensitatem imponat perpetua pœnarum suppullulatio: quamlibet enim peccandi facultas, secundum eam habitudinem, quam in hac vitâ acquisiverit, sit definita: cùm tamen summâ vi & ardore animi se semper exerceat, oportet per actus indesinenter repetitos in perpetuum augescere; & perinde pœnam non minùs intendi: credi enim par est malos dæmones nunc esse magis consceleratos, quam statim a primo lapsu fuerint, & ob id gravioribus suppliciis dignos. Atque ut natura potest a creatore indurari ad istius ægritudinis æternitatem, quæ nunc præsentissimam mortem inferret, vel stupore sensum adimeret: ita potest ejus capacitas usque laxari, veluti crescentibus membris universa cutis pariter succrescit: sic ut nullos terminos hæc tortura sortiatur, & tamen pro variâ scelerum sarcinâ, quam quisque moriens secum intulerit, ordinum varietatem & distinctionem teneat. Josephus cum gemitu respondebat. Nihil nimium, aut exprimi potest, aut cogitari de plenitudine horum suppliciorum, ob quæ hanc naturam adeò extendi oportet, proinde ab illâ nunc minimè concipi possunt. Hanc omnium miseriarum extremi-

tremitatem vel a nativo lapsu meremur: unde ipsi infantes moriuntur, Ita nos miserrimi mortales, & hæreditario jure, & propriâ perquisitione certissimam gehennæ possessionem asserimus. Siquidem æquè cum primis parentibus, cum ipsis dæmonibns, quibus nemo aliquam pietatis scintillam subesse crediderit, sceleris colluvie immergimur: ac nunc eundem malitiæ fontem in nobis retinemus, qui post mortem obice remoto liberrimè effluet. Neque humana virtus aut justitia civilis ab hac pœnâ ullatenus excusat, aut præmium a Deo exigit: cum in illâ naturâ exerceatur, quæ licet pro hoc statu restricta sit, ad conservationem humanarum societatum, est tamen omninò corrupta, neque ad verum numinis amorem, quæ est unica pietatis ratio, supra omnes humanos respectus ascendit: atque ut sanctissimus quisque se solummodo per divinam benignitatem servatum sentiat, cum hujus naturæ acerbitate ipsam gratiam adeò coagulatam habet, ut in totius vitæ curriculo nullam actionem excerpere possit, tam undique absolutam & circumspectam, cui stare audeat, & juxta illius integritatem expectare judicium Dei. Omittamus itaque spem omnem salutis in nostrâ potestate positam. Consumpto sermone, dum hic diutius immorarentur, Eugenius Josepha libellum eduxit, & nunc, inquit ad Josephum, tua carmina recitabo quæ divinam in Jobum animadversionem cum infinitæ libertatis & omnipotentiæ argumentis pulcherrime exponunt, ac simul legere cœpit.

Tum Pater omnipotens, vocem referente procellâ,
Talibus attonitum verbis castigat Jobum.
Quin ades, atque animo te nunc accinge virili;
Ipse petam; nostris, si quid potes, objice dictis.

Tu ne etiam æternas cœli rescindere leges,
Et me posse putas vanis mercare querelis,
Ut proprium decus, & justos tuearis honores?
Ergone sunt nostris similes virtute lacerti,
Aut tua fulminibus vox est armata tremendis?
Scilicet & sacrâ te majestate verendum
Indue, divinum membris impone decorem.
Regales, î, sparge minas, & numine dignas
In populos summis ostenta viribus iras:
Quemque Giganteos tollentem despice vultus,
Altior, & tumidos oculis interfice fastus:
Sub pedibusque suis in sedibus obrue fontes:
Conde simul tumulis, umbrisq; immersa profundis
Ora tenebrosis Erebi compone catenis.
Tunc ego te propriâ fretum virtute fatebor
Posse quoque æternam sine me præstare salutem.
En nunc immensi vires Elephantis & ora!
Quem tecum in terris præstantem robore magno,
Utque bovem viridi vescentem gramine feci.
En quantus vigor in lumbis, utque insita virtus
Defendat medium valido munimine ventrem!
Par cedro se cauda movet; nerviq; rigentes
Constringunt geminos testes: riget ossea crates,
Vectibus æratis similis, ferroque potenti.
Ipse operum princeps & gloria summa meorum:
Quique dedi, fragilem quâ parte reposcere vitam
Ense meo, totamque scio pessundare molem.
Olli omnis victum mons educat ubere lato;
Qui simul innumeras pecudes, armentaq; lustra
Oblectet satiata cibis: tum pastus in umbrâ
Sternitur arboreâ; gelidæve ad stagna paludis
Condit arundineo fusum sub tegmine tergum.
Circumstant densæ nigrâ caligine sylvæ;

Et

Et ſalices nimios defendunt luminis eſtus.
Ecce bibens fluvii venientem intervipit undam,
Corripit & totos oculis ardentibus ignes,
Carpere Jordanem vaſto conſiſus hiatu:
Tanta ſeræ facies: nares oblonga proboſcis
Armat, & inſidias hominum perrumpit inanes.
Num potes & mediis bulænam e fluctibus hamo
Ducere, vel linguam demiſſo prendere lino?
Num ſtimulo faucem, aut unco ſuſtendere naſum?
Illa preces ſupplex, aut mollia verba loquetur?
Quæſitam aut humili componet fœdere pacem,
Serviat ut cunctos longævi temporis annos?
An tibi ceu paſſer ludos dabit? anne puellis
Impoſitâ trades devinctam colla catenâ?
Aut epulum ſocii facient? aut plurimus emptor
Diſtrahet? an ferro latus & caput omne ſecabis?
Pone manum, & pugnæ metuens nihil amplius aude
Heu ſperare nefas! viſo cadat eminus illo
Qui ſequitur: cui tanta ſuper fiducia cordi,
Cominus ut ſævi moveat certamina belli?
Quis me, qui tali fretam virtute creavi,
Contraſtare poteſt? aut vim prævertere noſtram,
Reddere cui nequeam? mea ſunt quæ maximus æther
Continet, & totum ſervat digeſta per orbem.

His perlectis medicus intervenit, & redeundi copiam fecit. Et jam, retulit, minùs de corpore, atqui meliùs ſperare audeo de ſalute animæ. Diu conflictatus eſt cum hoſte graviſſimo, ferro, laqueo, aut quovis modo miſerabilem animam laxare tentavit; neque jura ſorbilia recipere ſuſtinuit: jamdudum ſpei benignioris aura menti cœpit illuceſcere: vos itaque adeſte, et communibus votis tanquam ab inferis re-

divivum eripite. Sic locutum e tticlinio confestim sequebantur. Stabant plurimi circa Theophrasti lectum, & mollissimis verbis consolabantur: preces quoque crebro adjungebant. Tum ille mitius allocutus, & se morti proximum sentiens, Jam solvo inquit, in immensum pelagus æternitatis: jam terras, & sydera, & harum omnium rerum aspectum, ac mortalium societatem relinquo: jam jam perpetuâ caligine obruor, & quo vadam nescio. Moriturum me semper judicavi, nunc primùm mortem præ oculis habeo, & in ipso limine constitutus, prioris vitæ vanitatem, ac hujus terribilem præsentiam agnosco. Ubi nunc opes, & umbratile gaudium, & inanis scientiarum tumor? ubi fictæ fœlicitatis spes, & inexpletæ cupiditates? ante me omnia mea perierunt: nec qui maxima possidet, quicquam aliis legare potest, præter lutum, & lapides, & metallorum frustula, cæteraque fortunæ ludibria: præstantissimas viventium dotes, artem & experientiam, mors abripit: neque hæc ipsis sunt profutura in alio seculo: tota vitæ summa in meritorum rationibus inclusa est: hæc sola secum defuncti avehunt. At ego quid faciam miser? qui nulla virtutis, nulla pietatis monumenta erexi, nullam fiduciam, spem nullam præmisi, quæ his omnibus nudatum excipiant. Hic excitato ingenti gemitu, omnia quæ dixerat, quasi uno spiritu collecta repetebat: & qui aderant singuli adjectis gemitibus consonabant. At Josephus, ut hanc inanem misericordiam ad officiosam pietatem produceret, ita suscepit. Tu nunc fortè a nobis abiturus es, a Deo nunquam recedis; qui te, tuaque omnia in suâ manu perpetuò tenet. Cogitare te velim, si primùm seorsim creatus esses, mente maturâ atque adultâ antequam

tequam hunc orbem ingredereris, quem mundi sensum aut scientiam habuisses: atqui ille cœlum, maria, terras, & variarum rerum genera in tuos usus præparaverat: nunc in novum orbem est traducturus, cujus tabulam in hac vitâ depinxit. Itaque, dum licet, insiste, arripe, ora atque exora; ac non dubita, quin exacto hoc mortalitatis spatio in meliora secula sis exiturus. Ille nihil ad dicentem referens, sed sibi intentus, hæc tandem magno cum ardore proferebat. Necdum, neque dum, neque dum jacta est alea æternitatis meæ: nunc id unico momento parabile est, quod nulla olim consequetur perennitas: non desistam itaque dum vivo, dum morior, & cùm ad gehennam deorsum labor, usque & usque respicere ad infinitæ misericordiæ faciem. Siste, ô siste paululum, donec aliquem tuæ benignitatis sensum degustem, & vel e portu decedens, hac fiduciâ incitatus avolem! Hæc clarè professus, plura secum tacitè mussabat. Omnes gratulabantur, & laudabant fidei surgentis indicia: ac optimè secum constituisse dicebant, hortati ne unquam a pulcherrimo proposito decederet. Quin ut ipsi adjumento essent, ab omnibus in preces itum est. Inter has, animâ sensim expirante, mente compositus, oculis ad cœlum erectis jacuit: donec ingenti gemitu edito spiritum nexu corporeo solutum ex hoc seculo ad cœlum emitteret.

NOVÆ SOLYMÆ

Liber Quintus.

URgente jam vesperâ, & funebribus Philippinæ reliquiis plumbo compositis, Josephus ex hospitio discessurus Siculos officio perfunctos sibi domùm invitabat ad cœnam. Cadaveris curâ servis demandatâ, cum ancillâ, quam pro indice ex Siciliâ adduxerant, ut quæ Philippinæ assueta omnium secretorum erat conscia (& nunc ipsi pariter timebant) e funestâ domo egredientur. Ubi ad Jacobi venerant; ipse, dum cœna in ornando esset, inter alios sermones, quos usque adhuc de Philippinæ fato ingeminabant, ab iis petebat, absente Josepho, ut rem integram ordine recitarent, quam strictim atque summatim, citra ullam Philippinæ mentionem, a filio acceperat. Illi in Galateam, id ancillæ nomen fuit, conjectis oculis, innuebant se pauciſſima scire, præterquam quæ ab eâ coactè hauserant; ipsam, si induci queat, posse plenius enarrare. Tum ab omnibus sollicitata, ut erat fandi prompta, & nunc omni dominæ necessitudine liberata, singula sincerè aperire occœpit, quæ ob viventis verecundiam hucusque celaverat. Primùm modico pudore perfusa, oculisque guttatim stillantibus, sic

est

est præfatâ: Ignosce domina, jam functa mortalium rebus; quæque hanc famam nunc minimè conscis, aut in æternam libertatem recepta securè despicis atque irrides. Hinc ad Jacobum conversa, Est, inquit, hujus heu quondam pater, nomine Sebastianus, Dux Panormitanus, magnis opibus & potentiâ pollens: nec quicquam deerat ad tantarum fortunarum summam, præter masculam stirpem, quæ in eadem familiâ cum nomine ad posteros continuaret: hunc defectum quàm proximè supplebat unica filia, non vulgaris formæ, vel indolis, quæque in seipsâ plus dotis habebat, quàm a patre sperari poterat. Nec mirum si nimiâ ferè indulgentiâ a parentibus coleretur; auxitque postea paternam charitatem matris amissæ desiderium: alteram quidem uxorem duxerat, sed improlem, & infœcundam: hanc solam superstitem spem, hoc solatium senectutis habebat. Ipse egregiis nuptiis destinaverat: nec quisquam erat nobiliorum juvenum qui tales fortunas non ambiret. Fortè accidit, ut pater venandi studio deditus nos secum ex Panormo, ubi tum temporis residebat, in agros educeret: neque ulla voluptas illi jucunda fuit, cui non filia interesset. Dum cervo in fugam effuso ipse cum canibus insistit, Philippina longiùs subsecuta, & mox cursui liberiùs indulgens, equum, seu sponte lasciv ientem, sive cestro concitatum regere non potuit; quin oneri suo parum consulens, sub ramos ingentis quercûs, qua proximè ducebat præcuntium clamor, in maximum discrimen aveheret. Nos quæ in hujus comitatu eramus, segnioribus equis impositæ, haud satis æquavimus tam inexpectatam velocitatem. Ego, quæ summo impetu præ cæteris subvolabam, cum jam tergo imminerem, proprioris periculi negligens, ad

col-

collicolum præceps excutior. Multi inerant pedites undique per campum circumfusi, qui ad hujus ludi celebritatem convenerant; hi qui proximè præcedebant, ad nostros ejulatus conversi, in auxilium certatim ituunt. Vix omnes unius diligentia, & admirabilis celeritas, quem nunc tuum esse filium cognoscimus. Hic, ubi ramos penè contingeret, commodè intervenit, frænos manu prehensurus. At illa instanti fato perterrita, & ex ipso metu audacior facta, desiliendi consilium præcipit: quod ipse simul annotans, expansis brachiis in sinum recepit. Illa tremens & palpitans, neque pedibus constare, neque profari poterat: sed labantibus articulis ad terram fluebat; fluentem Josephus sustinuit; & in tumuli latus seipsum reclinans, gremio nitentem imposuit. Mox ipsa recreatis viribus, & ad memoriam præsentis posituræ rediens, subito rubore accensa, juvenemque pari verecundiâ spargebat. Uterque se mutuo aspectu (velum fugâ deciderat) parumper contemplati, ad pueliarum adventum, exurgebant una in pedes. Tum illa ad has respiciens, Quisquamne, aiebat, ratione prædictus jumenti se credat insanis? mortis certè periculum adiissem, nisi hic pedes maturius occurrisset: ita sublimes nonnunquam inferiorum subsidia poscimus: ac utinam ocyùs affuisset, neque nunc inter viriles amplexus labantem dominam offenderetis: sed necessitas modestiam nescit. Inde me intuens, quæ gravissimo casu humi defixa interim omnia propiùs adverterant, sic jocata est, Hæc, inquit, quia prævenire non potuit, e longinquo exemplum desiliendi dedit: cùm autem verecundior sit, maluit descendere ad matris gremium quàm in brachia juvenis. Nos omnes congratulaba-

mur

tam tantam formidinem esse in risum tam fœlicitèr conversam: protinus unam e puellari satellitio dimittimus ad currum, qui non procul restabat, ut ad eam excipiendam propiùs adigeretur. Interim ipsa accepti beneficii memor, me ad juvenem, qui inter loquendum secesserat, ire jussit, & diligenter exquirere, quis esset; orareque, ut ad se rediret. Revocatum avidè intuebatur, &, ô hospes, dicebat, quisquis es, optimo certè tempore venisti in salutem meam: quapropter cum maximis gratiis equum tibi in præsenti concedo: ac ne tantùm fugitiva munera conferre videar, curabo, cùm domum rediero, ut certioni præmio redoneris. Respondebat, gaudere se in aliquam partem hujus fœlicitatis venisse: ac non sibi minùs jucundam esse, quàm ipsi, quæ acceperat: neque cùm hæc ageret de præmio secum pepigisse, sed humanis affectibus incitatum, suam operam objecisse tam præsenti exitio: nunc ob id potiùs exultare, quòd tantæ nobilitatis & virtutis virgini, Deo favente, succurrisset. Hæc tam magnificè tamq; ingenuo ore pronunciabat, ut facilè constaret, mercenarium non esse, neq; mediocri loco editum habitus quoq; minimè plebeius, ad peregrinum morem compositus, cum poditis fortunâ non conveniebat: adeò ut dominam ferè pœniteret non rectè collocatæ liberalitatis: ad excusationis itaq; necessitatem descendens, orabat plurimum ut pro suâ humanitate magis in favoris testimonii quàm mercedis loco admittere vellet. Abeuntem singulæ summis laudibus prosequebantur; aliæ ob virtutem, & strenuitatem: aliæ ob oris elegantiã, aliæ ob modestiam, & ingenuitatem: Philippina omnia tacitè agnoscebat, altiori vulnere perculsa, quàm tum ulla suspicio caperet. Dum interea consistimus, hinc currus properè subibat

bat ad dominam; inde pater anhelans, & trepidans, cum omni comitatu advolabat: & quamvis natam incolumem cerneret, nobis tamen omnibus irascebatur, quod illi non satis caviſſemus: ſed præcipuè ſuis ſervis, qui ad cuſtodiam relicti, in impetu venationis longiùs aberraverant. Hi equum liberè palantem, in ſylvarum anguſtiis inter ſe comprehenſum, ad dominam reducebant. Illa placido vultu blandè excuſabat, a ſe veniam fuiſſe donatam: neque hoc infortunium ulla curâ præverti potuiſſe; ſeque non minori fœlicitate a peregrino juvene ſoſpitatam, equi ſolius diſpendio, quem ipſi dono dederat. Sebaſtianus undique circumſpiciens, quærebat, ubinam hic juvenis eſſet: ut abiiſſe relatum eſt, jubebat in urbe exquiri, & quicquid amplius filiæ decerneret in præmium adjici. Tum in currum uterque ſublati, intermiſſâ venatione, ad urbem redeunt. Eâ nocte Philippina me clam conveniens, curioſè rogabat, de nomine & fortunâ ſervatoris ſui (ſic enim adhuc ignotum appellabat) Ego Judæum eſſe refero; quod ex habitu conjicere poterat: ipſum in notiſſimi pictoris domo haud procul a palatio hoſpitari. Illa hunc ſermonem ingreſſa, & ſeipſam hujus beneficio debere profeſſa, non leve meritum nimiis tamen laudibus efferebat: Et, ô Galatea, dicebat, diffiteri nequeo, quod eloqui pudet, mentem meam non ſolito more eſſe affectam: ſi vidiſſes accelerandi ſtudium, ſi ſervandi variam & verſatilem diligentiam; ut, dum pergerem, ad frænos jam jam prehenſurus reſpiceret, & eodem momento, quaſi mutatæ voluntatis conſcius, in amplexus brachia componeret: ut labantem foveret indulgentiſſimo ſinu: ſi pudicos aſpectus, & pluſquam virginalem modeſtiam ſuis ingentibus

gentibus meritis obrutam, non injustè recordari diceres tam egregiæ humanitatis: nobiles animos ingenui gestus omni formâ & fortunis efficaciùs attrahunt: & quis scit, an hic quoque non indignus sit ampliori benevolentiâ, & sub humili personâ altissimam sortem male dissimulet, quam patriciæ virtutes ostentant? Fortè mei nominis famam sectatus, hanc mutui aspectus occasionem quæsivit: quicunq; sit, utinam par esset amori meo; donec id altiùs exploraverim, his cogitationibus frænos injiciam: quod si constiterit, ignosce, quæso, si tantis virtutibus, æquè dotatis, me minimè aversam fatear. Equidem hactenus tuam expertam fidelitatem non jejunis laudibus agnovi: nunc si te vis fœlicem fieri, his meis sermonibus religiosam taciturnitatem adhibe; ac præterea consilio juva, ut quod e re meâ sit, tecum constituam. Crâstino mane cum præmio ad illum abire te volo: & producto sermone quicquid ab eo depromi potest aut per alios cautè intelligi ad me referre. Ego stupens atque attonita perstabam, donec mentem liberrimè effunderet: & mirabar mecum amantium fata, quæ plerumque ex levibus & ridiculis initiis tantas vires sortiri solent, & incautos a fortuitis igniculis mox vehementi incendio corripiunt. Miserebar verò plurimùm tenerrimæ virginis; & mihi quidem insanire videbatur, quæ cum plurimos notos, & supremæ sortis amatores hucusque fastidiret, nunc ignoti, & peregrini, tam subito, nec, quoad constare posset, mutuo amore flagraret: sed hæc sunt fortunæ lascivientis ludibria, & fœmineæ mentis intemperiæ. Cum autem urgeret præsenti negotio, certum erat ejus votis obsecundare: si enim obsisterem, illi fortè minùs prodessem, mihi sanè nequaquam saperem: siquidem superiorum

petiorum secreta solent admissa summam familiaritatem contrahere, repudiata odium & furorem accendere: sperabam quoque meis artibus effectum iri, ut vel domina prudenter amaret, vel ab hac insaniâ facilius decederet. Laudabam itaque quòd non temerè & inconsultò tantos affectus ingruentes reciperet; neque ut vanæ mulieres solent, amori famam & fortunas submitteret: monebam etiam ut in eodem instituto persisteret, & fideli meâ operâ uteretur; ut vel illibatâ dignitate assequeretur quod vellet, vel hæc vota non invita deponeret. Tum illa, armillam auream, quam in manu paratam habebat, mihi tradebat deferendam: sciret, si ita videretur, se priùs gestare solitam: nunc, in pignus nondum persolutæ gratitudinis, equo optimè instructo adjicere. Ego cum hoc munere die crastino in urbem abeo: equum post me adducendum curaveram. Ubi ad domum pictoris accedo; cum ipso prius collocuta de hospite, cujus fama ob hesternum facinus apud omnes jam percrebuerat, Ducem velle dicebam, non sic abire indonatum. Deinde quærebam, quis esset, cujus loci, ac conditionis. At pictor. Nupertimè hanc domum adibat, & de arte pingendi multa mecum differens, profitebatur se eam edisci velle; ipse autem perfectissimè pingit; aliquot tabulas mecum confecit, quas maximis pretiis divendimus: atque ut posteà didici, peregrinandi studio huc advectus, a latronibus in itinere spoliatus est: inde, quod auguror, cum animi excciderint, neque ullos hic habeat necessarios, hac arte rem quæritat: quin mecum liberaliter agit, ac mihi maximo est adjumento, neque dubia nobilioris fortunæ indicia præfert, cum humillimâ pietate conjuncta. His primùm investigatis ab illo ad Josephum

deferor

deferor, cui plurima Philippinæ nomine præfata, armillam in manus tradere volebam: ſtupuit ille, atq; reſiluit ab hac nimia liberalitate, & ſe tam modeſtis excuſationibus munivit, ut vix ullâ importunitate deſtinato munere afficere poſſem: tandem victus ac penè coactus cum mutuâ gratitudine recepit. Indicabam etiam, equum, quem heri dederat, ad ipſum mox eſſe tranſmittendum; Ille hac ingenti munificentiâ oneratus, ut ſe aliquantùm exolveret, imaginem arripuit, quam dudum perfecerat; & meis oculis ſubjiciens, ſi id gratum dominæ foret, ad eam ſe mittere velle dicebat. Erat ipſius Philippinæ facies, cinctu tenus egregiè depicta. delineatam a pictore acceperat; ipſe verò ex heſterno aſpectu pauca accuratiùs emendaverat. Tabulam formaverat in ſpeculi modum aqueis coloribus obductam: ingenioſo ſanè commento, ut dum ipſa intueretur, tanquam a vitro ſe reſpicere crederet. Ego egregiam artem multùm admirans, annuebam Philippinæ gratiſſimam fore. Tum accito pictoris puero, mecum ad dominam convehere juſſit. Ad eam reverſa, me jamdiu cupidè expectantem, ſic alloquebar. Præclarum ſane nactus es amatorem: atq; ut vitæ conditionem ſcias, pictoris ſervum; qui pro ſolidis tuis muneribus pictas tibi reſtituit gratias. Expalluit illa, atque contremuit ad hæc verba, donec tabellam porrigerem; quam undiq; perluſtrans. Quid hoc, inquit, rei eſt? ſpecularium potiùs quàm pictorem dixeris: Equidem meam faciem in hac tabulâ tã vivide depictam quaſi a ſpeculo repræſentatam agnoſco: quiſquis eſt, certè niſi amaret, tam vivam mei imaginem non concepiſſet, at tu, quæſo, dic ſodes qualem eſſe cenſeas: ut vel æquali favere pergam, vel indigni curam abjiciam. Tum ego, fateor, ut ab hoc inſano amore dominam abſtraherem,

rem, incertam ſpem quam de illius fortunis hauſerat meis indiciis et argumentis depreſſi, Renarrabam præſentis conditionis anguſtias: ex eo humilẽ et ignobilẽ videri quod in tanta mercatorũ frequentia, quibus urbs noſtra abundat, cum omnibus ferè populis cõmercium habentibus, neminem inveniret qui ex certâ cognitione generis ac loci quem in patria ſua teneat paucorũ nũmorum fidem præſtaret: tum etſi pingendi uſus ſatis eſſet ingenuus, tantũ tamen ejus perfectionẽ non niſi in hac arte educatis competere. Quin et eſſe illius modeſtiæ juvenem, qui minime videretur ſollicitare furtivos amores Illa reſpondebat, ſibi placere modeſtũ amatorem; intemperantem et improbũ, ut impudicum abominari, ſed de his, inquit, poſtea capiemus conſiliũ. Interim æquum eſt me illius neceſſitatibus ſubvenire, qui meæ vitæ defenſor extitit: atqui nolo nimia eſſe in tot præmiis accumulandis: aliam potius rationem excogito, quæ & meam liberalitatem ad eum transferat, & me ipſius conſpectu ſatiatum reddat: ut ex familiari cognitione, vel generis confeſſionem eliciam, vel certiora ſaltem indicia colligam. Stupebam ego ad hanc feſtinationem, & quorſum tenderet vehementer dubitabam. Cum illa. Volo itaque huic renunciari, mihi ejus artificium impenſe placere: inde petere ut totius ſtaturæ formam juſto opere abſolvat. Propterea me domi adeat, ut perfectam imaginem propiùs hauriat. Mirabar admodum amantium calliidtatem, & ingenioſam mortalium mentem ad ſuam perniciem moliendam: veruntamen nihil audebam opponere; ne fortè ſuſpicionem incuterem, me non fideliter retuliſſe, ac vereri propriam cognitionem. Philippina, ut hoc negotium decentius inſtrueret, neq; in famæ quæſtionem veniret: tabulam patri repræſentat, &

a quo

a quo compoſita atque oblata ſit, indubitanter adjungit: nec quid pararet palam profeſſa, eam tamen ſignificationem injecit, ut ipſe prior volentem impelleret. Neque diu erat, cum ad Joſephum remiſſa non abnuentem mecum adduco. Ipſa, veluti elegantiùs pingeretur, pretioſiſſimas veſtes induerat & ſtudioſiſſimæ artis diligentiam omnibus ornamentis adjecerat: faciem, quam virgines publicè velare ſolent, manifeſtam offerens, & ob inculpatæ pulchritudinis ſinceritatem ſuperbiens acutiſſimam inſpectionem provocabat. Haud immeritò quiſquam miretur præter cæteras dotes, hanc formæ perfectionem, quæ vel regios oculos allicere poſſet, novo homini, &, quoad viſum eſt, impari proſtituere. Atqui hæc ferè formoſarum ſors eſt, præ aliis eſſe in amorem proclives; ſive quod ipſæ a plurimis colantur: ſive quod ſe dignas amari judicent, amatoriis iſtis cogitationibus magis indulgeant: tum etiam illud in aliis diligunt, quod in ſeipſis maximè mirantur. Ubi convenirent, primùm de mutua gratitudine certatum eſt. Hic muneris, illa meriti opinionem augebat. Cum vero ſe ad pingendum accingeret, ac oris lineamenta captaret, videres ipſam pingentis faciem curioſius contemplari, quam hic eam quam pingeret; illa oculo, hic penicillo ſua exemplaria deſignabant. Interea multi ſermones inſerebantur, de patriâ, deque parentibus, ac vitæ inſtituto. Ipſe nihil magnum de ſe retulit, quin illam adulatoriè rogantem humillima ſobrietate rejecit. Atque ut libidinoſi ſolent modeſtiſſimos geſtus ſiniſtrâ interpretatione corrumpere: ita modeſti laſcivientes nutus aut imprudentius advertunt, aut notatos prudenter diſſimulant. Certè quicquid Philippina blandiretur ſibi, mihi æquioribus oculis obſer-

vanti, neque sponte affectare visus est; & non occultam propensionem sobrio & liberali sensu accipere. Illa modestiæ potiùs imputabat, & mereri malle quàm rogare interpretabatur: seque nescio quæ secreti amoris indicia pro compertis habere, inter conscios satis perspicua, &, quod amantium est privilegium, ab aliorum cognitione secluſa: sive hæc ipsa, pro suæ cupiditatis impotentiâ, vera crederet; seu spontaneis affectibns necessariam excusationem prætenderet. Postquam perfecerat, donatus est ingenti præmio præmium vero ipsum Philippina laudibus superabat, ac magis hanc imaginem sui, quàm seipsã colere videbatur. Alii, ut sæpe fit, admirabantur potiùs quàm agnoscebant accuratissimæ artis fœlicitatem: etiam artificis peregrinitas non vulgarum famam præferebat. Plurimi se eâdem manu pingi ambiebant. At ille honestè adeptus ea quibus indiguisset, exuebat pictoris nomen: &, ut posteà cognitum est, jam tum in patriam abire parabat. Hospitis auxit existimationem ab illo aliquid didicisse. Per otium quædam interdum edidit, quæ alter cum pluribus aliis sub eodem nomine venditabat. Dum hæc agerentur, Panormum venit Lodovicus Dux Parmensis, Sebastianum visendi specie, revera ut Philipinæ, cujus famam in patriâ præceperat, conspectu frueretur: si fortè placeret, in matrimonium sibi asciturus. Postquam aspexerat, formæque elegantiam & dignitatem morum cognoverat, amore captus, & non levi desiderio flagrans, patri se aperit; qui hanc tantam fœlicitatem sibi suæque familiæ accidisse exultans, facile consensit: & re cum filiâ prius communicatâ, adversari primo non ausam, sed mox ab occasionibus excusationes moliturам, ipsius sollicitationi permisit; quam sæpe frustra

expertus,

expertus, ac plurimum indignatus, per seipsum non posse consequi, haud minùs admirabatur, paternis consiliis, & interpositæ sæpiùs autoritati tam pervicaciter esse contrariam. Inde statuebat non esse aliam hujus obstinationis causam, quàm se ab æmulo quopiam præveniri, qui virginis mentem sibi addictam teneret. Hinc patrem adiit; & multa de filiæ proterviâ conquestus, hanc illi suspicionem immisit: quam ipse perpendens, tametsi nil tale innotescceret, gravissimè ferebat, has nuptias, quas admodum affectabat, a suâ parte interrumpi. Ob hæc tristis, & gemebundus, duplici malo angebatur: tum quòd impeditus esset tam egregiæ felicitatis cursus; tum quòd justissimè verebatur humilem aliquem & indignum deperire, qui palam aggredi, & nomen suum profiteri non audet: neque satis sciebat qua arte rem tam lubricam & ancipitem tractaret; nisi constaret, præverti non posse: sin explorando manifestum fieret, fore, ut tantus princeps hac indignitate merito offensus, & utrisque iratus, desisteret. Hujus consilii cationem sic fortuna explicuit. Dum Josephus ad nos sæpiùs rediret, Leonora Philippinæ novercæ, ipsius specie illecta, in turpissimum amorem incidit. Erat inter ejus ancillas quædam nomine Pudentilla, præcipui favoris, & fidei. Huic, cùm amplius premere non potuit, confessa libidinem, ministram teterrimi sceleris habuit; & per hanc (ut postea relatum est) captato loco & tempore, ad infandum facinus provocare ausa, ab illo constanter repulsa est: neque ipse tamen aut famæ insultavit, aut ancillam flagitii inductum dedit. At Pudentilla, cùm sepsisset, totics clanculum convenire, & secretum aliquid inter nos agitare, notato tempore, cùm super his rebus quæva-

tos sermones conſereremus, ipſa aures ad rimã furtim applicans, quanquam paucissima perfectè audiret, nonnullam tamen Joſephi mentionem, ac perinde ex aliis conjecturis, totius negotii notitiam hauſit. Hujus ſecreti conſcientiâ ferox, & ſibi plaudens, dominam adit, & quicquid ſuſpicioſè comminiſci poterat, ut ex certiori indicio gratiam captaret, pro comperto ad illam retulit; necnon alia quæ ſibi videbantur, affingens, huic crimini Joſephum adjunxit. Eum furtim ſollicitare Philippinæ nuptias, & per meam interceſſionem in amorem pellicere: hinc ipſius vota averſari, ob altioris fortunæ ſpem. His auditis Leonora omnia ad virum deferre conſtituit, ut vel Joſephum averteret a Philippinâ, vel ſi priſtinam impudicitiam evulgaret, hanc ſibi defenſionem ſtrueret, non ſyncere accuſatam eſſe, ſed maledicâ criminatione refelli. Hinc irâ tumens ac morę impatiens maritum exquirit, & per ſimulationem maximi doloris rei ſummam denudat. Addebant narranti fidem præconceptæ opiniones, & irritarum nuptiarum furor. Quin ut erat ſolertiſſimus in agendis negotiis, laudatâ uxoris curâ, imperat, nemini prætereà detegeret. Hanc autem ſecum rationem inibat: Joſephum, cùm ignotus & peregrinus eſſet, facile tolli aut amoveri poſſe; eo ſublato, ceu ſponte abiiſſet, natam ſibi audientem fore: hanc fraudem & Ducem & filiam latere voluit: ne aut iſte ex dedecore offenſam caperet, aut hæc palam oppugnata eo pertinacius exardeſceret. Accito itaque Polydoro, cui ex omnibus miniſtris plurimùm fidebat, quiq; illi a ſecretis erat, hujus conſilii participem facit; mandatq; uti Joſephum ad ſe alliceret, & opportuno loco exceptum, ac vi retentũ, ab omni hominũ conſpectu, quoad poſſet, occultaret, donec ulterius de illo decerneret.

cerneret. Ille nihil cunctatus, Ducis voluntatem exequebatur. Josephum ad cœnam vocatum in superiorem partem domûs ad id anteà præparatæ induxit. Cœnâ peractâ, cum cœteris occasionem exeundi fingens, obseratis subitò foribus, solum inclusit. Tres omnino conscios adhibuit inter quos præcipuus Æthiops, quem sibi diu fidissimum expertus, huic negotio imposuit. Jam se dolo captum Josephus sensit: ac primùm omnes exitus circumspiciens, deinde fores graviter pultans, sublatâ voce, surdos inclamabat. Postquam primâ indignatione consumptâ se ad fenestram retulerat, Æthiops aditu semiadaperto, dum reliqui ad limen armati excubant, se immittit: quem Josephus inermis (ensem enim ante cœnandum a latere depositum prius abduxerant) irruentem aspiciens, præcipiebat necem sibi instantem, & hunc fore carnificem credebat: nihilominùs intrepidâ ac generosâ voce sic prior increpuit. Siccine soletis aut cum nocentibus convivari? aut innocentes in carcerem dare? ede, rogo, ede, quid feci, quid patior, atque passurus sum: aut potius dominum huc accerse, qui mihi hujus injuriæ rationem reddat. Ille submisse respondebat: sibi a domino hoc negotium commissum: orabatq; ne in servum sæviret, alienâ mente animatum: neque ejus esse consilia rimari, sed imperata administrare. A domino autem hæc tradere. Primùm veniam humiliter petit, atque obsecrat, ne causam exquiras, neque pro carcere sed hospitio ducas; & tam longè a metu decedas, ut omnia præter libertatem expectes, ac brevi post tempore ipsam cum præmiis restituendam. His blandimentis effecit, ut abstineret ab omni vi, & levaret libertatis desiderium: utcunque enim fervente impetu, aut liberam eruptionem

nem, aut ultimam sui defensionem spectaret, nunc rebus sobriè pensitatis, cùm non dubitaret se validis copiis circumsessum, satius putabat tempori cedere, & sperare tutiorem exitum: neque verò gratias retulit, neque respuit oblatas commoditates. Lectus inerat ornatè instructus; hunc illi Æthiops humaniter ostentat, ac bonam noctem comprecatus, excessit. Spargebantur exinde per urbem rumores, Josephum e Siciliâ clam abiisse, navi noctu conscensâ. Ut primùm pervenit ad aures meas, re certiùs exploratâ, ad Philippinam me contuli, arreptura hanc occasionem, ut ab amore, vel fastidito, vel neglecto, dimoverem. Tum fortè in cubiculo secretam adiens. O domina, clamabam, iste egregius noster amator nos furtim dereliquit, & se tuis spoliis onustum abduxit. Illa hac voce conterrita primùm credere vix potuit, deinde argumentis convicta, & hac ingratâ exprobratione plus nimio stimulata, graviter fremebat: &, vel meâ, vel Lodovici fraude abactum, seu potiùs interemptũ dicebat: mox autem ex flendi gemendiq; intervallo, nacta spatium deliberationis, aliquantò mitiùs ferre simulabat: verum ex eo tempore res suas seorsim agebat; neque intempestivè exultantem, & laudantem egregiam moderationem, ab interioribus consiliis amovebat. Paulò post pater ad eam Pudentillam submisit, quæ Josephi fugam quasi obiter nunciaret: &, cùm ex composito vultu immotè & patienter ferre cognosceret, mox ipse succedens Lodovici nuptias ingeminabat. At illa nihilo minùs aversa, patrem orabat, ne aut amorem cogi posse speraret, aut odioso thalamo compulsam traderet: ac fere fidem fecit, nihil subesse, præter conceptum Lodovici fastidium. Quin sponte addebat, se neminem alium

lium vivantium scire a se amatum, neque si amare contingeret, sine ejus consilio in matrimonium transituram. Cum hac responsione pater tristis & cogitabundus discessit: nec quid ageret, aut sentiret, satis sciebat: sæpè incusans indulgentiam suam, quæ huic licentiæ sic assuefecerat, ut nunc cum plurimùm interfit, regere nequiret. Tum ad Lodovicum ultimò accedens, indignatione tanti dedecoris amoris flammam ultro obruentem, & prudenti sermone mitigatum, re infectâ a se dimisit. Interea Josephus ab Æthiope satis benignè habitus, cum eo familiariter versabatur: quandoque diutius considere, & tristitiam solitudinis confabulationibus exigere solebant. Dum id sæpiùs factitarent, custodia indiligentius servata est; ac etiam insperata fugiendi occasio obtigit. Æthiops tum primùm non vulgari epilepsiâ correptus, spiritibus intercluſis, animam subitò liquit; & ante Josephi pedes ad terram mortuus concidit. Ille stupens atque attonitus, ubi exanimem esse persensit; primùm sibi metuebat, ne tam inexpectatæ necis suspicionem adiret: ex hac necessitate ad consilium fugæ transivit; quam ut commodiùs ornaret, hac fraude usus est. Cadaver in lecto deposuit, detractis superioribus vestimentis; deinde seipsum exuens, hæc injecit; & camini fuligine os omne ac manus denigrans, ad ostium astitit Æthiopis pulsum condylo imitans: custodes esse conservum rati incuriosè aperiebant; &, quia crepusculum erat, Josephi faciem atramento confusam non benè distinguebant. Ille per medios libere abibat, vim tentaturus si obstitissent: cum ad januam descenderet, arctissimè obstructam reperit, nec quenquam præterea in domo conspicit: scilicet Polydorus non inibi habitabat, sed in

hanc fraudem comparaverat. Itaque alios exitus undique perlustrans per fenestram erupturus erat, nisi inde Polydorum cum altero comite (qui a Duce submissus fuit ad quæstionem de Philippinâ habendam, cùm neque ab ipsâ, neq; a me quicquam certi extorqueret) jam tum advenientem perspexisset: ex re ergo consilium capiens, ingressuris se audacter objecit; & patefactâ obliquè januâ, incautos subitâ vi repulit; seque in fugam proripuit. Polydorus territus atque confusus alterum insequi fugitivum *jubebat; ipse se includens, illico ad custodes ascendit; & impedito spiritu vehementer anhelans, tandem, Ubi furcifer? ubi Æthiops, & Orci filius? ab iis impatienter quærebat. Illi tumultu & inexpectatâ quæstione consternati, jamdudum descendisse respondebant. Tum ipse. An hic vos quoque lusit? an me potiùs vos omnes luditis? proculdubio Josephum dimisit, & ultionis metuens a me perfugit: quid statis? effringite ostium, ut rem ipsam evidenter cognoscam. Eo recluso, omnes trepidi atque incerti irruunt. Polydorus, quia primo intuitu neminem conspicaretur, metu maximo oppressus, animo penè defecit. Cùm subitò servus immodicè exclamans, Salva res est, inquit, Josephus ad lectum abiit: nempe exuvias propè positas agnovit. Tum ocyùs accurrunt, & velo raptim diducto jacentem inspiciunt. Hic ob oris nigredinem rursus exhorrent. Quid monstri? quæ fabula? nullum Josephum, duos Æthiopes apparuisse; fictum fugisse, genuinum relinqui. Inclamant itaque, atque excitant, ut ab ipso rei veritatem perquirant: at illum neque voce neque manibus possunt expergefacere; quin e toralibus extrahunt, neque adhuc viventem sentiunt. Tum ab omnibus comploratum est, &

opinio-

opinionibus confirmatum, Joſephum fauces pulvillo oppreſſiſſe; hinc veſtibus, ac ipſâ ferè cute mutuatâ, dilapſum. Polydorus triſtis & amens animi, ſupra modum ſæviebat: nunc in ſervos, nunc in ſeipſum furere libuit: quâ fronte Ducem reviſeret? aut unde priùs irritatum leniret? Interim alter fugienti inſiſtens, & altâ voce proclamans, obvenientem populum concitabat, jam ſponte nimiæ feſtinationi intentum: omnes undique circumfuſi ipſa oris nigredine inſignē ſe ſiſtere jubent. Primùm in fugæ quæſtionem adducunt; inde ex conjecturâ furti accuſant, cùm verò nihil conſtare poſſet, ad Polydorum referre conſtituunt. Ipſe Joſephum evaſiſſe comperiens, in illo recipiendo ſpem reliquam ponit, & continuò foris evolat. Cùm ex clamore captum audiret, ſub ſpecie ſervi reducendi, tumultuantibus occurrit, & perfrictâ fronte, ex fugâ retractum gratulatus, ſibi reddi petebat. Simul uterque humeris arreptum ſummis viribus ad domum trudebant, ſperantes per ſuam autoritatem, & vociferationem multitudinis, ſine ulteriori cognitione recipi poſſe. At Joſephus ſe ſervum non eſſe nequicquam exclamans, mox brachium detegit; cujus purus & niveus color, cæruleis venis interſtinctus, ſatis refutabat accuſationem. Hac primâ falſitate in autores retortâ, ex fide nonnihil diminutum eſt. Polydorus conſtanter inſtitit, ſæpiſſimè ingeminans, ſi non ſervus eſt, certe falſarius eſt: qui ſub hac perſonâ in domum irrupit: ob id retrahere cupio, ut quid ediderit, certiùs ſciam. Hæc dicta per ſe veriſimilia videbantur: ergo in aulam compulſum officioſè ſcrutantur, nunquid furti in veſtibus celaverit. Ille ſe Joſephum eſſe, ac dolo malo a

Poly-

Polydoro exceptum, fruſtra clamitabat, plurimos dies in carcere ſervatum, donec pari arte libertatem repeteret. Mox iterum Polydorus cum ſervis in medios irruens, maximo dolore confiſto, quaſi tum primùm intellexiſſet, Hei mihi, inquit, hic probus homo adhuc graviora patravit, quàm ego unquam ſuſpicari potui; furti quidem inſimulabam, atqui necis illatæ eſt reus: Æthiopem meum, cujus faciem mentitur, in lecto ſuffocatum reliquit: aſcendite atque ſpectate recentiſſimum nefas; neque adhuc obriguit, vel refrixit. Omnes cædis nomine commoti, & ingenito quodam horrore excitati ad vindictam, in illum acriter invehebantur: & magno ſtrepitu undique exorto nullum defenſioni locum præbebant. Accenſâ lampade in cubiculum ſecum pertrahunt, & ad lectum undique aſtantes, Joſephum ante ſe proxime ſtatuunt. Dum ab illo agnitionem ſceleris extorquent, Polydorus alterum e ſervis evocat, qui ad Ducem referret, in quo ſtatu res eſſet. Servi interea cum Joſephi veſtibus aufugerant: quippe præter ipſorum pretium, nummos aliquot relictos tractaverant, quos Joſephus, fugiendi ſtudio, transferre neglexerat: hac prædâ illecti, & domini furorem, utcunque res caderet, in ſe prius accenſum veriti, cum ſpoliis in tumultu abierant. Polydorus itaque Joſephi cuſtodiam amico imponens, ipſe confeſtim avolat ad Ducem. Re cum illo communicatâ, ejus conſilium & voluntatem requirit. Ille, etſi iniquè acciperet, fraude detectâ, ab inſtituto dimoveri, inſtanti neceſſitate adductus, Joſephum capitali ſupplicio tollere decrevit. Imperat itaque Polydoro, ad ſe ſtatim ducat in palatium. Deductum ſuis ſervis in cuſtodiam tradit. Hìc Leonora, cùm jam domi

mi in carcere obnoxium haberet, hac opportunitate in ſpes novas excita, nunc iterum experiri conſtituit. Huic negotio Pudentillam adhibuit. Iret ad juvenem, & moneret quàm præſens illi exitium impendat: quin amorem ſuum illius contumaciâ non ſic extinctum, ut ſalutis curam omittat: quod ſi pari affectu reſpiciat cui nunc vitam ſit debiturus, intercedere ſe velle, & ſuis artibus effecturam, ut ab hoc diſcrimine incolumis evadat. In propriâ manu nunc eſſe poſitum, duorum animas ſervare, & dominæ ſcilicet & ſuam. Cum hoc nuncio Pudentilla per domeſticos cuſtodes clam ad Joſephum pervenit. Ille, audito, magis quàm anteà abominatus eſt turpiſſimum ſcelus; neque ſe veris criminibus a falſâ accuſatione liberaturum reſpondit. His relatis, Leonora, ſpe omni deſtituta, impeditum libidinis curſum in odium deflexit. Inde maritum, Joſephi neci jam ſponte intentum, ſuis furoribus vehementiùs incendit: Ab utriſque conſultum eſt, proximo die quæſitores illi apponere. Ad id cadaver in aulam deportatum eſt, & Joſephus in quæſtionem adductus. Primùm Polydorus de nece prolixe recitat. Inde alii de fugâ teſtantur. Præcipuè ipſius cadaveris præſentia adeò omnium horrorem movit, ut tanquam in manifeſto crimine nullum defenſioni locum ſervarent: eamque ſignificationem magno murmure & apertis execrationibus interponebant, ut quicquid pro more dicturus eſſet, nullam fidem ſit habiturum. Utcunq; vero ſe ita gererent, & certiſſimo præjudicio jam antè damnaverint, Joſephus ſibi deeſſe nolebat: cumque vix tandem impetrato ſilentio ſe ad dicendum compararet, res nova & inexpectata turbavit totam actionem. Æthiops ingenti gemitu laxavit animam, & ſe repentè commovit, ac incitatis ſæpius

mem-

membris denique surrexit in medium. Vixdum sui compos, neq: satis apertis oculis, Væ mihi! ubi sum? & quis hic conventus? aiebat: an Josephus e carcere evasit? Omnes hoc spectro conterriti, nunc Æthiopem, nunc Josephum; tum Polydorum & ipsos quæsitores intuebantur. Mox alii reviviscentem propriùs adibant, alii inter se mirantes mussabant, alii apertè clamabant, hominem innocentem dolo non satis adornato peti, totusque consessus adeò confusus, & ipsa quæstio jam sponte remissa est, ut Josephum elabi permitterent, ne ipse ex reo actor fieret, Ille dimissus, &, ut visum est, has fraudes atque injurias non leves esse nec temere susceptas prudenter æstimans, & jam nulli Siculorum fidens, ab eâ nocte nusquam in Panormo apparuit. Fabula per urbem ubique divulgabatur. Dux Polydoro graviter infensus, ab officio dimovit: atque hic in Æthiopem vindictam transtulit causatus, cum Josepho & duobus conservis fraudem consuisse, & ob id morbum simulare. His suspicionibus supra modum incensus, verberibus atque servilibus suppliciis confecit. Ubi ad aures Philippinæ accidit: has miserias suæ causæ perpesso vehementiùs indulgebat: & obliquiori in patrem animo erat. Quin sibi propensius blandiebatur, non ex fastidio, sed invitum deseruisse, ob manifestum capitis periculum: Hæc ab eventu facilè collegi, ipsa tum temporis nihil tale indicabat; neq; præbebat fugæ suspicionem: verùm placide & modestè se gessit, donec ipsam opportunitatē capesseret. Assecla habitum furtim surripuit, gemmis ac nūmulis secum assumptis; quotidianā vestem consultò celaverat: ac nos eâ fraude circumduxit, fœminæ vestigia insectantes, dum illa sub virili larvâ extra quæstionem elaberetur: quam personam exinde servavit.

Sero

Serò errorem recognovimus; cùm & puer de furto quereretur, & nos in illius ornatum incideremus. In Italiam primùm transfretavit: unde abitura, ad me rescripsit: se patris injuriâ in famæ discrimen esse conjectam, quod cum inter populares tolerare non posset, voluntarium exilium prætulisse: parvum temporis intervallum huic molestiæ auertendæ cepisse, deinde brevi redituram, nisi insistendo longiùs abigerent. Ex Italiâ, ut arbitror, Judæam petiit: atque ut ex cadavere constat vultum, quàm potuit, dissimulavit. Crines aureos plumbeo pectine decoloravit: faciem sole ac vento sic deturpavit, ut nisi notis argumentis inducta haud eandem esse credidissem. Dux literis perlectis, quanquam me a fugâ alienam probabant, & proniorem paternis consiliis, impatienter admodum tulit: ac ubi meâ insuper opinione imbuerem: filiam Josephi desiderio teneri, & e Siciliâ exactum in suâ patriâ quæritare, ob silentium graviter succensuit: ac vereor, letho me affecisset, si non huic investigationi servata fuissem. Cumque alii quos priùs emiserat, ex Italiâ reportarent, versus Syriam esse avectam, in opinione confirmatus, cum fidis hominibus huc dimisit: addens ultrò: se filiæ votis obsecundare, neque generum dedignari, modò cum eâ redire vellet: non deesse quod utrumque aleret & fortunaret. Hæc dicenti Josephi reditus pudorem imposuit, & superfluam itineris narrationem non infœliciter interrupit. Tum Jacobus ad ipsum respiciens, O fili, aiebat, si Philippina mihi se prodidisset, in miserrimam virginem fortè non adeò crudelis fuisses. Et ego quidem, referebat, hujus vani & fabulosi amoris tristem exitum inter maxima mea infortunia repono. Hactenus satis esse duxi, si meipsum ab his cupiditatibus defenderem

fenderem, cavebo in posterum, ne aliis occasio peccandi fiam. Ex his sermonibus ad cœnam transibant: quâ peractâ; Siculi ad hospitium benignè dimissi sunt. Ob hæc Politianus ingenti admiratione correptus, cum Josepho fortè congrediens, ab ipso scisitabatur, quo ingenio, quâ virtute plusquam humanâ fretus, tales amores aversari tantisque fortunis obsistere potuisset. At ille, Sum, inquit, amori, suprâ quam reris, deditus, verùm cœlesti atque divino, qui omnia mea desideria absumit, neque sum iners & inglorius amator, sed vehemens atque sublimis: audies, si placet, hunc sacri ardoris impetum.

Ite leves animæ, summi quas oris imago
Ducit, & attonito stringit præcordia sensu:
Quid juvat instabilem tantis ornare puellam
Laudibus, & vanum spectri fugientis amorem?
Nec pudet heu sacro ceu divam attollere cultu,
Ah magis æthereas cœlo convertite mentes,
Et formas spectate pares; Regemq; decorum,
Quem rerum supremus honos, & numinis alti
Sacra coronatam suffundit gloria frontem.
O Deus! ô generis nostri pulcherrime princeps!
Te pater, immenso totum qui lumine mundum,
Ceu fictum, nullumque videt, complexibus æquis
Concipit, & simili satiatus imagine gaudet.
Omnia te dominum sceptro subjecta verentur,
Terrarum immunera gentes, regesq; superbi:
Te domiti telis manes victricibus horrent,
Infernique lacus: totus tibi consonat æther,
Lætaq; perpetuo tollit præconia cantu.
Tu lapsos homines, nudæq; informia gentis
Ora, reluctanti frustrà pugnantia collo,

Erigis

Erigis, & blandum prior internectis amorem;
Indulgeſque tuis; raptoſque è faucibus Orci
Æterno fers ipſe ſinu; cœloq; receptas
Conſortes animas ſacrati numinis imples.
Cœlicolæ decus inſuetum mirantur hiantes:
Atque ipſi thalamis cupiunt ſervire beatis;
Muneris & tanti ſortem captare ſecundam.
O hominum, divûmque ſalus! te pectore prono
Inſequor, & pulchræ luſtro veſtigia plantæ:
Quando erit ut ſacros oculis agnoſcere vultus;
Nos ut perpetuo liceat tibi jungere nexu,
Et miſcere animas, totumq; abſolvere Chriſtum?

Cum his denique memorabat, ſe ſolitum hujuſmodi ſtudiis exercere diviniores affectus; neque hunc minimum eſſe Poeſeos uſum. Ac pariter errant, qui his artibus ſe unicè dedunt, atque illi craſſioris ingenii homines, qui, quòd ipſi parùm ſapiunt, aut ruſticè prætereunt, aut invidioſè calumniantur. Intereà ſolidum aliquod ac ſeverum vitæ genus aſt amplectendum: non quod lucri ſpem maximam oſtentet, aut voluptatem creet, aut famam conciliet; ſed ingenii viribus ac rebus omnibus prudenter æſtimatis illud ambiendum quod ad Dei gloriam ac publicam utilitatem plurimùm conferat. Hanc electionem ſequitur conſimilis intentio: quinimò ipſam requiem & refectionem ad hos uſus dirigi oportet: ac eum ſanè fœliciſſimum dico, cui ſuus labor eſt perpetua recreatio. Ipſe mecum indies delibero, atque expecto, dum e paternis ædibus in publicam ſtationem evocer. Admirabatur Politianus tam egregia conſilia, & meritò laudabat, quòd cùm nullius rei indigeret, præterquam negotii, id ultro ſibi dandum expoſceret. Urebat interea

terea arcanus pudor vaniſſimæ ſuſpicionis, quam prius hauſerat, quæque nunc in contrariæ virtutis maximam venerationem abierat. Stupebat etiam ad inverecundiam amoris ſui, qui tam improbos metus admitteret, & hac immani ſollicitudine ægerrimam mentem inquietaret. Nec minus horrebat conſcientiam tantæ malignitatis, quæ per ſiniſtram interpretationem, ardentiſſimam pietatem infandi ſceleris opinione perverterat. Hæc inter Jacobo occurrunt, qui ex ipſo ore aliquid triſtius annuncians, Joſepho referebat, ſororem ſuam eſſe extinctam: ob id ſe velle, ad Cæſaream illico abeat, & ex defunctæ domo filiam reducat. Ex his dictis ſenſit amitam obiiſſe, quæ Cæſareæ habitabat, ad quam dudum ſoror tranſierat; câque defunctâ, placere patri, ut domum ſibi reſtituatur. Inde mox ad iter ſe comparabat. Amici huic opportunitati deeſſe nolebant, tanquam a Joſepho dirimi non poſſent, revera ſororis cauſâ, hujus officii partem affectabant. Ipſe, (ſervis clàm præmonitis, ut conſuetum errorem adjuvarent) comites itineris ſecum habuit. Ubi ad Cæſaream perventum eſt, ſorore receptâ, ad Solymam quamprimùm redire properabant. Juvenes qui variis rebus & ſermonibus occupati, plagam amoris aliquantum obduxerant; nunc ex frequenti viſu & convictu recrudeſcentem minimè ſiſtebant, quin hanc tandem occaſionem nacti, ad amorem mutuum ſibi gradum ſtruebant: & quo uterque in ſpem pronior erat, eo màgis ab æmulo cavebat: in illo victoriam ſitam arbitrati, quis prior aliceret: ſi enim alterum ſuo amore dignaretur, huic jure cedi oportere. Præcipuè ſibi blandiebatur Eugenius, quòd elegantior & comptior eſſet, & fœminarum ingeniis aptior: atq; ob id magis indignabatur

Poli-

Politianus, & oblîquè ſemper intuebatur oculos avido aſpectu paſcentem, & inanes fabulas ingenioſe miſcentem. Fortè Eugenius, proximo die, cùm in horto ſolus ſpatiaretur, hæc carmina in auras fundebat; unde quis ſobrius amantium ineptias æſtimet.

O ſiſtitote furem!
O ſiſtote quaſo!
Cor abſtulit miſellum,
Et nunc abire cœpit,
Viriq; fœminæque,
O ſiſtitote quaſo!
O ſiſtitote furem!
Eſt alba veſtis illi,
Et taniæ rubentes,
Auroque zona fulgens
Sed frons nitore puro,
Veſtemque, liliumque,
Nivemque vincit ipſam:
Eſt luminumq; fulgor
Par ſyderi gemello:
Eſt aureuſq; crinis
Par Cynthii capillis:
Pedes ſed heu venuſtos
Natura non adæquat:
Quin alteri neceſſe eſt
Ut conferatur alter.
Vos ô cavete vobis
Viriq; fœminæq;!
Nec blandulos notate
Ocellulos ocellis:
Eburneamq; frontem,
Et aureos capillos,

Pedesque pervenustos :
Ne tam decora virgo
Unicuique vestrûm
Cor auferat misellum,
Et sic abire pergat.

Haud longè Politianus substiterat, hoc sibi quoque secretum quærens ad explicandos eosdem affectus, & ingentes æstus impotentis animi. Is æmuli adventum prior advertens, (nam amici titulum eo nomine penè deleverat) se sponte occultavit, ut ab aspectu, gestuque solitario ipsius ambitum atque successum captaret. Ubi recitantem audiverat ; primùm secum per contemptum ringere, tum indignari, & exardescere cœpit : deinde extra omnem patientiam abreptus, repentè exiluit ; & cum Eugenium subito interventu turbatum furentibus oculis salutaverat, mox in omnia convitia effusus, stultitiam, insaniam, libidinem, impietatem objecit : ac ni istas cupiditates quamprimum exuat, se suis manibus minitabatur ipsius perditam ac vilem animam virginis famæ immolaturum. Eugenius, etsi carminis sui levitatem satis recognosceret, hac vehementiâ verborum, velut igne collato, pariter incensus, & ut partem pudoris a se amoveret, sic accusantem respersit ; Amare me fateor, inquiens, & te mecum amare suspicor : neque tam ferociter succenseres, non eodem zelo exagitatus. Haud vulgaris est iste, ô Politiane, affectus, qui amicitiam nostram sic potest corrumpere ; in cujus tyrannidem hæc culpa est mutuò transferenda. Cum itaque non liceat utrumque voto potiri, sincerè & ex composito agamus, sive libeat præmium hujus certaminis honestis studiis ambire, sive armis præripere, nihil de-

trecto

trecto, fac quicquid audes, & potes. Ad hæc Politianus turbidus atque confusus nihil contra respondebat; tantùm, Crastino, remurmurans, die, in campo suburbano me convenies: ubi hanc injuriam gladio discutiam. Eugenius provocantem hilariter excipit, sanctè professus, præter hanc fatalem & necessariam contentionem, se nihil odii in animo habere: dextram quoque mutuò poscebat in residuæ charitatis testimonium: ut vel tristissimam sacræ amicitiæ speciem inter capitales inimicitias retinere videretur. Politianus, ut erat iræ plenior, omissis cæremoniis, iterum monebat expectare se congressurum. Interea Josephus e cubiculari fenestrâ fortuitò conspiciens inter se liberiùs altercantes, ac nihil gravius ominatus, indignum tamen censebat amicos hæc in se jurgia admittere: & jam ipse studebat suam operam quamprimùm interponere, expectans modò exitum rei tamdiu dum ex horto Politianum sentiret tumentem & indignantem discedere. Tum festinato gradu in hortum descendens, & objiciens se egressuro, quæritabat tantæ simultatis causam: cumque ab illo nihil exprimere posset, ad Eugenium deinde pergebat. Postquam multùm diuque frustrà sollicitaverat, ac nihil seorsim exprimeret, quòd illum vindictæ studium, hunc amoris pudor coerceret: ipse quiddam altius subesse præsagiens quod tam constanter & obstinatè celarent, secum ducebat, rem adeò irritatam nequaquam esse dimittendam: mox aliâ viâ sic aggressus est. Ambos simul in cubiculum accersit, hic plurima de amicitiæ dignitate, deque suâ in utrumque benevolentiâ præfatus, admodum enixè obtestatur ut rem integram sibi permittant: Qui recusat, adjiciens, aut mihi arbitro, aut suo juri diffidit. Eugenius, cùm se aliter

exolvere non posset, Quantum in me est, dicebat, hanc conditionem libenter acciperem, si nostræ litis ea esset ratio, ut vel te judice tolli, vel utroque superstite finiri queat. Hic Josephus intentè defixus, & quid hoc monstri esset curiosè rimatus, plurima secum mente concipiens, sic tandem erumpit. Proculdubiò eandem rem concupiscitis, quæ inter vos dividi nequit, &, ut mihi visum est, eandem amatis fœminam. Cum neuter abnuerent, dejecti suæ conscientiæ sensu, jam certus augurii fidentiùs insistit: nec tam nomen exposcere, quàm ipse dissimulare videbatur. Tum inquit. Etsi hujus judicii nulla a vobis mihi facultas concessa sit, annitar tamen utrumque divellere ab hac insaniâ; & inter nos paululùm super hac re philosophabimur. Nihil est vero amore pulchrius: nihil vano vanius. Amor utique est unionis appetitus, per quem universæ res tendunt ad sibi debitam perfectionem: habentque hunc affectum a naturâ inditum, juxta suæ facultatis mensuram. Quæ vitâ carent, cæco tamen & stupido motu in mutuam unionem a principiis feruntur. Animalia cum sensu & gaudio explent animorum suorum desideria; impetu potius & furore correpta, quàm ex liberali ingenio, & contemplatione veræ fœlicitatis: illaque eadem vis, quæ primùm impellit, motum modumque votorum terminat. Nos verò qui ratione præstamus, sortiti sumus acutissimum palatum, gulamque vastissimam, quidvis, & quovis more cupiendi. Hæc immensa voluntatis capacitas, ad infiniti numinis cultum, ab ipso insita est, & sub eoomnia suo ordine complecti debuit: nunc perversa, & inferioribus affixa, in his ipsis sibi fingit aliquam divinitatis imaginem, quam insanæ cupidinis œstro agitata miserrimè deperit, & præci-

piti

piti ſtudio ad deteriora perpetuo vergit. Hinc plurimi ludicris & leviculis rebus tam impenſe operantur; qui majora ſectantur, aut inexplebili divitiarum fame laborant, aut vani nominis auram anhelant, aut corporeis formis, & voluptatibus inhiant: Nemo tamen, utcunque ſit iſtis affectibus ſuâ ſponte proclivior, primo impetu tam perditè lapſus eſt, quàm poſtea evenit, cùm hæc idola, quæ ſibi ipſe conſtituit, facto ornatu, & multâ exercitatione colendi, tandem ad cœlos & ſydera attollit. Sic qui fœminæ deſiderio flagrat, primùm intuetur amabilem formam: ubi hæc placuerit, perpetuâ contemplatione inficit mentem: atque ut integrâ voluptate fruatur, ſi qua parte deficiat, ultro adulari atque appingere gaudet: hinc amat amare; & ne quid injuſtè vel inhoneſtè facere credatur, morem ſibi ipſe ac legem imponit, quæ vel aliquam virtutis ſpeciem, & honoris dignitatem obtendat. Tum heroicus & conſummatus amator eſt, ſuis artibus irretitus, & puellari imperio deditus. Et quo quiſque magis cæcutit, conſtantiuſque inſanit, ex eo magis ſibi plaudit, atque omnium pariter inſanientium conſenſu laudari ſolet. Verum neſcio an hac tanta vanitate tumentibus magis conveniat ipſâ Junone perfrui, vel inanem nubeculam in ſuâ mente creatam perpetuò amplecti: cùm enim nihil tale uſu experiantur, immani expectatione dejecti, plerumque ad pœnitentiam & faſtidium recidunt: atque hos ipſa interdictio ſæpe acriùs incendit: qui autem modeſtè amant, optimè vivunt, & veri amoris legem æquabili tenore abſolvunt. Quin hæc peſtis, cùm ſit ſummæ perfectionis corruptio, quod maximè dolendum eſt, ingenuas & generoſas mentes faciliùs invadit, & admiſſa pertinaciùs obſtringit. Hic Eugeni-

us, qui amori vim ſacram & fatalem ineſſe cenſebat, ab hac ultimâ excuſatione non facilè cedebat. Atqui hæc, inquiens, mirabilis animorum conſenſio ex arcanâ naturæ virtute profecta eſt: ut ferrum magnetis deſiderio, quaſi inſito quodam ſpiritu, ſe commovet; heliotropium ſe cum ſole convertit: neq: omnes formoſam depereunt. neque nemo deformem. Eſtq; præterea conjugalis flammæ ſcintilla ac ſemen, quod in primis parentibus ſe ſponte explicuit: quo nihil ſanè dulcius fœliciuſque miſeris mortalibus hæc vita ſuggerit. Tum hæc amoris non minima commendatio eſt, quod humanæ vanitatis hiatus non velet modò ſed impleat, & ex æmulatione divinæ charitatis, ſe ſuaſque fortunas omnes forte minùs merentibus impendat: huc accedit illa conſtantiæ laus, nullâ mutatione mutabilis, nullâ morte mortalis. Hæc verba Joſephum magis excitabant ad animi tam liberalis luxuriem prudentibus remediis corrigendam. Tum ille. Hæc violentia & intemperies a naturâ minimè ſurgit: nec quod rationi & juſtitiæ pugnat, & in auream ſobrietatis legem impingit, humanæ perfectioni competere poteſt. Sin à fato eſt, certè ſupplicium eſt. & pœna aliorum ſcelerum. Nam non Deus eſt ſuorum munerum tam improvidus diſpenſator, ut eò probante plures id cupiant, cujus neque omnes eſſe compotes licet, neq; ſanos voto decedere. Agnoſcite, quaſo, prudenter & ſobriè quam diros effectus hic amoris exceſſus in vobis pariat: conſuetudinem mutuam ac amicitiam veſtram ex honeſtis, ut opinor, rationibus ſuſceptam convellit, & in odium atque furorem præcipitat: atqui naturæ harmonia hunc amoris theſaurum ad univerſum genus hominum extendit: ac perinde plurimum errant, qui falſâ æſtimatione

mationè vel ipſius conſanguinitatis, ſub eo nomine ubertim indulgent, in alienos non minus injurii: cum omnes ſimus ejuſdem ſanguinis & naturæ participes, & ſuo quiſque gradu propinqui. Neque in amicitiâ eſt ullus zelotypiæ locus, aut aliorum officiorum intercreptio. Conjugium verò, quod in fœminâ honeſtiſſime reſpici ſolet, ſi conſummatum ſit, excludit adulterum, affectatum, rivalem recipit: ut plures idem imperii culmen, ejuſdem officii dignitatem, ſatis rectè ſperare, ac petere poſſint: cum eâ tamen ſobrietate, ac moderatione cupiditatum, ut illi, quem aliorum ſuffragia poſcunt, libenter concedant, ac fortè pareant: aliter non legitimo more candidati, ſed ambitionis maculâ infecti prodeunt. Deus ipſe in primis parentibus utrumque ſexum conſociavit, intra quam legem noſtra quoque deſideria conſiſtunt: eſt autem nunc amplior eligendi libertas, neque minima abſiſtendi prudentia. Siquidem matrimonium eſt omnis politiæ fundamentum: proinde rectiſſimè conſtitui debet, ne cætera vitæ officia corrumpat. Conditio, ætas, convenientia morum, innumeraque alia, quæ nos juvenes in amoris impetu minimè ſpectamus, ſunt ſeriò æſtimanda: neque quenquam oportet eſſe ab affectibus magis immunem, quam qui conjugium eſt initurus: non quod amorem exuere velim, ſed rationi ſemper obſtrictum tenere; ut non alios legitimos reſpectus, nedum ullam juſtitiæ partem conturbet. Quod ſi iſte immodicus amor ſit ipſius temperamenti conſenſio, cur non alio ſenſu, quàm oculis percipitur? cur ab ipſis cognatorum amplexibus arceatur? aut cur non denique ſemper ſit mutuus, & ipſâ conciliante naturâ pares cum paribus uniantur? non turtur, non cygnus, aut ejuſmodi anima-

lia, in quibus hujus conjugii aliqua ſpecies elucet, eo more ſe copulant. Fateor equidem ſubeſſe quædam propioris benevolentiæ ſemina, in nuptiarum rationibus non contemnenda; cum ad illas quodammodo deſignent, & in conſortii curſu fœliciter perducant. Hæc judicii conſenſum ſollicitant; trahere & rapere non debent: cùm natura omnes affectus nobis in manum tradiderit, & ſubjecerit rationis imperio: nos vero millibus illecebris incaute fovemus: quod ſi frænos prorſus omittamus, actum eſt de ſalute noſtrâ. Illud quoque neutiquam placet, quod hunc inanem & præpoſterum amorem cum divinâ bonitate conferas. Deus quidem indignos amat, ſed exinde amabiles efficit; ignoſcit, non ignorat, aut cæcâ admiratione nævos obducit. Nunc verò cùm vos ſentiam hoc amoris faſcino circumfuſos, aliam rationem inire cogito, quæ jamdudũ opportunè accidit, ut ab his laqueis perfectè expediam: expectate modo commenti exitum, & agnoſcetis amantium vanitatem. His dictis, & ſollicitâ expectatione ſuſpenſos, e cubiculo ſecum deducit: tum ſervum nomine inclamans, clam admonet quid fieri velit. Nec multò poſt Anna ſoror ingreditur, & præſenti oris aſpectu fere omnem fratris philoſophiam ab amantium pectoribus excuſſit. Illa breviter ſalutatione perfuncta, & cum Joſepho confabulata, mox factâ excuſatione diſceſſit. Dum interea in colloquio perſiſtunt, Joanna ſe quoq; in conſpectum dedit, vultu ſimillimo, & eodem cultu adornata. Juvenes præter ullam ſuſpicionem eandem eſſe rati, pari affectu intuebantur: donec altera ex compoſito rediret: cujus præſentiâ, tanquam geminâ viſione, attoniti, nunc unam, nunc aliam, nunc utramque ſimul avidiſſimo lumine perluſtrabant: mentiſque vehemen-

vehementer affectæ varia edebant indicia; neque ſuis oculis ſatis fidebant, aut præ ſtupore poterant interrogare. Joſephus modico riſu perfuſus, & jamdiu mirantes paſſus, ſic demum interpellavit. Quam nunc eſſe meam ſororem cenſetis? an hanc potius? an potius illam? certè oportebit maritos fore optimè oculatos, qui ab alterâ alteram diſtinguant. Hæc verba urebant Eugenium, & flagranti pudore obruebant: quin fronte leviter perfrictâ, Sanè, inquit, omnium pulcherrimarum rerum, quas hæc Solyma exhibet, nihil hoc ſpectaculo eſt admirabilius: ita alia alii pro ſpeculo eſt, & pictoris unicus labor utriſque ſufficit. Politianus, qui hucuſque triſtis obmutuerat, tam inexpectatâ novitate permotus, in hæc verba conſenſit. Jam deſino mirari humanorum vultuum varietatem, ob colorum & lineamentorum diſtinctionem, cùm in his potiùs incomparabilem elegantiam, & elegantiſſimam comparationem præcellere ſtupeam. At Joſephus, Sunt hæ, inquit, gemellæ ſorores; Anna, quæ nobiſcum in urbe habitat & jam ſororis viſendæ cauſa ad nos rediit: Joanna Cæſaream nuperrime reliquit. Nos, qui cum utriſque familiariter verſamur, nonnullum formarum diſcrimen agnoſcimus, præſertim cùm ambæ conſiſtunt: alios fallere & ludere ſolenne eſt lepidiſſimo errore deceptos. Hoc ludicro naturæ veſtram aciem exercere jam olim in animo fuit: nunc ubi altera ad nos redierit, in hanc fraudem præparatas induxi. Inrer hos ſermones virgines pariter renidebant, ac inde brevi colloquio habito avertebant ſe ſimul e medio. Hic Joſephus, ceu victor, & compos incœpti, in utrumque ſic inſurgebat. Nunc

ut exequar propoſiti rationem hoc utar exemplo. Si quis Annam amare ſe fingat, quibus oculis, aut quo ſenſu internoſcere poſſit, aut ad perſonæ unitatem penetrare, quin ſi altera ſubſtituatur, huic eodem amoris incendio litaverit? uti credibile eſt Jacobum a ſocero deluſum ſuppoſitiam conjugem veris affectibus excepiſſe. His rationibus ad ſalutem circumducti, abſque omni contradicendi potentiâ diu muti convictique pendebant. Deinde vivis vocibus confitebantur, magicam eſſe amoris vim, & ſtultiſſimam amantium inſaniam. Joſephus his fretus argumentis, ſic ultra cedentes perpulit. Illud inprimis amori vitio datum eſt, quod amare & ſapere nemini liceat: ab hoc fonte ſtultitiæ plurima promanant ſcelera; neque ſe ſiſtit intra libidinis æſtum, cujus tamen nomen iſti egregii amatores ex profeſſo fugere & abominari ſolent. Primùm placidâ & delicatâ mollitie ſobrietatis tenorem ſolvunt. Inde ex aſſiduo neglectoque fervore erumpit concupiſcentiæ ſcintilla, & per admiſſi Cupidinis flammam turpiſſimæ Veneris incendium concipit; quæ corpori puram & ætheream mentem, imò fœdiſſimis corporis partibus, more perverſo & præcipiti ſubjicit: unde fit ut hæc macula paulò minùs quam ipſa cædis conſcientia ſontes inquinet atque convellat. Sin in ſcelere longiùs perdurent, extra omnem modum atque modeſtiam (quod de Romanis imperatoribus traditum eſt) in hujus volutabri fundo ſubmergit: cùm enim ſeipſos revereri dediſcant, nullius deinde flagitii pudor, nulla dedecoris indignatio, a tetérrimo quovis facinore defendit. Itaque ex eo quod hoc vitium animum tanto furore libidinis ad omnem impudentiam & turpitudinem projiciat, non immeritò generis humani parens,

rens jam hujus proterviæ, & ſceleris conſcius, iſtarum partium nuditatem eſt verecundatus: quippe omnis animæ incontinentia, motu corporeo repræſentata, turpem & pudendam ſpeciem exhibet: neque non eſt indecorum aſpectu, aquaturire, inhiare equilis, procacibus oculis geſtibuſque alienam ſollicitare caſtitatem, & ejuſmodi intemperantis animi indicia: ſumma vero obſcænitatis deformitas, cujus infanda & ingrata mentio caſtas aures obtundit, & ceu fulmine quodam percutit. Inerat quidem perfectiori naturæ ſua ſordities, quapropter hæc membra in ſecretioribus locis repoſita ſunt: & ex lege Moſaicâ in quibuſdam ſacris officiis erant a legitimis conjugibus arcendi: pariter noſtris patribus imperatum fuit, ut è caſtris ſecederent, & in humo prius ligunculâ defoſſâ alvi purgamenta abſconderent: quicquid ſacri in his ſuberat, a naturæ immunditie occaſionem cepit: neque ſunt ulli ferè mortales tam bruti aut barbari, qui in illud non conſentiant, atque is ſanè humano generi convitium facit, qui hujus modeſtiæ velum exuit. Hæc autem quamdiu conſcientia libidinis abfuit ſatis honeſtè ſpectabantur: ut primùm ſcelus invaſit animum, laſciviam pudor eſt comitatus. Et ſanè oportuit hæc irritamenta nequitiæ a patrantibus oculis amoveri: non quod cenſeam nefas eſſe de his rebus, ut medici ſolent, citra ſalacitatem ſermonem facere, quas non ipſum divinum exemplar ſub flammeo modeſtæ ſignificationis in medium proferre veretur: quin addo rectiſſimum eſſe naturæ uſum, & nonnullum contra libidinem remedium, graviter & philoſophicè percenſere, & de iſtis ſecretis voluptatibus nil nimium ſuſpicari: ſæpè enim res invidioſè ſecluſa magis irritat furtivum exploratorem,

torem, qnam ſi libere permittatur. Tum qni caſtitatem ſuam tueri velit, ne ſit curioſus formarum contemplator, aut alienam pulchritudinem vanâ admiratione plus juſto veneretur. Ab omni laſciviâ, & impudicitiæ fomentis abſtineat: obſcænos ſermones & impuros geſtus, vel in theatro, vel in tabulâ oſtentatos devitet, nèc minus immodicum vini & ciborum uſum: & præ cæteris inane otium, quod & cunas Cupidinis, & ipſum Veneris cubile dixerim. Intueatur Chriſti pulcherrimum exemplar; & ab iſto fonte hanc gratiam hauriat: ut ſacro amore & cœleſtibus flammis culinarem libidinis ignem extinguat. Ex his itaque ſatis conſtat non ludicrum eſſe, nec leve facinus, tanto impetu & turbine affectuum a Deo abſtrahi: neque facili pœnitentiâ hoc blandum ſcelus tam altè defixum, aut ejici poſſe, aut expiari. Sub hæc Eugenius, ut erat ingenuæ facilitatis, conſcientiæ ſtimulis incitatus, & fletu turgidus, ſponte profitebatur. Non a Deo tantùm hæc venia petenda eſt, tu quoque nobis ignoſcere debes, & tuorum indulgentiam impetrare: amavimus ſcilicet ſororem tuam, utram vero nunc fere neſcimus: neque multum ſcire intereſt: cùm neutram recte coleremus: quod ſi pœnam expetas, enſes noſtros, quos hæc æmulatio in utriuſque pectora ſtrictura fuit, mutuâ ultione recipiemus. Joſephus, re jam cognitâ; & novi monſtri mentione non leviter perculſus, ſic retulit. Quantum video, vobis primum invicem condonari oportet: neq; priùs ſperare liceat, aut a Deo noxæ ſolutionem, aut ab amicis oblivionē injuriæ, quam vos viciſſim redieritis in gratiam. Quin advertite nunc, obſecro, in quanto conſtiteritis præcipitio: proximus erat ad homicidiū lapſus; ultimus

ad

ad cædem ſui: & hæc quidem flagitia in amoris comitatu numerari ſolent, & eodē honoris obtentu velari. Juveniles animi libidine pleni, & tum primùm falſâ gloriæ coruſcatione perſtricti, nihil indigni, nihil adverſi ſibi tolerandum putant, quin illicò ad extrema confugiant, &, ferarum more, privata bella inter ſe denuncient; aut, quod omni feritate immanius eſt, ſecum prælientur, &, ceu malo quodam genio agitati, animas e ſuis corporibus exterminent: & tam perfectè in ſeipſos ſæviant, ut nihil ſupra legitimi ſupplicii, quod maximè merentur, adjiciendum relinquant: miſeri profectò qui ultimam vitæ periodum tanti ſceleris liturâ definiunt, & univerſum hominem, quantum eſt in ſeipſis, occidione occidunt! Quis enim pœnitentiæ locus? quæ ſalutis cura ſubeſſe queat tam præcipiti furore, tantoque reatu vitæ ſummam claudentibus? Quidam barbaris Chriſtianorum ſeculis, qui ſe gloriæ & honoris magiſtros profeſſi ſunt, præſcripſere monomachiæ leges, & ferales quaſdam cæremonias: quin hæc ipſa cum omni lege & ſocietate civili pugnat: aut ſaltem exprobrat publici juris defectum: & qnis expectet, ut eam litem gladius diſcindat, quam juſtitiæ trutina dijudicare non poteſt? certè nobis mera magia videtur, illud a Dei providentiâ ſperare, quod neque natura præſtat, neque ipſe ſupremus judex ex virtute propriæ ſanctionis ſpondet. At nonnunquam diremptionem controverſiarum incruento ſortilegio permittimus, non pro jure definiendo, ſed ad facti determinationem, ut ſit aliquis finis litium: nempe vel in partibus dividundis, aut rebus ludicris: unde nihil amplius expectamus præter modum naturalis contingentiæ, ſed in eventu communis providentiæ indifferenti animo acquieſcimus,

mus. Monomachiam meritò tollimus, quia tametsi sit causa justissima, ratio decidendi est illicita: tantoque ipsâ carnificinâ indignior, quòd in publicam autoritatem peccet, cui ista inservit. Si quis tali certamine pereat, seipsum interfeciſſe ex lege pronunciatum est. Victor a pedibus in altum suspenditur, ut sic præpostero more intereat, qui justitiæ cursum pervertit. Sin uterque supersint, non ideo censuram effugiunt: verùm spectabili ignominiâ notantur, ut ab his, tanquam cornupetis bestiis, alii sibi caveant: quamque gloriæ opinionem ex scelere captabant, eam infamiâ supplicii deperdant. Imò qui ausit laudare facinus, hic quoque crimini accedere censetur. His legibus effectum est, ut non tantùm premamus injuriam, sed & famæ vanissimam speciem ex animis hominum eradicemus. Equidem injustè provocantem usque ad extremam necessitatem declinare constituo: timidum me vocet, ut velit, indicet, proscribat, depingat: nihil moror; sceleris esse metuentissimum ultro profiteor & glorior. Hic breviter Politianus. Multùm tamen interest, si publicæ leges vindictam suppleant, ac ubi privato decori non satis consulitur. Cui Josephus. Si, ubicunque leges deficiant, singulis civibus jus suum repetere liceat, frustrà esset legum ferendarum potestas: nullo certè jure concessum est ut quis suam causam dijudicet: minimè verò omnium Christianis hæc ultio permittitur. Nostri censores privati nominis curam suscipiunt. Honores publicos, ut pretiosissimam reipublicæ gazam æstimamus, parceque & justè dispertimus: militibus imprimis, qui pro patriâ vitæ periculum adeunt: necnon iis, qui prudentibus consiliis juvant. Neque inferioribus negotiis aut virtutibus hæc præmia debentur. Simplicitati

citati, temperantiæ, justitiæ suus inest candor atque venustas: non tamen is nitor & eradiatio honoris, in quibus nobilitas consistit. Quin ut stigmata sunt notæ sceleratiorum nebulonum, ita insignia sunt tesseræ egregiæ virtutis. Hanc nobilitatem, parentum gratiâ, & expectatione ingenitæ virtutis, minimæque plebeiæ educationis, in familiam deducimus: eâ lege, ut spem nostram aliquando adimpleant, aut saltē nunquam redarguant per scelera aut morum indignitatem: titulos enim a meritis secluſos, æquè inanes & ridiculos censemus, ac alii non opibus sustentatos: nec qui longissimâ serie â nobilibus descendunt, se majoribus suis anteferre permittimus, a quorum virtutibus originem ducunt: quòd si hunc splendorem meritis augeant, id solum sibi debent. Perinde neque novitios aspernamur, qui fortè multiplicis familiæ beneſacta suis cumulatis officiis exæquant: verùm æstimatione ritè constituta, tot graduum nobilitatem largimur. Nam si in hoc censu sola antiquitatis ratio haberetur, sanè omnes pares essemus, cum ab Adamo primùm, deinde a Noacho prognasci certissimum sit. Si proximorum parentum, certè anima, quæ est pars nostri nobilior, divinæ originis est, & a Deo procreata; quod semper summæ generositatis apex credebatur. Nobilibus, cùm vestimentorum ornatumque discrimina ubique circumferant, inferiores propter publicam consuetudinem sine ullâ cunctatione aut offensione decedunt. In eodem gradu, prioritas valet, in eadem familiâ dignitas generis. Is autem est censuræ obnoxius, qui nobilitatem fastu & fastidio corrumpit: siquidem nihil est superbiâ contemptius, vel si pari superbiâ tumentem consulas: nihil adulatione abjectius: sibi verò adulari

vilissimum: neque honoribus & titulis, qui ob publica beneficia collati sunt, ad publicam injuriam licet abuti. Haud enim ab immanibus gestis aut tyrannicâ potentiâ hæc gloria exurgit, sed a communicatione bonitatis, & exundatione sublimiorum virtutum: neque ego Cæsarem his laudibus dignum, neque fortem, aut fœlicem judico; qui amplissimam rempublicam, sub cujus legibus & institutis natus & educatus fuit, inane nomen & censuit, & fecit: neque illa fortitudo, quæ in virtutum choro numerari solet, cum pietate & justitiâ pugnare potest: quin temeritatis aut violentiæ, aut quovis alio pejori nomine signandum est, illud audere, cujus effecti pœnitere necesse est: quinimo summa est infœlicitas maximum scelus ad exitum perducere. Hunc quidem dico tyrannicæ artis peritissimum, qui non minùs ipsam liberalitatis & clementiæ speciem, quàm acerrimi ingenii vehementiam ad hæc studia scitissimè traduxit. Miror sanè Christianos, in hac sententiâ ipso Catone iniquiores, istum perfectissimum perduellem nescio quâ famæ opinione dignari. O amici! nihil proficimus, si non vera laudis & vituperii discrimina, haud tantùm verbosè & philosophicè, verùm intimis animorum sensibus familiariter insinuata, ad vivendi morem usumque deducimus. Quocirca vos excutere velim hæc involucra & pigmenta vitiorum, & genuinam virtutis faciem perfectè contemplari. Post hæc dicta coegit in mutuos amplexus descendere, ac sponsionem facere se nihil mali invicem molituros. Deinde ab omnibus discessio facta est. Politianus quoq; & Eugenius seorsim se dividebant: solique secum reputabant, quantum dedecus admiserint: ac nisi Josephus aptè præmonuisset, proculdubio sibi manus infe-

nf errent. Marcebant indies his cogitationibus: neque deinde aut virginum ora, aut ſeipſos ſine pudore aſpiciebant: & jam cœperant ad meliora ſpectare, veræque pœnitentiæ fructus edere: quod Joſephus ſolerter advertens, occupabat erigere jacentes animos, & ſolari ſe ſponte plectentes. Quin ut aliquantum diſtraheret a perpetuis mœroribus, ægrè perſuaſit ut iterum prodirent ſecum ad publicam lectionem. Ubi ad Academiam ſuccederent, nondum erat prælegendi hora. Interim in porticu ambulabant; & Joſephus, ut hoc interſtitium aliquâ commoditate ſuppleret, libellum, quem fortè habebant, in manus capiens, diu folia digito verſabat, mox oculis locum deſignans, ad Eugenium ſic provocabat. Placetne audire hos verſiculos e Libro Sapientiæ in Latium tranſmiſſos? Nunc, quia non licebit perlegere, paulò infra initium recitare incipiam:

Sic nempe vanis dedita ſenſibus
Gens impiorum, ſed malè, diſſerit.
Heu vita velox, & laborum
Perpetuis agitata pœnis:
Mors ſæva nulli dat veniam fugæ,
Raptum aut ſepulchro ſolvit ab infero:
Nam fortè nos natura fingit;
In tenebras redig' peremptos.
Ceu fumus halat ſpiritus, ut citæ
Scintilla flammæ, cor agit intimum:
Putreſcit extinctum cadaver;
Mens liquidæ perit inſtar auræ.
Famamq́, vanam factaq́, neſcient
Seri nepotes: ceu fuga nubium;

Sic vita transit : ceu solutum
Sol abigit radiis vaporem.

Vanescit ætas æmula somnii :
Consumpta, non a fine revertitur,
Nam lege consignata tristi
Haud patitur remeare quenquam.

Vivamus ergo dum licet indies ;
Et summa rerum gaudia fervido
Carpamus usu ; ceu juventæ
Perpetuo raperemur æstu.

Nos proluamus non tenui mero ;
Myrrhæq́ succo ; flos neque transeat
Intactus ; ornemus rosarum
Quàm pereant caput ante sertis.

Sit cuiq́ nostrum pars sua gaudii,
Et signa cunctis lætitiæ locis
Linquamus : hæc fortuna nostra,
Hæc hominum rapienda dos est.

Sanctum premamus non ope præditum :
Sed nec relicta, nec vetulo seni
Parcamus : esto jus potestas :
Nil pietas juvat imbecillis.

Ergo struamus insidias pio,
Non congruenti : tetricus obstrepit,
Ac lege nos damnat severâ,
Et maculas renovat juventa.

Se conscientem numinis asserit,
Summiq́ dicit progeniem Dei :
Ad mentis incusationem,
Editus, opprobriumq́ nostræ.

Hunc

Hunc vel tueri nos piget obvium,
Non cæterorum consimilem virûm:
Non semitis instans iisdem
More novo sua facta fingit.

Nos seu monetam censet adulteram,
Consortio, seu sordibus, abstinet:
Fert exitum justi beatum,
Seq; Deo genitore jactat.

Quin experimur verane prædicet?
Tentamus ecquid fiat in exitu?
Si numinis sit nempe proles,
Hostibus eripiet profanis.

Probris & acri cæde probabimus,
Quam mitis, & qua sit patientiâ:
Lethoq; perdemus nefando;
Namque suis superat loquelis.

Hæc falsa fingunt, nube libidinum
Cæci, sed altis non benè creduli
Oraculis, nec spe fideli
Præmia respiciunt piorum.

Nam non caducam finxit originem,
Æternitatis sed speciem suæ
Nostram Creator: mors per Orcî
Invidiam populatur orbem:

Stantes ab iisdem partibus obruet:
Sed dextra mentes possidet abditas
Divina sanctorum: neque ulli
Emeritos ferient dolores.

Stultis videntur funditus emori
Clademque summam funus, & exitum.

Ceu perditam censent; at illi
Pace manent placidâ reposti.

Ut gens malorum suppliciis premat,
Æterna mentem spes tamen occupat;
Mitemque castigationem
Elevat accumulata merces.

Nam sic probatos optimus arbiter
Communioni seposuit suæ:
Ut flamma fusum purgat aurum;
Ut pecudem litat immolatam.

Clari vicissim tempore posthumo,
Ceu tot favillæ per stipulam ruent:
Gentesq; damnatas ad Orcum
Imperio subigent perenni,

Hic pauca breviter commentatus substitit, auscultans modò num adhuc scholam occupantium fremitus ad capiendas sedes revocaret: quin ubi necdum frequentes convenirent, paginas aliquot pollice avertens, in hanc deinde sectionem incidit.

Tum se pudendi criminis integer
Attollit audax ora sub hostium:
Qui pristinos mercede serâ
Crediderant vacuos labores.

Hoc conspicati pectora turbido
Terrore solvent: dum super ultimam
Surgentis expectationem
Insolitum decus obstupescunt.

Serò pigentes, & gemitu gravem
Testante luctum, taliter infrement:
En iste dedignantis olim
Dedecus, opprobriumque mundi.

Stulti

Stulti carentem mente putavimus;
Lethoque nullam surgere gloriam:
Nunc inter ascriptus beatam
Progeniem, superosque regnat.

Ergo secutos tramite devio
Umbras inanes, nos neque conscia
Lux veritatis, nec decorum
Justitiæ jubar est obortum.

Æstu furentum fessa libidinum
Consumpta mens est; vita per avios
Transacta saltus, & salebras,
Calle procul pietatis æquo.

Quid nunc superbæ fama potentiæ?
Quid fastuosæ profuerint opes?
Hæc cuncta cesserunt ut umbra, et
Cursor equo fugiente vectus.

Ritu phaseli, per maris humidi
Currentis undas ante Favonium;
Perlapsus, haud ulli legendum
Radit iter celeri carinâ.

Ritu per auras alitis avio
Tractu volantis; dividit aerem
Stridente pennâ verberatum;
Semita nec sequitur superstes.

Ritu sagittæ, protinus obviam
Metam petentis; quæ penetrabiles
Discindit auras, nec meatum
Pone refert coeunte vento.

Sic nos ab ortu præcipitavimus
Inglorium per crimina seculum;

Virtutis exortes; nec actæ
Edidimus monumenta vitæ.

Ut pappus auræ dissitus impetu;
Ut spuma nimbo deperit, ut vapor,
Spes impiorum; ceu viator
Hospitio fugitivus exit.

At justa vitæ gens opifex piæ
Æterna cœlo gaudia proferet:
Stat certa merces; quam supremi
Cura Dei positura servat.

Nam sceptra cunctis regia dividet;
Cinget coronis tempora gemmeis
Quin incubans dextrâ & potenti
Muniet incolumes lacerto.

Armatus idem numine vindici,
Rerum apparabit tela nocentium,
Thoracis instar sanctitatem,
Justitiæ galeam capesset.

Integritatem pro clypeo geret;
Ensem furoris parcere nescii:
Omnique naturæ rebelles
Militiâ lacerabit hostes.

Tum non inani turbine fulminum
Spargentur ignes; telaque fervidis
Explosa nimbis, ceu fideli,
Omne caput ferient, ab arcu.

Tum fœta sævam nubila grandinem,
Balista saxum ceu rotat, ingerent:
Pontique debacchantis æstus
Vorticibus rapiet profundis.

Assur-

Assurget ingens ventus, & inferi
Difflabit alte sub vada Tartari.
Sic afferet terris ruinam
Impietas, soliisque regum.

Hac periodo se tandem compressit, & Eugenio cætera perlecturo, & ob id librum poscenti tradidit. Hinc itaque in aulam abibant, &, Josepho prænonstrante, se juxtà commodè collocabant. De regimine animæ, erat hodiernæ prælectionis titulus. De quo, ut de summâ futuri sermonis, dum secum mussarent, & non levem expectationem conciperent; ipse lector pulpitum inscendit, & se more gravissimo componens, sic rem aggressus est. In omni humanarum rerum imperio, prima virtus est gubernare seipsum, secunda familiam, tertia rempublicam. Qui istis inferioribus officiis non est satis exercitatus, aut saltem idoneus, illud civilis prudentiæ culmen nunquam rectè consequetur Extitere plurimi principes viri, philosophorum disciplinâ exculti, qui pacem, qui bella fœliciter gesserunt: alii a naturâ non minus compositi, ob hunc tamen eruditionis defectum, ignari justitiæ & veræ fortitudinis, iram atque libidinem, et ingenitum superbiæ malum, non didicerint istiusmodi præceptis, & instructæ rationis fræno moderari: quin aut rebus adversis fracti, vel secundis plus nimis elati, se totos fortunæ tempestati permiserint, & amisso mentis gubernaculo in suæ libidinis pelago fluctuaverint. Omnia sensibus objecta, & extra nos posita, prono, rectoque obtutu agnoscimus; animam autem, ut rem aversam & lubricam, ægrè ipsi comprehendimus; comprehensam ægriùs tractamus & colimus; ut veros habitus virtutis inducat & vitiorum semina amittat. Multi, ut inanem umbram,

& volatile ſpectrum, vix omnino reſpiciunt, aut, tanquam indomabile monſtrum, ſuâ ſponte furere & vagari patiuntur. Cor autem ſapientis in dextrâ poſitum eſt: quod nempe validâ vi, & fabrili arte, quaſi rem alienam, fingit verſatque. Mens eſt ille dæmon & genius noſter, in cujus rectâ conſtitutione philoſophi ſummam beatitudinem collocabant: cùm adverterent regiam animæ poteſtatem, quæ cùm corpore matrimonio copulata, nullam abinde cognationem contrahit: ſed ipſa corporeis ſenſibus præſidet, ſufficitque totius orbis imperio, ſeque ipſam contra omnes externos impetus ſuſtentare, & quaſi in alio orbe ſuarum rerum poſſeſſionem tueri & conſervare poteſt. Hanc diſciplinam, quæ ad ipſam religionem proximè accedit, divina autoritas abundè ſuppeditat: unde præterea diſcimus, quod philoſophi minimè ſenſerunt, hominem naturâ corruptum ad Deum ſe attollere non poſſe: ſupereſſe quaſdam reliquias civilis juſtitiæ, ut corporeæ virtutis ac valetudinis; vel ab illo donatas iri; qui juſtiſſimo in ſontes judicio vel retrahere poteſt vel addere, &, uti nos loqui ſolemus, non vulgares ſpiritus infundere. Quocirca monendum eſt; ut nos tanto adjutore ſubnixi, ab ejus gratiâ pendeamus, ac nihil aggrediamur ſine auſpicio & ductu propitii numinis: quod ſi ipſe ullam intemperiem immiſceat, nempe vel delirium, vel inſaniam, vel angorem conſcientiæ, quis poteſt obſiſtere? quæ gubernandi peritia, quæ tolerandi conſtantia contra Dei poteſtatem perduret, qui in ipſas mentes imperium exercet? nimis ſuperbè & arroganter Philoſophia gloriari ſolet, & hujus ſubjectionis parum meminiſſe. In erigendo mentis regno, primum, quod ſpectare debemus, eſt majeſtas, & excellentia regentis:

tis: nempe eſt cujuſque privatum imperium, ſuique liberrima poſſeſſio, veræq; dignitatis non inanis conſcientia: imò aliis civilem reverentiam ac obedientiam præſtamus, quia id nobis primum imperamus: neque ullum pulchrius, aut perfectius obſequium eſt, quam quod ultro deferimus ex rationis arbitrio: hoc Deus ipſe a nobis exigit, neque alio more ſe coli jubet; ſervilem & coactam ſubmiſſionem reſpuit. Non tamen hæc animi generoſitas a Chriſtianâ humilitate diſſentit; verùm ipſa humilitas nos maximè pudefacit ex ſenſu hujus deformatæ majeſtatis; & cum ipſâ pariter regnat, ac ſuaviſſimâ communione naturæ ſumma cum infimis harmonicè componit. Ineſt certe nobis nativa dignitas, quam a Deo accepimus, quam lapſu violavimus, & ad cujus reſtaurationem ipſa religio jacentes impellit. Cum honoris & ſanctitatis reſpectu corporum vaſa conſervare jubemur; multò magis regias & divinas mentes. Neque eſt alia humilitas perfectionis comes, alia quæ defectus agnoſcit, & pœnitentiâ quodammodò ſupplet; ſed idem affectus pro rerum diverſitate ſe varie explicans. Iſta potiùs vilitas dicenda, quæ ſponte ſceleris patiens, ſe in ſordibus ſuis volutat, & ad res pulchras haud unquam aſſurgit: cujus fuga & averſatio ad hanc animi celſitudinem ducit: nam cum ſcelera, ut ſupplicia, toleramus. aut a Deo in gloriam verti gaudemus, non idcirco minùs indignamur, quin ex ipſo turpitudinis ſenſu hos utroſque affectus excitamus. Falſa & inanis eſt Ethnicorum gloria, quæ vel ſuâ ſuperbiâ turgens, vel populari plauſu inflata, vel a conſcientiâ virtutis profecta, ſibi ſervit, & in ſuis ſe laudibus terminat. Chriſtiana magnamitas nobiliſſimarum rerum deſiderio

ſiderio flagrat, eaſque ut laudabiles & ſe dignas amplectitur; gloriam vero omnem ad Deum tranſmittit. Hanc, ut virtutum efficaciſſimum calcar, & vitiorum frænum, ac denique ut rem ſacram & cœleſtem conſervare debemus: neque ob aliam cauſam divini ſcriptores per ſpeciem fœdiſſimarum rerum nequitiam depingunt quam ut hanc verecundiam in nobis excitent. Quapropter neceſſe eſt a privatâ turpitudine non minus abhorrere quam vel a publicæ infamiæ notâ: nec tantum ob conſcientiæ vindictam, ſed & ex noſtri reverentiâ; quam ut quiſque laxaverit, ita decidit ab imperio ſui: qui enim peccat in ſeipſum eſt læſæ majeſtatis reus. Rebus ludicris & leviuſculis parce et decorè utendum eſt. Nimirum ineſt unicuique noſtrum pars aliqua ſtulti, nec minus bruti. Iſtiuſmodi ſunt riſus, luſus, inconditi ſermones et geſtus. Hujuſmodi omnes naturæ impetus, & inferiores animorum motus. Severa mens eſt prudentiæ templum. Quin ipſa ruſticitas, ac nimis craſſa cæremoniarum negligentia, quandoque morum ſorditudinem inducit. Denique qui rem excuſabilem, neque in ſe inhoneſtam, ſub-turpitudinis opinione attingit, in hunc pudorem magis peccat, quam qui ea quæ natura turpia ſunt graviter & ſobrie contrectat. Solio ritè conſtituto, ad concilium et curiam progrediamur. Animus ampliſſimis contemplationibus augendus eſt, et ditandus ſcientiarum copiâ: qui enim plurima perfecte ſciunt, maximam partem obtinent intellectualis mundi, quæ eſt veriſſima hominis poſſeſſio. Pulcherrimarum rerum imagines menti obverſemus: æqua viribus & fortunis agamus. Maximè autem judicio eſt opus, ne vulgi opinionibus abrepti, immania ſcelera pro virtutibus ſectemur: aut in nos

ipſos

ipſos exerceamus tyrannidem. Multa ſunt, quæ univerſa fere gens hominum quaſi ex perſpicillis intuetur. Alia quidam ampliant, & in immenſum extendunt; ut ſuas laudes, aliorum dedecora, terrores, prodigia, miracula, famam, & externam omnem oſtentationem. Alia contrahunt atque diminuunt; ut proprios defectus, præterita beneficia, hoſtium nondum ingruentium vires, ſolidam virtutem, ac veram ſapientiam, res internas atque profundas. Contra hæc omnia animus eſt ex adverſo præponderandus, ne illum primâ impreſſione occupent, ac deinde conturbent. Nihil humanum demiremur. Nullius autoritati fidem obligemus. Omnia ſcrutemur, teneamus optima, Plurima hujuſmodi documenta ſacra pagina ubique ſuggerit. Poſt hanc præſtantiſſima Græcorum & Romanorum exemplaria in manibus verſemus: Ex prudentiſſimorum hominum aſſiduâ & intimâ cognitione artes & ingenia diſpiciamus, quid pulchre, quid ſecus fecerint. Nihil inexploratum ac vix inexpertum animo inſideat: perſpecta in canones referamus, ut pretioſiſſimum vitæ theſaurum. Summa autem imperii perfectio eſt, vis & potentia imperantis: hæc enim prudentia ad vitam deſcendit, & longâ exercitatione virtutum ſe in habitum & conſuetudinem effingit. Hujus dominio atque regimini animus perpetuo aſſuefaciendus, neq; in re minimâ maxima autoritas remittenda eſt; ne parvâ licentiâ plus detrahatur, quam multâ intentione reparari queat. Ut qui ludunt latrunculis, nullo forte propoſito pignore, ex ipſo tamen vincendi ſtudio, & animorum contentione, tantopere incumbunt, ut victi, tanquam de gravi infortunio querantur, ac ſæpe cum maximo ſpectantium riſu in iram & furorem abeant. Haud ſecus

in

in majoribus vitæ negotiis, ſi quis ſeſe vehementiùs addicat, neglecto ſui præſidio, ubi pedem retrahere velit, id minimè poteſt; ſed ſe diu incaute ruentem ſentit tandem detineri captivum. Severius itaque obſerva quod tu tibi imperas, quam ſi Cæſar imperaſſet; atque, ut athletæ ſolent, huic exercitio quotidie inſiſte: neque animus ipſe culturam reſpuit: Socrates qui corporis deformitatem emendare nequiverat, mentis vitia hac diſciplinâ correxit. Ampliſſimam ſane poteſtatem quiſque fortiſſimus in ſe obtinet, quam ſocordes ac ſibi indulgentes amittunt. Hæc autoritas ſe maxime exercet in moderandis affectibus, qui enim penitus tollunt, ſeipſos jugulant, & ſui corporis ſtationem deſerunt, quod per hos proximum habet cum mente commercium; ventiſque perſimiles ſunt, qui temperati atque ſecundi animam proſpero flatu impellunt: turbidi vel adverſi tempeſtatibus obruunt. In hoc a pecoribus diſtinguimur, quod in iſtis hæ affectiones dominentur, in nobis ſerviant: belluina itaque pars hominis ſub rationis jugo perpetuo premenda eſt: nec quantum libeat, ſed quantum liceat et proſit, emittere, inflectere, divertere, ac millibus modis ludificare debemus: brutis enim, rationis vice, natura certos curſus & limites ſubjecit, qui in illis modum conſtituant: homo, ni ſeipſum regat, longè infra ferarum impetum præceps corruit, et in extremum concupiſcentiæ gurgitem prolabitur. Malignæ affectiones (ut ita dicam) quales ſunt, ira, metus, dolor, pravam tamen aliquam voluptatem afferunt; neque ſine ægritudine & reniſu maximo ſe divelli patiuntur, etſi, purientinm more, non tam exonerent quam exerceant animi morbum. Tum erga alios difficiles reddunt, & vel alienam fœlicitatem

licitatem contaminant. His igitur tortoribus rariſſime, ac non niſi ex rationis imperio, venia danda eſt: atque etiam ſtrenuè cavendum, ne ultra fas & honeſtum, imo ne ipſam utilitatem, effundamur. Summæ enim inſaniæ eſſet, cùm hæc flagra nobis in manu poſita ſint, uſque ad perniciem aut damnum ſævire. Hæ paſſiones in ipſis belluis ſe mutuo intercipiunt: ira formidinem ſpernit, dolorem neſcit, amor omnibus imperat: imo amentes ac perditi homines, adulatores, paraſiti, impoſtores, gladiatores, & gregarii milites id facile præſtant: vel pueri plurima per luſum patiuntur, ex obſtinatione animorum, quæ aliâs maximos fletus exprimerent: non vir prudens & fortis tantum in ſe juris habuerit ex vi rationis, quam natura nobis indidit, contra omnia mala exteriora ſatis validam ac ſufficientem? Si violentius inſæviant, mors ſubtrahit; quamdiu ſuſtinenda ſunt, corpus non deficit: mentis vero officium eſt ipſi aſſiſtere, et, ſi poſſit, ſubſidium vel ſolatium ferre: ſin minus, ſe ſaltem inviolatam invictamque tueri. Nunc ad benigniores animi affectus, appetitum, ſpem, gaudium, ſermonem convertam: qui quamvis blande & adulatorie obrepant potius quam incurſent, ſuos tamen ſtimulos & impetus habent: multique, qui inter vulnera & mortes, ut res ludicras, verſantur, ab his ſæpe ſuperari ſolent: quanquam minimè ſit dubium, homines magis rapi & extra ſe ferri tormentorum cruciatibus, quam ullo corporeæ voluptatis ſenſu: verùm fortiſſima ingenia, ab innati fervoris vehementiâ, in iram, & cupidinem ſunt proniſſima: illam ſcilicet ut injuriarum propulſatricem, hanc ut ſibi conſentaneam exerunt: atqui vera & perfecta virtus, et

forti-

fortitudinis et temperantiæ præsidio stipata est. Naturæ delicias præstat paree et modeste carpere: qui enim raro et sobrie attingit, præcipuam suavitatem deguſtat: ut si florem modicè olfacias, melleum & delicatum odorem effundit: sin pressim ac sæpe repetas, vapores crassos ac terreos exprimis: quæ autem dementia est has propitias affectiones in nos armare? ita ut plerumque intercepte cupiditates, ac spes frustratæ, plus angoris & molestiæ creent, quàm ulla inimicorum violentia: cùm pauci prudenter admittere, vel decepti rejicere sciant. Falsâ specie & variis illusionibus nos aggredi solent, ac pari arte sunt excipiendæ. Primùm absentes præoccupare, & ex longinquo lustrare præstiterit: universam vitam contemplari, ad aliorum exempla respicere, & quicquid homini contingere potest, frequenti meditatione præcipere: ut perfectè muniti simus adversus omnes humanos casus, & utramque fortunam mortalium. Hæc contemplatio, fixa in rationis regno, ipsam adjuvat, & in solium attollit; sensum verò nudum & inermem inducit: at præsentia ipsarum rerum, vel formidabilium, vel cupiendarum, pompâ & ostentatione plurimùm valet. In congressu præcipua cautio est, ne ad primam incursionem imparati pateamus: omnia enim ficta & inania tum maximè pollent, omnisque defensio non prius rectè constituta, subito impulsu faciliùs evertitur. Atque hæc prima impressio a peritis rerum agendarum tanti esse censetur, ut cum mentem semel imbuerit, nullis contrariis rationibus penitus abstergi posse credatur. Si hos insultus fortiter sustinueris, victoriam jam partam in manu habes, eadem vi & virtute tenendam. Ad alteram voluptatum tentationem, quæ blandimentis & palpationibus procedit,

procedit, ſummâ provisione & judicio eſt opus. Id quisque faciat, quod factu ſit optimum, neque non effectu jucundiſſimum ſperet. Beſtiarum eſt ludi, decipi, ineſcari; ſe verò ludere, & apertis oculis in laqueos abjicere, eſt paulò ſupra beſtias inſanire. Quin notandum eſt mala nobis tyrannicè impoſita magis contundere & dejicere animum quàm quæ libenter aggredimur; bonorum abductionem acriùs irritare: quæ autem eſt hæc protervia non tolerare neceſſarios labores? aut quem non pigeat interdictæ voluptatis? Quicquid agimus, liberaliter agamus, facili motu, & quaſi ſecundo flumine delapſi; quodque in ſe difficile eſt, voluntate leniamus. Nonnulla eſt etiam comparationum commoditas: nempe in duobus malis minimum exuit aſpectum mali, & minora bona viliora videntur. Omnia quidem mortalia, ſi conferantur ad cœli gaudia, aut gehennæ ſupplicia, egregiam ſuam vanitatem produnt. Poſtremò optimum eſt lapſorum remedium, in ſuorum affectuum tyrannidem cum vi & obſtinatione inſurgere, ac facto impetu ſemel abrumpere: quod qui valet, oſtentat eximiam indolem animi ſuæ libertatis conſcii. Eſt alia animæ ſentientis facultas, quam imaginationem vocamus, quæ in hujus vitæ ſtatu non parum momenti facit. Spiritus eſt agilis, inſtabilis, pantomimus, prævaricator, ſcurra, pragmaticus, impoſtor, ſeductor affectuum, ſuique tortor, & omnium turbarum concitator: cùm enim ſit chymicus ſenſibilium ſpecierum, neſcio quâ arte eas ſic excitat atque adulterat, ut fulgureo impetu violenter incendat, & ad inſaniam præcipites rapiat; ipſam quoque mentem interturbat, & perpetuâ inquietudine, a ſuo jure & regno dimovet. Hinc deliria, atque ſtultitiæ, quaſi vigilantium ſomnia obveniunt.

veniunt. Et quicunque phantaſiam impotentem habet, quantumvis ſit elegans atque concinnus, vir magnus & ſolidus haud unquam evadet. Hujus verò ſumma malitia eſt, quod ex innatâ pravitate ingenii, pietatem potiſſimùm carpat & rideat: neque in ullâ re aliâ, aut joci liberius fluunt, aut hilarius excipi ſolent: unde plurimi ſuo ingenio pereunt, dum veritatis majeſtatem hac petulantiâ & præſtigiis ludificent. Itaque curatio eſt difficillima, cùm ſit adeò inquieta, ut ne minimo quidem temporis momento ferietur: adeo intractabilis, ut inter digitos medicantis labatur: tanta falſitas, ut vix quiſque prudentiſſimus ad ipſius confictas ſpecies opinionem ſuam aliquantùm non applicet: tanta denique malignitas, ut ſanctiores ægre riſum contineant in alienis nequitiis aut infirmitatibus: eumque ſanè perfectum dixerim, qui in imaginationem imperium tenet. Quocirca mens illi penſa perpetuo imponat; copiam optimarum cogitationum cudat, quarum ſatagat, ne ad ſuam vanitatem deflectat: ſin lapſa, & turpium imaginum fœta, animam violentet infeſtet, fortiter connivendum eſt ab hujuſmodi phantaſmatum aſpectu: quæ ſi protinus extingui aut excludi nequeant, ad placida negotia, aut ſtudioſos ludos, aut meliorum rerum contemplationem diſcedite: omni enim diverſione hic frangitur impetus, & ſomni fit patiens. Fallacitati, & petulantiæ occurritur, non quidem ſatis per judicii vim, niſi ingenuæ virtutis habitum, & ſanam conſuetudinem inducatis, Deum revereri, abominari ſcelera, dedignari vanitatem. Huic potentiæ inſervit memoria, longè minùs efficax & quæ omni impetu caret. Fidiſſimam impreſſionem a forti cogitatione, ſive ex odio, aut cupiditate, ſive aſſiduâ contemplatione

templatione defixam concipit; & institutis vel cognatis monitoribus excitata restituit. Cùm verò ad animæ gubernationem minùs faciat, breviter dimittam. Quin aliqua corporis habenda est ratio, quæ est sedes & provincia mentis, & ex naturæ conjugio, more mutuo, sed dissimilimo, ipsam afficit, & ab ipsâ affecta est. Siquidem secundum temperamenti varietatem, alii aliis sunt ad fortitudinem aut temperantiam magis opportuni. Bilioſi, velut in palæstrâ positi, nisu vehementi & certamine gaudent; ab irâ & omni acri affectu ægerrimè desistunt. Melancholici, tanquam in templo constituti, res sacras & augustas meditantur: metu & sollicitudine infestari solent. Pituitoſi, ceu carceris squalore confecti, & constricti inertiæ vinculis, a fortitudine longissimè absunt. Qui sanguine abundant, in aula & theatro degunt, clarissimâ luce circumfusi, omnique genere voluptatum affluunt. Pervestigato corporis habitu, animam ex opposito constituamus, & in hos motus semper intenti, contrariis affectionibus faveamus: neque si minùs queamus comprimere ruborem, pallorem, suspiria, gemitus, cæterosque animorum fluxus, ad mentem penetrare patiamur: quin adversus has corporis infirmitates tantò diligentiùs obfirmemus: omnis enim obstinatio vel diversio spirituum, præcipuè consuetudo, sensum adimit & obstupefacit. Denique ut formosum corpus est ornatissimum animæ vestimentum, ita temperatum, optimum domicilium, summâ curâ & diligentiâ conservandum: totusque homo sic instituendus est, ut, ceu machina recte fabricata, ac fortiter intensa, ad Dei observantiam, & publicam utilitatem, nec non propriam salutem, sit, quam maximè quisque comparare se possit, omnibus nervis & arti-

culis instructa. Concione dimissâ, Josephus, dum ipse alio secedit, Politianum proximè sedentem admonet; in ambulacro paululùm commorentur, eumque brevi rediturum expectent. Exeuntes illuc se conferunt. Ibi Eugenio per otium hanc versionem sacri Epicedii, a Davide pro socero ac fratre compositi, legere vacabat.

Hebræa virtus cæsa per montes jacet,
Heu quanta strages fortium!
Ah ne Gathanis nunciate civibus!
Neu dira noscat Ascalon!
Nimiùm superbè ne Palestini fremant.
Neu gens profana gaudeat.
Vobis nec imber ullus, aut ros influat,
Gilboa montium juga!
Messemq; sacram fundat infœlix ager.
Illic virorum fortium
Projecta parma est, parma Sauli viliter,
Ceu non olivo perliti.
Atqui cruenta cædis, atque abdominis
Ingentium cadaverum
Non Jonathani vacuus aut arcus redit,
Aut patris expers ensis est.
Uterque pulcher, & placens, dum vixerant,
Et Jonathanus, & pater;
Nec ipsa dispar mors eodem condidit
Utrumque jungens exitu:
Illis vel aquilis planta pennis ocyor.
Leone dextra fortior.
Vos ô Jacobi filiæ Sauli necem
Deflete justis fletibus!
Qui vos beavit ostro, & ostrinis super
Instravit aurum vestibus.

Heu

Heu quanta bello facta strages fortium!
O Jonathane montibus
Occise summis! maximus dolor meus,
O Jonathane frater es!
Mihi fuisti suavis, & clarus fide
Per posteros mirabili.
Vel fœminarum fervidam cupidinem
Amore vicisti tuo.
Heu quanta strages facta fortium virûm!
Ut arma belli perdimus!

Politianus a carminibus, tanquam re alienâ, ad documentorum memoriam revocat. Et, O nos, inquit, infœliciſſimos, qui hæc antea quàm perire cœperimus, non auribus, non animo concepimus. Certè nihil esse potest homine dignius, quàm se regere: frustrà sunt alia imperia, & exquisitissimæ voluptates, nisi hæc intima fœlicitas cum exteriori consentiat. Cum his dictis ad Josephi a tergo supervenientis strepitum uterque se convertebant. Tum ille: Gratulor vobis hanc prælectionem vestrâ commentatione dignam videri. Cui Politianus: Haud minimè oblectat faciem in speculo intueri, maximè verò suæ mentis imaginem coràm expressam & denudatam accipere: neque habuit hic sermo magis expertos & præparatos auditores, & ab his avidissimè imbibi solet. Josephus hic iterum insistebat. Sanè animus serenus est velut medius miseriis vicarius fœlicitatis, & omnium dolorum medicus: neque hæc virtus in suis tantùm finibus inclusa est, sed tanquam a fonte purissimo profluens, in publicam commoditatem diffunditur: nempe cum aliis optimè convenit, ac mutuam charitatem, & benevolentiam inducit: cùm econtra mens perturbata nullis neque divinis neque humanis officiis

recte operetur, quin & ſibi torturam pariat, & aliis omnibus offenſionem. Hæc in eundo collocutus, cum nondum adveſperaſceret, repetitâ ambulatione, ſic deinde in ſermone proceſſit. Tria ſunt laqueorum genera, quæ mentes hominum potiſſimum implicant, ob id magis periculoſa, quod cum vitâ tantam communionem habeant, ut omnino excludi nequeant. Primam ætatem vanæ voluptates per omnium illecebrarum experientiam circumagunt: mediam acmen & culmen ævi magni nominis ambitio occupat: poſtrema relabitur ad divitiarum curam; quæ etiam utriſque inſervit, & communis fomenti copiam ſuggerit. Tum qui ad rem attenti ſunt, ut frugi & prudentes ab omnibus probantur: laudant parentes, hortantur conjuges, liberi gaudent; ac univerſi ferè indulgent iis vitiis quæ ad quæſtum faciunt, ipſam avaritiam nullum omnino vitium ducunt: adeo totus mundus in hoc crimen conſentit, & qui damnant raro exuunt. Eſt tamen hæc peſtis omnium ſcelerum feraciſſima: hæreditates, quas juſtiſſime adiri credimus, quantâ officiorſi ſimulatione, & ſceleratis obſequiis, quantâ votorũ crudelitate anticipari ſolent? Ac licet opum cogendarum libido ſuſtentare viſa ſit rem domeſticam, publicamque; omnia tamen revera perturbat: non amicis aut conſanguineis, non conjugibus, non liberis, non ſibi parcit, unde ſit aliqua lucrandi occaſio. Ex egeſtate naſcitur hic tantus exceſſus; maximaque divitiarum pars eſt, minimis indigere: mens non eſurit, non ſitit, non morbos, mortemque depellit: corpora ſunt iſti helluones, omnium belluarum voraciſſimi; quæ, velut improbi & immites domini, ire, fugere, volare, labores capeſſere, ſubire pericula, & ſibi ſolis

ſervire

ſervire imperant. Hinc tanta mechanicarum artium perfectio, tanta ſcientiarum & animæ negligentia. Pleraque pars hominum, hoc onere depreſſa, omnem vivendi curſum explendis vitæ neceſſitatibus impendit: neque unquam aſſurgit ſupra beſtiarum ſortem. Eſt idcirco optabilis fortuna, & in pulcherrimos uſus convertenda, ſatis amplam hæreditatem a parentibus accipere, quæ his curis liberatos ad præſtantiora negotia tranſmittat. Cum autem ſint duo divitiarum vaſtiſſimi gurgites, victus atque veſtitus; de hoc ſatis a nobis proviſum eſt, quod non pretio, aut varietate, ſed in notis diſtinctionibus dignitas conſtet: illo ſimplici ac puro utimur, omniſque luxuria ad cenſuram trahitur: ut nemini neceſſe ſit magnas opes congerere, & proinde ſit minùs libitum. Et qui ſuas facultates, ſive relictas, ſeu, quod rarius eſt, acquiſitas diſperdit, cenſoribus reddere rationem cogitur, ac non tantùm creditoribus ſuis. Eandem modeſtiam in feſtis ac funebribus cæremoniis ſervamus, quippe judicamus ſumptuoſos ritus eſſe ipſius populi exactiones, & inanes fiſcos, quos forte nobiles ac ſummi cives neque præ impendio præſtare poſſunt, neque pro maximo pudore omittere: quocirca legibus cautum eſt, ne hi nobis, vulgari conſuetudine, tanquam a privatâ tyrannide ſint impoſiti: quod ſi pompam & opinionem detrahas, ſumma divitiarum neceſſitas perit. Sobrii & prudentes viri modico ſatis fœliciter vivunt; ac ipſi avari & ſenes minimo: his plurimum opus eſt, qui maxime prodigunt. Artificia, & agricultura, nullibi diligentius exercentur: ipſi ſolida ac ſyncera excerpimus, ſpecioſa ad exteras gentes, ut crepundia ad Indos, deportamus. Tum antiquam illam parſimoniam, quæ luxui oppoſita eſt, ut maſculorum

lorum animorum nutricem, & medelam omnium libidinum, retinemus. Pecuniarum vis in usu consistit, usus in justis et necessariis expensis: prudens itaque paterfamilias est revera prodigentissimus, cum non, ut isti decoctores, pro parte vitæ immodicè affluat, sed debito ac perpetuo tenore, & ipse prodigat, & aliis prodigenda relinquat. Deus, qui omnia e nihilo finxit, vult nihil disperdi: qui dissipat, tametsi nequeat rem ipsam abolere, usum annihilat, cujus causa est edita. Hæc frugalitas alteram divitiarum paginam facit, & quicquid a sumptibus honeste exciditur in lucrum referas. Quin omnia sordida & impura damnamus, ac post ipsam necessitatem proxima munditiæ & splendoris cura est: pulvere vesci, serpenti in vivis, homini post mortem, in pœnam additum est. Præsertim tenacitas, quæ justam liberalitatem excludit, aut saltem angustat, inter scelera & dedecora censetur: neque est ullum aut justius debitum, aut fortius vinculum humanæ societatis, quam beneficiorum mutua communicatio: belluæ in conjuges, in fœtus indulgent, atque is sanè æternitatem vix spirat, qui posteritatis curam abjicit: tum in cognatos, atque propinquos, ac perinde in universos homines est hæc charitas derivanda: neque est ipse humanitatis particeps, qui quenquam humani generis a se alienum, aut suæ bonitatis exortem judicat. Tributum est Dei quod a pauperibus exigitur: quos ergo, ut publicanos suos, nobiscum semper adesse voluit. Media Christianorum secula, per ingentis meriti opinionem, hac charitate maximè abusi sunt. Postea hoc prætextu facilè cessatum est ab exercitio tam impendiosæ virtutis: nos neque cum Deo pacisci-mur, neque divinæ liberalitatis exemplo in ipsius servos illibe-

illiberales fumus. Sic illa pars opum, quæ debitè expenditur, optimè ſervata eſt, & extra omnes mortales caſus in cœleſti theſauro repoſita. Hæc confabulatus, appetente jam veſperâ, ad domum reducit. Eâ nocte, in lecto diſcubans, ſolitudine ac ſilentio adjutus, ac multâ meditatione a ſomno ſecluſus, hoc carmen ſecum compoſuit, quod poſtridie amicis recitabat.

O Deus æterni ſator ætheris, ô pater, ô rex!
Et jam pronus equos pelago Sol merſit Ibero,
Et jam nocturnis it triſtis Cynthia regnis;
Converſoque ſimul ſurgentia lumina cœlo
Candida cæruleis accendunt ora tenebris.
Muteſcunt ſubito terræque auræque ſilentes,
Marmoreumque mare, & poſitæ per rura volucres,
Cumque feris gentes hominum, feſſoſque laborum
Oblectant ſomnis animos, & corpora ſolvunt.
At lupus egreditur ſylvis, ululaique per umbram;
Obſcanique canes latratum in limine tollunt,
Et diræ volucres nidos liquere diurnos,
Diſpoſitæque jugis noctem ſtridoribus implent,
Ac ſibi ferali reſponſant voce viciſſim.
Tum Metus, ac ſubitus Terror, cæcique Tumultus,
Inſidiaque ſimul, preſſoque Silentia greſſu,
Ac variæ ſcelerum facies, Veneriſque nefandæ
Connubia, & furto gaudens Vindicta cruento;
Et quæcunque diem fugiunt mortalia facta,
Regnant, & vacuas errant obſcura per auras.
Quinetiam inceſti Manes, Umbræque nocentes,
Erupere Erebo, ſolâque in nocte vagantur:
Infandas fingunt voces, luctuque dolendo
Ingeminant ſævos gemitus, ſimul igne coruſco

Cominus armati apparent, rapiuntque, ruuntque,
Oraque ſumpta modis oſtentant horrida diris.
Tum pavet, attonitus reſilit cruor, oraq́ pallent,
Diſtrahiturq́ metu prava mens conſcia vitæ:
Non illam in thalamis gemmata cubilia celſis,
Non rigidi faſces, aut ſumma potentia ſceptri,
Nil clypei, nil tela juvant: nec pectoris ægri
Excubiæ triſtes poſſunt depellere luctus.
Inſtantem capiti gladium timet, ipſaq́ rurſum
Crimina ſecuris olim quæ fecerat annis,
Nota ruunt animo, ſtimuliſque recentibus angunt.
Ille miſer vigilat volvens, curaq́ fatigant
Indomitæ: tum luminibus ſi forte cadat nox,
Exiguus ſubitò ſonus excutit: arrigit aures,
Immoriturq́ toro, gelidus ſtat corpore ſudor,
Et binos oculos immani pandit hiatu,
Inſanitq́ metu, noctemq́ exterritus odit.
Tu Pater interea ſomno ſecura piorum
Pectora componis, ſanctis ſtipata miniſtris.
Tu ſuper invigilans celas tutricibus alis,
Terroremq́ levas; animiſque illapſa quietis
Aurea per nigram ſubeunt inſomnia noctem.
Scilicet æthereâ raptum me fiſtis in aulâ,
Sydereas inter ſedes, divoſque frequentes.
Ara ſub æternis intermicat aurea flammis,
Thuris odorati donis, precibuſq́ piorum
Condita, cœlicolæ circum, quiq́ athere nati
Servavere fidem, quiq́ atrâ labe redempti,
Adduntur ſuperis, terrarum ex omnibus oris,
Sancti omnes, niveis velati veſtibus omnes,
Solennes ducunt choreas, unoque ſonantes
Ore canunt. Tu ſtelliferi flammantia cæli
Mœnia, tu ventos, vaſtique cubilia ponti

Ædificas

Ædificas, terraſque manu moliris inertes,
Et vaſtum ſolidis ſervas compagibus orbem.
O Genitor! tua perpetuò ſtat magna voluntas;
Et fruſtra ſtolida pugnant prævertere gentes,
Irritaque inſanis attollunt ſibila linguis.
Nec tua corporeis ſordeſcit gloria membris
Chriſte Deus, ſævis hominum defuncte periclis;
Nil tantis fœdate malis! tu cæſus, & idem
Altior æthereas ſurgis redivivus in arces.
O Pater, ô proles, ô numinis alma poteſtas!
Quis tibi par interque Deos, pueroſque Deorum,
Qui falſâ timidas ſubigunt formidine terras?
Quis tibi par? ſancto ſolum te carmine dignum
Proſequimur: te veſtit Honos, ſupraq; ſedentem
Læta coronatas clangit Victoria pennas.
Interea ex oculis lapſus ſopor: hei mihi rurſum
Mortales curæ involvunt, & tædia vitæ.
Me miſerum! quis me vinclis & carcere captum,
Immerſumq; levet vitiis? rapit ipſa libido
Præcipitem, rapiunt diri contagia mundi,
Infernaque manus: ſed me tua dextera ſervat,
Et regni memorem ſolabor honore futuri,
O Deus, æterni ſator ætheris, ô pater, ô rex!

At non illi interea vacabant his ſtudiis, perpetuo facinoris pudore dejecti, inſequente omnium delictorum exercitu, ſub hujus auſpicio, atque incurſu. Jam per noctis quietem vehementiùs exagitati, multos gemitus & ſuſpiria fundebant, leniq; ac ſobrio lachrymarum defluxu vultus & toralia ſubluebant. Poſtquã ſe quiſque in ſinu defleverant, Politianus abrumpens, Cur hic, inquit, turpes, & indecori jacemus, tantorumque, quæ ſiniſtrè accepimus, beneficiorum indig-

ni?

ni? ut neque hujus loci ſanctitas, tot ſermonibus, tot exemplis familiariter expreſſa, nos ab inſitâ pravitate abducat: redeamus ergo in patriam cum omnium vitiorum ſarcinâ, neq; polluamus has ſacras ædes contagione noſtræ improbitatis. At quæ fuga? quæ latibula? quæ tenebratum ſecuritas a Deo ſubtraheet? Hæc dicentem graviſſimus gemitus cum lachrymis oppreſſit. Eugenius eodem vulnere ſaucius, tacite omnia excepit, & angore maximo obrutus, crebris tamen ſuſpiriis aſſenſit. Hâc triſtiſſimâ lugendi ſymphoniâ perdebant noctis beneficium, ac deinde brevibus ſomnis per doloris importunitatem frequenter abruptis, ad auroram ægrè producebant.

NOVÆ SOLYMÆ

Liber Sextus.

SUbduxiſſent ſe procul dubio mœſtiſſimi juvenes tum a Joſephi conſortio, tum ab urbe ac finibus Judæorum, ſi non opportunè emicuiſſet vertentis fati fœlicitas. Circa id tempus Apollos in patriam redierat. Ut primùm Solymam venit, ad Jacobi domum ſe contulit. Ubi Joſephi conſpectum ſubiit, mutuâ ſalutatione ſe invicem complexi, gratulabantur fœlicem exitum tam adverſæ peregrinationis: deinde hilariter commemorare cœperunt,

petunt, quæ cuique post discessionem obtigerant. Interveniente Alcimo, dirupta est paululùm, & traducta ad filium hæc exultatio. Ille in solum humiliter effusus paterna penè adorabat genua, tum Josepho permulcente patris animum, præoccupata est omnis querimonia, & gliscenti utriusque lætitiæ adempta refrænandi modestia. Successit huic gaudio Jacobus: omnesque in primæ congressionis impetu undique ab eo sciscitabantur, quæ calamitatum perpetua tempestas tamdiu abstraxisset? Hac quæstione demùm vellicante memoriam, ipsos priùs interrogabat, num Politianum quendàm cum fratre Eugenio apud se haberent. Illi plurimum admirati quid hæc nomina ad eum pertinerent. Habere, breviter respondebant. Tum Apollos. Ob id lætor admodum, ac, si intus sint, quamprimum conventos cupio. Ipsi in secreta seorsim concesserant. Dum accersuntur, Apollos literas producit, quas ab eorum parentibus se ferre dicebat. Inde Josephus magis arrectus. Itane fuisti in Britannia? Imò quidem, referebat, & ab hornm amicis humaniter exceptus, qui maxime gaudebant salvos esse, & in patriâ nostrâ subsistere; quod tum pridem ex epistola rescierant. Inter hæc colloquia, Politianus atque Eugenius, inexpectato nuncio excita, se propere inferebant: ac primùm de salute suorum quæstione habitâ, mox acceptis literis certiores sunt facti. In iis pater rescripserat: Mirari se quibus rationibus incitati ex Angliâ profugerent, & parentes hujus profectionis ignaros, maximo mærore confectos relinquerent: cæterum non mediocri lætitiâ affici, quod tam inconsultum iter ad fœliciſſimam regionem intenderint: præterita se dare juvenilis ingenii temeritati, modò istam opportunitatem sint

inde

inde melioribus ſtudiis impenſuri. Nunc liberali hoſpitio uſi, ibidem, ſi liceret, immorentur, uſque dum ipſe publicam negotiationem illic obiturus poſtmodũ adnavigaret. Sub hæc Apollos ſponte pergebat ſuæ navigationis errores exponere. Ex quo, inquit, Siculorum injuriâ in Italiam ſum abactus, me proximæ navi applicui, quæ ad Judæam transveheret; cum inops & exul illic degerem, ubi neque vivendi facultas eſſet, neque de vobis quicquam certi acciperem, & quidem volebam prævenire noſtræ calamitatis famam, metuſque vero graviores adimere: Deo autem ſic providente, vos jam primi rediiſtis. Cum enim a Rhegio evecti altum mare tenuiſſemus, & Orientem verſus proſpero flatu impelleremur, Africi prædones, qui in Mediterraneo piraticam exercebant, nos a cœli mariſque tempeſtatibus ſecuros, utriſque infeſtiores, adoriuntur. Navem non ita magnam, neque ex æquo bellicis uſibus adornatam, intentato prælio, per deditionem capiunt. Non ſuffecit mercium bonorumque direptio barbarorum crudelitati, quin in corpora quoque manus injicerent. Sola carina, armamentis ſpoliata, ſuo fato fluctuare permiſſa. Nos omnes traducti ſub foros ad ima detrudimur. Hic victûs tenuitate, buccellato ſcilicet pane, & aquâ fœtidâ, tum anguſtiâ loci, ac mutuo pædore immarcentes, omnes captorum injurias perpetimur. Diu cæco in carcere ferebamur, ignari prorſus, quam aut ſpem piratæ ſequerentur, aut quis eſſet noſtri timoris exitus: neque quicquam prius ſenſimus, quam tertio poſt die nos in arctiorem cuſtodiam conjici, ac oppeſſulatis foris ſimul includi, tormentaq; & tela expediri ad prælium: mox edebatur aliquot exploſionũ fragor, cum ingenti ſonitu, & concuſſatione totius navis: ab adverſo

pariter

pariter reſponſum eſt. Huc illuc curſum circumflectebant, ad exonerandos tormentorum ordines, & proventi, fluctuumque opportunitate capiendâ: ita ut a navibus potius quàm ab hominibus pugnari videretur. Longa & acerrima fuit conflictatio. Nos interim circumſtabat fatorum varietas: & quidem anceps erat optio, an cædi, an mergi, vel ab ignotis adhuc hoſtibus nunc iterum capi præſtiterit: quidvis certè victoriæ prætulimus: noſtrorumque puſillanimitas inde ex audaciâ ſeſe prodebat; quòd priùs abjectâ defenſionis ſpe ſe ab illis ſubigi patiebantur, quorum nunc experti ſævitiam multò magis iniquas conditiones recuperandæ libertatis acciperent. Juxta me erat juvenis Anglus, quem Valentem vocabant, corpore contracto, ſed magnarũ virium, ac promptæ audaciæ; & qui a deditione ſemper alienus, nunc ſervitutis impatiens erat; ac mihi potius fidens, quia priùs pugnæ hortator fuerã, clàm in aurem ſubmonuit. Quid hìc ceu pecora in lanienâ includimur? certè pulcherrimã occaſionem amittimus: plurimi ipſorum ſunt cæſi, nemo cuſtodiæ vacat, liberas manus habemus, quibus arma comparabimus, aut inermes tantiſper tenebimus implicitos dum inimici navem inſcendant: ac nobis, quibus debebunt victoriam, nos ſaltẽ pro præmio reſtituant. Non improbato conſilio ad cæteros audacter referre jubeo. Captivi decem eramus; piratæ ante pugnam ſupra quinquaginta, ob paucitatẽ & experientiam ignaviæ, minus de nobis ſolliciti. Tũ ille fidenter inſiſtit: nunc, ſi viri eſſent opportunitatẽ capeſſerent & prælio occupatos conjunctis viribus aggrederentur, ſuaq; omnia, aut ſaltem vitâ potiorẽ libertatẽ, vel victoriâ, vel morte reciperent. Inter hæc verba, globus ingens ab adverſâ parte intromiſſus, ante ora conſiſtentiũ per navem perforatã evolavit

&c

& repagula carceris cum peſſulis confregit. Tabularum fragmenta duos obiter ſauciabant, omnes afflatu ſtabant attoniti, deinde ad memoriam facinoris reducti, & nunc liberum exitum nacti, ipſoque metu præſentis periculi ad deſperationem provocante, ex communi conſenſu eruptionem facimus. Anglus, qui ſe pro duce ferebat, vectem propè inventum arripuit: alii contos, & fragmina, & quæ cuiq; fors obtulit, pro telis gerunt. Ille ſe continuò ſequerentur imperat, & tormentarios primùm opprimerent: necdum ob tumultum exaudiebamur, quin improviſi in illos irruimus, & a nobis incautos, ſuiſque ſingulos officiis exercitos, magno ardore detonantes, invadimus: tres, qui proximè occurrebant, ſimul humi conſternimus, & ipſorum telis armati, hanc partem navis, quæ ad proram ſpectabat, defendere paramus. Tum alii, re manifeſtâ, cum incondito clamore, ſe ad oppugnandum convertunt. Forte accidit, ut facula per tumultum negligenter abjecta in magnam vim pulveris nitrati incideret, &, ingenti flammâ editâ, quoſdam proximè circumſtantium, plures verò ſuperiora tenentium, cum illâ parte puppis abſumeret. Nos longiùs ſubſiſtentes, ignis, qui ſe ſemper ſublimem agit, cum illac exiret, intactos reliquit. Tanto Dei beneficio a ſummo diſcrimine liberati, magis accenſi, ac confirmati ſumus. Piratæ ſtupore perculſi, ab igne ruebant: dum nos omnes, qua exitus patebat, e latibulis incunctanter in altum evadimus. Vis flammæ vela præcipua atque armamenta corruperat; & a gubernaculo dejecerat rectorem. Navis a fluctibus agitata, ad pugnam aptari, & converti nequibat: & jam ipſa tormenta ceſſabant. Nec diu fuit antequam hoſtes id conſpicati ſe propè adjungerent, ac mox harpagi-

pagines & uncos injicerent. Hìc Anglus primus agnovit gentiles ſuos, victoriæque & amicæ factionis indicia reddidit. Illi audacter a noſtrâ parte navem inſiliunt. Prædones, deſperatis rebus, iraque & furore incenſi, ſe infra demittebant, & quod reliquum erat pulveris circa ſe diſpoſitum igne admoto inflammabant, & cum foris ac tabulis, & circiter ſex Anglis, ac tribus noſtrûm qui vindictam avidiùs inſequebantur (inter quos erat ipſe Valens) ſublimes evolabant: atque adeo omnis navis deformata eſt, ut nihil ferè incorruptum maneret: victores itaque deſerendam rati, nos ſuperſtites ad ſe transferunt. Hæc pugna commiſſa fuit ad ulterioris Hiſpaniæ littus. Navis, quæ a Zacyntho mercimoniis onuſta redierat, agitabatur a piratis huc curſum vento vertente tendentibus: poſtquam fugæ poteſtas adempta eſt, ad pugnæ neceſſitatem ſe comparabant; tantùm ut inſequentes ſummoverent: re verò tam fœliciter confectâ, hoſtem ſupra ſpem facilè oppreſſerunt. Lateribus ex conflictu laceratis, ventiſque faventibus, reditum in Angliam maturabant; ac nos unà avehebant, ne trajectio moram injiceret: nautæ ad ipſorum ſupplementum adjuncti ſunt. Decimo poſt pugnam die pervenimus ad Plimmi oſtium, urbemq; e portu conſcendimus. Mercator erat Londinenſis, ad quem maxima pars mercium ſpectabat. Inſtitor nobiſcum navigabat, nomine Clemens; hic mecum familiariter verſatus, perſpecta egeſtate, perſuaſit ſecum Londinum ire; ſe operam daturum, ut a mercatoribus, quibus cum Judæis negotiatio eſt, viaticum impetrarem. Ego in tantis difficultatibus benignè conſulenti non ægrè aſſenſi: tum equis conductis, me alteri impoſuit, & Londinum uſque devectum in familiam domini perduxit;

cui

cui poſtquam totius navigationis, & præ cæteris prælii narrationem feciſſet, adjecit, ſe attuliſſe Judæum ſenem, cujus inter alios beneficio piratarum manus evaſiſſent, qui nunc omnibus fortunis exutus, reditum in patriam quærit. Dominu,cui nomen, Angelus,me jubet introduci: ac paucis de more compellans, gratias agebat, ob ſervatam navem: atque ego illi ob libertatem receptam, & inſtitoris ſui benignitatem. Inde orabat ne a ſe abirem uſquedum ipſe redeundi commoditatem præſtaret. Dum hic hoſpitor, febri quartana correptus, toto vere hoc morbo laboravi: neque tamen ad vos reſcripſi, cùm ea quæ in Sicilia accidiſſent prius eſſe nunciata crederem: ac deinde de meipſo nihil lætius referre poſſem. Ubi convalueram, Angelus literas a filiis ſuis Solymæ datas accepit. Tum quia in Jacobi domo, cujus apud illos antea mentionem feceram, ſe manere ſignificarent (neque es, inquit ad Jacobum innuens, illi omnino ignotus)ad me referens,coram legere cœpit. Quin, addebat, cùm loci ac hoſpitis gnarus ſis; obſecro te ut filiorum ſtatum mihi exponas. Hic quia Joſephi nomen interfuit,vehementer obſtupui, & ei plurimum gratulabar, quòd me literis ſuis communicaret, unde meorum conditionem reſcirem. Quippe,dicebam,hic ipſe Joſephus mihi a patre in tutelam datus eſt, ut ad Europam viſendam ducerem. Tum ſubjicio cauſam disjunctionis noſtræ, ac meas privatas calamitates: nunc vero omnem moleſtiam ex animo deponere, quòd eum ſalvum eſſe intelligam, neque ipſum ampliùs oportere ſuorum cauſâ eſſe ſollicitum, aut de hoſpitii liberalitate, aut de conſortis ingenio. Ille exultans, & gratias reddens, non parum ſibi placere viſus eſt hanc occaſionem mutuo obtigiſſe veſtræ liberalitatis

litatis ex parte compensandæ. Post ex familiari sermone didici, juniorem horum ipsius esse propium filium, alterum verò privignum, nempe conjugis suæ ex Veneto quodam, cui priùs nupserat, unicam prolem. Is Venetus erat Adrianus, idem, ni fallor, de quo te memini sæpe sermonem habuisse ut de homine tibi amicissimo. Hic Jacobus Politianum graviter intuens, ac si paterni oris similitudinem agnosceret, mox pronus in amplexus, interrogat: Tunè illius Adriani filius, qui in me tanta beneficia contulit, & in reditu nostro tot subsidiis adjuvit? cur me tam diu passus es ignorare meæ maximæ gratitudinis hæredem? Omnes invicem lætabantur ob hanc mutuæ necessitudinis renovationem: neque parum gaudebant Angelum quoque ipsum trajecturum fore. Mox cæteris dilapsis, Jacobus, qui cum hospitibus solus relinquebatur, multa familiariter collocutus ex hac opportunitate ipsis poscentibus repetere cœpit sermonem quem apud illos prius habuerat. Dixi vobis, inquit, mihi hæc primùm explorata fuisse, Religionem esse verum Dei creatoris cultum, illum, cùm sanctissimus sit, ab impiis coli, nec velle, nec posse: tum hanc impietatem & contemptum numinis, nullo sacrificiorum impendio, nullis lachrymarum fluviis, imò ne subsequentium benefactorum cumulis expiari: præsertim cùm nulla pars vitæ hoc morbo careat, ipsaque resipiscentia & expiatio suis se semper aspergant maculis, & usque aliquid intersit pœnitendum. Hæc Philosophi, ut cætera omnia quæ ad veram religionem pertinent, minus rectè & verè æstimant, quin merita nostra & virtutes attollunt, Deiq; in

lapsos indulgentiam, aut omnino prætereunt, aut inficiantur. Constitit quoque hanc remissionem esse impetrabilem, vel inde, quòd omnes ad Dei cultum revocemur, qui aliter accedi non posset: tum ipsa præsentis vitæ conditio hoc clarè testatur, cùm enim scelera nostra nos perpetuò disjungant, ac immortales inimicitias & bellum indicant, & ex ipsa justitiæ lege ad vindictam sumendam obligent, quorsum hoc ævi mortalis spatium, & tot assiduè beneficia sontibus ac sceleratis impendantur, si nulla sit ulterioris gratiæ dispensatio, neque spes affulgeat solidæ perfectæque reconciliationis? quorsum in omni divino cultu tot sacrificia, piacula, preces, si non ipsâ conscientiâ dictante aliqua veniæ expectatio superfit? Certè hæc fidei fundamenta, & indicia propitiæ voluntatis Deus animis Ethnicorum insperfit, ut sint minùs excusandi. Porro etsi inficiari non ausim, Deum ex simplici bonitate suâ hominem damnatum posse in gratiam recipere, citra omnem satisfactionem, cùm sit infinitus, & inscrutabilis, & quibus modis expedire se queat a nobis non sit terminandum: quia tamen universus hic orbis est exædificatus ad ejus gloriam, tanquam in theatro exhibendam, æquum erat ut justitia quoque suas partes ageret, ubicunque esset introducta, neque iners & otiosa, nedum offensa & irritata desisteret sine manifestâ vindicatione læsæ dignitatis; cùm hæc sit omnium divinarum virtutum maximè invariabilis: clementia sese aut exerere potest, aut retrahere: prudentia, potentia, cæteræque ejusmodi facultates, nunc uno, nunc alio more procedunt: justitiæ vis simplex & inflexibilis est; quæ nihil aliud potest, aut agere, aut pati, quam ut integri probentur, damnentur sontes: neque cum lance, neque gladio privare fas est:

cùmque

cumque ipsa executio sit ultimus justitiæ effectus, qui fiat ut scelus semel admissum, impunitum abeat? quòd si cuiquam fingere libeat, se pœnæ immunem fore, haud identidem sperare licuerit, ut censura deleatur; aut quod injustum est, justum esse dicatur; nisi & legem & ipsam justitiam tollat: deinde quæ pax? quæ amicitia iniri queat, dum sit adhuc criminis reatu implicitus? Nos quidem ignoscere possumus, & plenamque debemus, quia vindicta ad Deum refertur, cujus ultima & suprema justitia est: & oportet mundi totius judicem ad amussim cum omnibus agere. Verùm utramque justitiæ partem perfectè adimplet, si per alium solutio fiat: neque hæc aliena satisfactio quicquam a Dei gratiâ detrahit, quin multò magis eam nobilitat, quòd cùm ipsâ justitiâ conciliet. Sacrificiorum usus ab Adamo usque deductus planè monuit fore certam & præscriptam institutionem Dei, & cruentam aliquam expiationem, quæ viam nostræ salutis sternat: falsæ quoque religiones omnem sacrarum cæremoniarum apparatum suo more imitabantur; sed non ad eandem intentionem: scilicet istę Ethnicorum cultus ad Deorum pacem emercandum, & purgandam sceleris labem, suo merito valere credebatur: hi verò divini ritus solam Dei benignitatem, & ipsum Messiam intuebantur, qui hæc omnia consummaret, Hoc itaque proximum statuebam mecum subesse aliquam salutis viam; neque patiebar hanc persuasionem, aut per ullam diffidentiam convelli, aut argumentis extorqueri; cùm sit universæ spei fundamentum, quo sublato, nihil restaret præter certissimam expectationem æternæ internecionis, & ultimorum omnium supplicíorum; quo nihil tristius aut magis metuendum ex vanissimis opinionibus accideret:

deret: quamcunque ergo diluculi ſpeciem per hanc rimam interfulgentem arripui: &, ſi nihil amplius exquirere poſſem, certum erat iſtam nudam oſtentationem infinitæ benignitatis quæ in ipſo creatoris vultu elucet, amplecti, & vel ad gehennæ fauces mecum deferre; precari quoque interim, & ab illo petere, ut quo more ſervari nos velit, mihi patefaceret, atque in illâ ſemitâ conſtitueret, quæ ad ipſum rectiſſimè ducat. Maximè cum conſtaret, ſi qua ſit talis nova pactio, & ipſius debiti ſolutio, illam excedere cognitionem noſtram, & cõmunis naturæ modum, in cujus univerſo ambitu nihil hujuſmodi invenirẽ. Deinde placebat experiri, num hæc machina divinæ opis, uſpiam a cœlo demiſſa appareat: ac unde potius ſciſcitarer, quam ubi Deum creatorem cum perfectiſſimo colendi more optimè deſcriptum reperirem. Inprimis arridebat illud a ſacris ſcriptoribus ubique celebratum, ac familiariter inſinuatum, omnem noſtræ ſalutis ſpem in ſolo Dei nomine reponi; unde omnia quæ ab ipſo inſtituta ſunt, & illius bonitatem unicè ſpectant, utcunque levia & futilia viderentur, nihil tamen aut vanitatis aut falſitatis habere arbitratus ſum, verum in ipſis latere perſenſi, eam, quam ultro quærebam, novam & extra ordinem naturæ poſitam redemptionis viam. Hinc illum ſervatorem orbis prædici, indicari, præparari, ſenſim quidem & per certos gradus, atque proceſſus, quo more res auguſtæ proferri ſolent; ita tamen ut per iſtos typos antiquorum fides ad Meſſiam dirigeretur; quanquam fortè confuſiùs ſpectarent, ut ſalutaria Dei ſacramenta, de perſonâ pauciſſima cognoſcerent. Poſteriores, ex vatum oraculis, qui hanc lucem a Deo acceptam magis indies magiſque fundebant, pleniorem ipſius notitiam hauſere. Ex

his

his itaque ſcriptis (ut inania doctorum commenta rejiciam) vera Meſſiæ lineamenta collegi. Nimirum fore Deum nobiſcum, ex virgine natum, expertem criminis, & tamen omnes vitæ injurias & tormenta necis violentæ perpeſſum, nos ſuis meritis & virtutibus redemptuvum e ſceleris dominio, & in æternam beatitudinem evecturum. Has omnes particulas operæ pretium eſſe ducebam accuratè mecum expendere. Pro Deo haberi, & prædicari, primum non leviter animum perculit; cum omnis natura conſentiat Deum eſſe unum, & infinitum; unde ſuſpicari cœpi hanc multiplicitatem numinis ejus gratiâ eſſe compactam, ut Ethnicorum polytheiſmum ad ſuos heroas exornandos: ipſumque tertium, ſcilicet ſpiritum ſanctum, idcirco adjungi, ne ob hunc ſolum confingi videretur. Cum autem reſpicerem ad ſcriptorum fidem, quorum veneranda ſanctitas, & in cæteris rebus perſpecta veritas, cum tantâ impietate non conſtaret; cumque recolerem hujus ſententiæ antiquitatem, jam tum illis temporibus prolatæ, quando longiſſima eſſet Meſſiæ ſpes, & tenuiſſima cognitio, huc illuc diverſis agitatus rationibus, ad Deum ipſum convertebar, multiſque precibus enixè petebam, ut hanc mihi nodum diſſolveret. Tum in numinis contemplatione defixus, hanc lucem menti injectam ſenſi: Deum, cùm ſit unus, & infinitus, unum eſſe ſuo more, hoc eſt, infinito, & ineffabili; neque ipſius unitatem poſſe a nobis perfectiùs concipi, quam aut æternitatem aut ubiquitatem: quod ſi idem ſimul totus exiſtat, in tempore præterito, præſenti, & futuro; ac etiam ſuprà, in medio, & infrà; atque hos tres terminos integrâ & infinitâ ſuâ præſentiâ undi-

quaque adimpleat; cur ſit magis incredibile trinum eſſe in uno & unum in trino? Non ſunt enim tres infiniti, neque tres partes unius infiniti, ſed tres ineffabiles & inexplicabiles Perſonæ in unâ infinitâ eſſentiâ. Ad nativæ fœlicitatis ſtatum ſcire ſuffecit unitatem, virtutemque infinitam: nunc, cùm Deo ſervatore opus ſit, par eſt hanc arcanam veritatem recludi, ex ipſius ore prolatam, qui ſuam naturam optimè novit; necdum fortè cognoſcimus omnia divinitatis miracula. Hoc aditu facto, nonnullam ſpeciem, (non dico ſcientiam aut demonſtrationem,) hujus myſterii ſum conſecutus. Quantumvis enim Deus ſit unus, idemq; puriſſimus actus, cum tamen ſuam pulchritudinem intueatur, ſuâque perfruatur fœlicitate, agit ſuo more in ſeipſum. Tum agentem par eſt eſſe unum, illud in quod agitur, alterum, ipſam verò actionem, tertium. Mens noſtra, quæ eſt proxima numinis imago, hanc rationem quodammodo exponit: non per ternas facultates, quæ in divinâ perfectione uniuntur; ſed per ſingularum facultatum in ſeipſas reflectionem, quâ nihil eſt in natura conjunctius. Sic intellectus ſeſe intelligit: eſt itaque intelligentia, res intellecta, & ipſa intellectio; & tamen unus idemque intellectus. Hæc verò quæ nobis accidunt non variant perſonam, ut nec ipſæ facultates; quia noſtra natura eſt capax harum varietatū: omne autem in Deo eſt Deus: ac proinde ſunt tres ſubſiſtentiæ unius deitatis: primus, Pater dicitur, id eſt, fons & origo reliquorum: ſecundus, Filius, ſeu reſplendens Idea, & ſapientia, & verbum Patris: tertius, Spiritus, ſeu activitas utriuſque, amborum amicus atque concilians. In opere redemptionis, pater nobis filium donat, filius ipſam redemptionem perficit, ſpiritus applicat atque abſolvit: cùm

itaque

eaque omnes interfuerint, æquum erat filium hoc negotium in se suscipere, ut esset, qui mitteret, & qui conferret; ac ipse, qui est Idea divinitatis, foret nostræ redemptionis machina. Procul dubio Deus esse debuit, cùm cætera ex lege creationis, quæ omnia creatori accepta refert, ad extremam obedientiæ perfectionem teneantur; unde nihil redundare certum est, quod in alios impendi queat. Ille autem, qui cùm Deus esset, servi formam sponte subivit, ex illo divinitatis influxu omnia sua merita infinitæ virtutis tincturâ perfudit. Consentaneum est quoque hominem esse, ut obediendi patiendique sit capax; & in eadem naturâ hæc nobis transferat, per quam primi parentis scelus in posteros manavit, denique cum homo sit epitome totius naturæ, ut ipse omnia in se uno reficeret. Ac ne ab ipsâ nascendi sorte humani generis corruptionem traheret, præter hominum morem generari convenit; ex virgine potissimum, ut omnis misturæ suspicio abesset; & cum ingenti miraculo editus, divinitatis indicia secum proferret. Necnon necesse est ipsum omni culpa vacare, qui aliena scelera piaret. Pati quoque oportuit, ut justissimæ legis sententiam absolveret; & læsi numinis offensione liberatos in perfectam gratiam restitueret. Cum hæc mecum perpendissem, ingens admiratio primùm quidem continuit, mox impulit fidem; nempe omnia tam stupenda, tam digna divinæ virtutis & bonitatis visa sunt, tam apta & æqua necessitatibus nostris, quinimò supra modum affluentia, ut facilè crederem, hæc talia fingere, nulli in mentem venire potuisse, quæ prolata percipi vix posse adverterem. Hujus operis admiranda compages universam mundi faciem, omnium seculorum spatia, ipsamque æterni-

æternitatem circumquaq; complectitur; singulas Dei virtutes inter se harmonicè componit, & cumulatis laudibus attollit. Primùm tantæ fabricæ materia ab æterno provisa & præparata est; tanquam ipse orbis ad Messiam nobilitandum fuisset conditus: per illud ineffabile verbum eductus e nihilo est, per illam sapientiam adornatus: vix constitutum fuit hoc pulcherrimum imperium, cùm in utrisque regionibus mundi ab utrâque gente rebellatum est; & ipso chao deformius monstrum, ipsoque inani & nihilo nequius, in hoc theatrum introire permissum. Inde omnia simul pessundata, omnia sub peccato & morte conclusa; nuspiam ulla remedii facultas, nulla spes salutis superfuit. Hæc basis totius structuræ, ac fundus omnium miseriarum: tanto inferior creandi terminis, quanto levius est non esse omnino. quam æternitatem pœnarum perpeti. At non sibi defuit divinus autor, neque in tanto rerum cardine cessavit; verum in hoc perdito mundi statu, incredibili miseratione perstrictus, mox hominum partibus, ut inferioribus, se addixit; & contra potentissimum hostem, qui recenti clade victos contuderat, bellum perpetuo duraturum suscepit: suique parentis iræ, jam jam in nostras cervices indeclinabiliter irruenti, velut inter ensem & ictum se medium objecit. Sponsione factâ, nunquam recessit, neque pœnituit incœpti, sed huic operi unicè devotus, conficiendo totus incubuit. Tum in ejus manus est orbis traditus, unde novi imperii fundamenta erigeret. Adornavit illico mundi scenam, suos milites eduxit instructos, non propriis viribus, non iisdem telis, quæ pridem fefellerant, sed insuperabilis suæ virtutis subsidio. Atque ut victoria insignior esset, maximam partem hominum ad hostem rejecit; & in

his

his ipsis, qui secum militarent, inimicam factionem valere permisit: & tamen suos semper tutatus est, ac diu sibi aditum munivit, ut in summo ardore belli ipse tandem pugnam capesseret, & hostem suâ manu consterneret; non ingentibus copiis, non bellico apparatu, sed ex infimæ humilitatis gradu, & ejusdem naturæ consortio, quam (proh divini amoris miraculum!) cum ipsâ divinitate consociavit: quo nescio quid esse possit aut immanius cogitatu, aut factu conspectius. Obnubilatus est humanitatis velo, ut vivendi infirmitates & moriendi necessitatem subiret; interim omnia pateretur indigna, nihil fœdum aut iniquum patraret. Sic hominum dæmonumque furorem pervicit, & offensi numinis justitiam placavit; quæ nunc regnat, atque triumphat; nec tantum homines, ac manes inferos præ se captos & catenatos agit, sed ab ipso Dei filio opima spolia prærepta reportat, & per orbem publicè ostentata jam in templo cœlesti suspendit. Non extrema damnatorum supplicia, & insatiabilis vindictæ æternitas, æquè celebrat ipsius nomen, aut illibatam dignitatem tuetur, quam hæc infinita compensatio, quæ vastissimam scelerum molem perfectè rependit, immensæque gravitatis corollario præponderat. Quis potentiæ nobilior effectus, quam nos inopes & impotes tollere ex arctissimæ captivitatis vinculo? Quæ prudentiæ insignior ostentatio quam ex tanto difficultatum labyrintho salutem nostram tam fœliciter expedire? Est autem summa misericordiæ eminentia, & quasi proprium solius negotium, cui perficiendo reliquas sibi ascisce-re visa est: nam etsi singulæ suis radiis diffulgeant, atque in unum divinitatis jubar, et infinitæ perfectionis apicem concentrent: hæc, ut mundo maxime salutare

lutare ſydus, in orbe noſtro præ cæteris emicat. Ipſe tam perditos, tam indignos, & inimicos, atque etiam invitos & renitentes in ſinum ſui favoris recipit, nec tantùm veniâ, & ſalute impertit; ſed incredibili ſtudio, ac benevolentiâ, & perfecti amoris nexu adunat; hinc perpetuo & inviolabili fœdere natura noſtra Deo deſponſata eſt, & affinitate numinis nobilitata; atque ut in myſterio trinitatis ſunt tres perſonæ unius naturæ; ita unica Chriſti perſona in duabus diverſiſſimis naturis, paulò minori miraculo, conſiſtit; qui pro nobis etiam precatus eſt, ut cum illo conjungamur, proximo ſaltem gradu, quo ipſe ac pater uniuntur. Hic eſt ille mundi dominus, ac imperator, ſuorum ergò, ſibi omnia ſubjiciens, præſentia conſervans, futura conſtituens. Homines impios, ac malos angelos, frænis & flagello coercet, quos olim ſuo judicio damnatos immortalibus pœnis afficiet; cœleſtes, ſibi ſuiſque miniſtros facit; & pro præmio ſacræ ſervitutis, in æternum alit, atque ſuſtentat: pauciſſimos verò miſerorum mortalium (ut non vulgaris gratia videatur) ad ſupremam dignitatem attollit; quæ tanta eſt tamque perfecta fœlicitas, ut in unumquemque infimum plus indulgentiæ conferatur, quam juſtitiæ in omnem damnatorum turbam: imò, quod magis miremur, quævis mica divinæ benignitatis, quæ nunc viventibus impendi ſolet, omnem paradiſi gratiam excedit; nempe iſthæc Adami fœlicitas ex nullis quidem antecedentibus meritis, tamen a pacto & fœdere pependit, cùm hìc nobis Deus, adverſus omnium ſcelerum clamorem, & rectum juſtitiæ curſum, non ſolùm ſuſpendat vindictam, ſed & aliquam charitatem exerceat. Quin iſte proprius & perpetuus amor, quo ſanctos com-

complectitur, est hujus tanti moliminis caput, & omnino insuperabile fastigium: quod qui propius intuetur, tanto agnoverit creatione superius, quanto Christus est Adamo eminentior. Equidem me hæc seriò meditantem, non tam edoctum & instructum sentio, quam raptum supra mortalitatis sortem divino lumine circumfundi, & cœlestium rerum spectaculo perfrui: non potui itaque tantæ veritatis majestati refragari, neque a spe summæ fœlicitatis decedere: cùm satis adverterem, Messia sublato, omnia incerta, & inania relinqui, sine luce, sine ornatu, & gloriâ: neque ulla religio (quod unquam audivi) talem divinum sponsorem exhibet: non Mahumetani suo vati hunc titulum deferunt, non ipse sibi arrogavit, ut Deus esse crederetur, aut Dei filius: neque putandum est hanc partem pro modestiâ omisisse, sed cùm desperaret pari dignitate a se agi posse, ab alio potiùs derogavit, quod sibi non est ausus assumere: & quicunque magis fanaticus hanc sacram personam induit, per contemptum illico evanuit. Cùm itaque neque natura, neque ulla prætereà religio hanc tam necessariam medicinam, aut repræsentaret, aut commodè fingeret, hìc dubius pendebam, inter spem Judæorũ & Christianorũ fidem. Tum neutri sententiæ pertinaciter addictus, ex æquo veritatem dispicere cœpi. Primùm diligenter recognoscebam Christi historiam, & ad illam Messiæ imaginem, quam animo conceperam, personam, vitam, dicta, factaque, ac lethi genus, cum effectu, successuque doctrinæ, ipsoque sectæ instituto revocabam: nam si hæc omnia cum nostris prædictionibus & typis, ac tanti operis majestate quadrarent, proculdubio is ipse esset, quem quærerem, & alium frustrà expectarem. Diu ambige-

bam

bam de Evangelii fide, quod fundamentum foret hujus inquisitionis: verùm diligenter evolvens, illud ad nostram scriptionem quam proxime accedere fatebar; quod inibi perspicerem nudæ veritatis simplicitatem, cum divinâ dignitate conjunctam: multum quoque movit egregia sanctitas, cum perfectissimo Dei cultu consentiens: neque nostra prævia & elementaris religio ad tantam pietatis puritatem ascendit: tum redemptionis rationem, & ipsius Messiæ officium, regnique cœlestis, & futuri seculi gloriam, longè pulchrius & manifestius depingit. Ad hæc aliorum testimonia adduxi, qui optimum virum fuisse comprobant; & ipse Mahumetes nostro Mose superiorem agnoscit; incaute quidem & impudenter: nam si adeò verax & sanctus fuit, unde in Deum tam improbus esset, ut se ejus filium mentiretur, aut in homines tam injurius, ut fictis fabulis & illusionibus in re tantâ circumduceret? Ex his visum est, Judæos contra Mahumetem testari orbis redemptorem Dei verum esse filium; Mahumetem contra Judæos, hunc esse illum Mosaicum Messiam; mihi verò satis constabat, aut esse utrumque, aut sacerrimum impostorem: cùmq; non illa laboraret infamiâ apud ullos sanos ac sobrios autores, in priorem sententiam facilè consensi. Apparebat in illo altior indoles, ac majus ingenium, quã aut vanum, aut nugatorem, aut delirum crederem: tum cujus commoditatis causâ hæc prædicaret? nihil quæsivit, ac nihil adeptus est, necem suam prævidit, & tulit; par vita doctrinam consecuta probavit: non voluptates, non opes, non eam, quam tetrici omnes & auteri simulatores tacitè sectantur, popularem famam est aucupatus: neque vero cynicus & absurdus fuit; interesse conviviis, parentes observare, Cæsari tributum pendere

non

non recusavit: dignitatem suam ubique testatus est, & res dignas hoc nomine peregit: omnis vitæ ac mortis tenor sibi constitit, &, quicquid in Messia desiderabam, ad apicem implevit. Certè si pauci eruditi poetæ res altas & heroicas confingere norint, pauciſſimi ea quæ ipsi descripserint bene rectéque vivendo exercere, nulli, sine risu vulgi, aut saltem indignatione prudentium, se vivos pro Diis ediderint; fieri non potuit, ut hic in tali humilitate educatus, neque literis instructus, neque senili experientiâ, aut ullis humanis subsidiis adjutus, tantam fidem, tum inter præsentes, tum apud posteros consequeretur, nisi ipsius veritatis suffragio, & clariſſimis divinitatis indiciis fultus fretusque fuisset. Ipsi principes ac sacerdotes has fraudes male dissimulāt. Hic rudes & ignaros sibi ascivit, & (si scripta consulamus) ejusmodi ingenio præditos ut neq; fallere neq; falli satis essent idonei: versatus est inter solertiſſimos inspectores, nec minus infensos sibi, qui dicta omnia ac facta carpebant; ac unus suorum ad hostes tradidit, idemque, seipsum mox damnans, absolvit. Multæ calumniæ, multa crimina in illum conquisita atq; conficta sunt; cum autem omnium accusationum summam in crucis superscriptione requirerem, nihil aliud inveni, præter spontaneam sui professionem. Ac non solùm hæc testimonia rationibus arguenda, sed alia sensibus probata subjecit: miracula scilicet, quæ deitatem affirmant, & deitas invicem his fidem creat. Plurima erant, & pro re natâ, ac plerumque in medio gesta: omnia benigna, & salutifera, & quæ mundi servatorem decant: tantum in arborem infrugiferam vim suæ imprecationis exeruit, ut hominibus documento esset. Quin cedo hæc subornata, & ficta

fuisse,

fuiſſe, qui tamen confingere potuit illas rerum temporum, & locorum circumſtantias, quas noſtra vaticinia exigunt, quæque in aliorum poteſtate poſita ſunt ? ut regiâ Davidis proſapiâ oriundus eſſet, tunc cum ſceptrum a Juda recederet, ut in urbe Davidis naſceretur, ut juſto tempore dederetur neci, ut ager pretio proditionis coemeretur, ut veſtes ſorte dividerentur, ut infractis oſſibus evaderet, & plurima alia ejuſdem notæ. Sane falſarii & veteratores, dum rei ſummam ſtudioſe exornant, a minutis quibuſdam & inexpectatis argutiis non ſatis convenientibus deprehendi ſolent. Adhuc habemus in manibus utramque ſcripturam ; omnia tam apte & perfecte conſonant, ac ſi hic Meſſias a Judæis in ſcenam productus eſſet, ad ſervandam oraculorum fidem, non ab illis cæſus, & abdicatus. Quod ſi ipſe ſummus fallendi artifex, &, quoad viveret, ſui cautiſſimus eſſet, a tot vero ſectatoribus non erat idem expectandum ; quin illi ſimplices & indocti homines, eo abſente, & ob hoc nomen interempto, eodemque metu abſterriti, & a ſpe terrenæ fœlicitatis dejecti, rerumque ſuarum, & ſublimis inſtituti minimè gnari, ſupra humanum ingenium, ſupra opinionem ſuam, ac virtutem priſtinam, cum omnibus injuriis conflictati, in ſeculo perſpicaciſſimo, & potentiſſimo, per Græciæ urbes, per Romanum imperium, per univerſum ferè orbem, Chriſtianam religionem circumtulere. Plurimi paria miracula edebant, dæmones e templis, e corporibus, ex animis hominum pellebant : eodem ſpiritu ſunt agitati, eadem præcepta ac vivendi morem ſecuti. Quæ autem hæc tam efficax diſciplina? omnia hujus vitæ oblectamenta, non modò non ſperarent, quin parta atque præſentia, Chriſti cauſâ, cum

cum ſanguine deponerent: ſpes novas & cœleſtis imperii promiſſa captarent. Hic nulli Sirenum cantus, nulla Bacchanalium licentia, nulla pompa cæremoniarum, nihil eloquentiæ, illecebrarum nihil; non humanæ autoritatis tyrannica vis, quæ Mahumetis doctrinam, ut alteram legem imperialem, tam latè diſtulit, neque ultra hos fines propagavit. Unde ſatis perſpexi hinc æternæ veritatis virtutem ſtare, quæ nullum diſputandi libertatem detrectans, nullis hæreticorũ calumniis (quæ omnes ejus particulas malè multaverunt) nullis ſuppliciis & interminationibus cederet, illinc humanam pravitatem, quæ non his omnibus argumentis flecteretur, neque ullis artibus aut tormentis ad hanc lucem extinguendam parceret. Cùm hæc itaque non levem opinionem Chriſtianæ religionis inducerent, fidem adhuc vacillantem ceu tot tigillis ſuſtinebant, donec divinæ lucis irradiatio tenebras & ipſam cæcitatem ademerit, ipſumq; Meſſiam, & ſervatorem noſtrum, Jeſum Chriſtum, non minùs quam Deum creatorem, quaſi præ oculis ſpectandum præbuerit. O juvenes, intus habitat, & in pectoribus noſtris hæc vera divinitas; hæc ſui conſcios & participes facit. Sentio te, Chriſte Jeſu, tuæq; virtutis radios veluti per nebulam interfulgentes, & non perfectè ſentire doleo. Hæc tam gravis, ac pia diſſertatio juvenum animos novâ luce perfudit, & conſcientiæ vim magis excivit. Sermone perfecto, Jacobus abſceſſit. Illi malorum ſenſu confixi, ſe quidem indigniſſimos hujus ſalutis perverſis argumentationibus ingeminabant. Mox Eugenius cedebat e medio, locum quærens ſe liberiùs deplorandi. Politianus proclivi pœnitentiâ ductus, Joſephum adibat, multùm profeſſus bonitatem Dei, quæ ad peccantium

um convictionem ſuis quoque lapſibus uteretur, ſeque ſœlicem prædicabat, quod hanc Solymam unquam viderit, & tanquam in meliorem patriam, ſeu potius novum orbem, tranſierit. Cui Joſephus. Id quidem noſtra vaticinia teſtantur, fore, ut plurimi e gentibus renaſcantur per virtutem divinæ veritatis quæ ab hac urbe per orbem diffuſa eſt: quod ipſe in vobis contemplatus, & his meditationibus inſtinctus, divinum carmen ſic dudum tranſtuli: ſimul chartam extrahens, Politiano legendam objecit. Ille carminibus jam minùs affectus, Joſepho tamen morem gerens, triſti & inerti vultu percurrebat.

Stat ſacris ſita montibus
Sedes ætherei regia numinis.
Portas ille Sionias
Jacobi reliquis plus amat ædibus.
Urbs ô grata Deo! tibi
Spondent non tenuem ſurgere gloriam:
Memphim ſed neq́, negligam;
Nec me jam Babylon impia neſciet:
Palæſtinaq; civibus
Quæret cum Tyriis, & niger Æthiops.
Omnes hic erat editus,
Dicent de Solymis, hic erat editus.
Necnon omnipotens pater
Æternis ſtatuet mœnia ſeculis:
Albo qui populos ſuo
Conſcribit memorans, hic erat editus.
Hanc cantu liquidochori,
Hanc tollunt litui murmure conſono.
Omnes lætitiæ meæ
Fontes in Solymâ ſoſpite confluunt.

Tum,

Tum, ô amice, dicebat, ignoſce quæſo, ſi tam ſacri carminis negligens videar, vulnus in ſinu gero, cujus dolore vehementer contriſtor, & propriorem operam expoſco: tu mihi oculos reddidiſti, ſenſumque hujus ægritudinis, tu menti afflictæ remedium adhibe, & exolve tumultum mœſtiſſimi pectoris, ſeque ipſam innodantis conſcientiæ nexum: tibi omnia ſponte profitebor, & ipſius animi imaginem producam: ſentio ſceleris intolerabile pondus, & divinæ ultionis gravitatem: cerno tamen, quaſi per rimulam cerno, fulgorem omnipotentis gratiæ interdum per mediam noctis caliginem ſe crebris micationibus inferentem: ô quis me impleat hujus luminis ſenſu, & triſtiſſimæ mentis nubem abſolvat! Joſephus loquentem perſpectè intuens, ut tam pronum ac opportunum ſibi in recto pœnitentiæ curſu perduceret, hoc prudenti ſermone correxit. Heu quàm perperàm nobis imputas, quod divini eſt operis ac beneficii! hic ſolus veram peccatorum agnitionem, miſerrimæque conditionis ſenſum immittit: nempe neminem rectè dolet ſe Deo feciſſe injuriam, niſi a Deo percitus, & pertentatus ſit: neque in noſtrâ poteſtate poſitum eſt Dei pacem conciliare; innuimus, hortamur, urgemus; omnis influxus atque effectus eſt a ſacro Spiritu ſperandus. Non omnes Solyma ſanctos facit, non omnes Babylon ſceleratos: quot miracula Chriſti viderunt, ipſique fecerunt; quot ſobriè & juſtè inter homines agunt, qui tamen a veræ religionis ſenſu abhorrent? Sunt etiam nonnulli, non tantùm in mediâ luce verſati, ſed docti, atque imbuti, & qui de re Chriſtianâ optimè ſentiunt, ac aliorum ſalutem promovent, nec non ad cœleſtem ſemitam ineundam fortiter contendunt, & ab ipſo confinio præcipites ruunt; ita

ut ante ſupremum judicii diem, cui Deus ultimam diſcriminationem ut ſuum perfectiſſimum munus reſervat, in hoc ſeculo ſe palam prodant. Cùm enim veriſſima ſit pietatis ratio, amare Deum ſupra ſeipſum, & fidere Chriſto extra ſeipſum, fieri non poteſt, ut quis hæc minimo gradu obtineat, niſi & ſupra & extra ſeipſum divinâ manu attollatur. Nihil itaque priſtinæ creationis hominem in hunc ſtatum regenerationis tranſmittit; nempe a Deo mutuâ hoſtilitate averſi ipſo deſiderio revertendi privamur: ineſt quidem nobis libertas voluntatis, ſed nulla voluntas hujus libertatis, quæ tam perverſâ libidine emancipet: unde omnia quæ ad Deum ſpectant, vel conducti, vel coacti facimus, nihil ſynceris & genuinis affectibus. Non tamen fruſtra ſunt ipſius mandata, & tot ubique ingeminatæ hortationes, minæ, remedia, ſubſidia, ſiquidem nobiſcum ut hominibus agit, & has aures animi compellat, atque ut ſibi audientes faciat, auſcultandi facultatem reſtituit; res divinas oculis ſubjicit, ac ſimul noſtræ cæcitati ſuccurrit: ipſe e tumulo ſceleris evocat, & ſurgendi poteſtatem inſinuat. Impiis vero ac immorigeris exprobrat defectus ſuos, & jacturam nativæ perfectionis, quæ non tantum obediendi compos, ſed & fidei capax fuerat, & divinarum revelationum particeps: nunc cum oblatas reſpuant atque faſtidiant, importunis beneficiis onerat. In ſuis eandem naturam inſtaurat, & ad hujus gratiæ receptionem, tum externis ſenſibus, tum internis animæ facultatibus utitur: neque hæc vaſa deſtruit, ſed diſponit, ac deinde infundit: certè ſi quid adhuc primævæ virtutis ſupereſſet, hanc potius emendaret; nihil utile recuſat, nihil ſuæ creationis, aut perdit, aut temnit. Verum ſi ingenue ſpectemus

mus hoc opus redemptionis, ſummis titulis exornandum, par eſt ab inferioribus terminis deduci, quam illud, quod a nihilo proceſſit; neque Chriſtus ſe adeò demiſiſſet, niſi ad integram laudem comparandam; non ſane nos miſellos homunciones in partem accipit; quin ut ſolus ſuſtinuerit intolerabile pondus divinæ ultionis, ſic neque ſibi adjutores aſciſcit ad gratiam in nobis reſtaurandam, et cœleſtis imperii molitionem, quæ eſt perfectio totius negotii. Enimvero vanum & ridiculum eſſet, ſi noſtrum arbitrium & incertos nutus ſequeretur; quod ſi nemo hunc ſponte admitteret, omnem ejus operam eluderemus, & affectatæ dignitatis aucupium: tum myſticum illud ipſius corpus, omnibus membris & articulis abſolutum, quiſquam unus abſiſtendo mutilaret, aut ſe intrudendo monſtroſè diſtenderet. Neque hoc pugnat cum voluntate noſtrâ, quippe Deus eſt animorum pater, idemque gubernator, qui ſolus poteſt circumducere, facili motu, & inclinatione conſentaneâ cum ipſius ſponte atque ingenio. Hujus ſacri & divini operis, quod Theologi converſionem vocant, multæ ſunt ſimiæ, multæque imagines, quæ & in aliis, & intra nos fallunt; cùm & ipſa plurimis imperfectionibus obducta ſit, & in profundo lateat: et tamen certiſſimum eſt a cæteris omnibus tam longè diſtare, quam cœlum a gehennâ, ad quæ curſu contrario tendunt: niſi enim hic habitus infuſus eſſet, a nobis gradatim acquireretur: tum qui in hoc vel in illo ſtadio, vel fortè in medio curſu morerentur, in medio quodam loco penderent, aut certè pars aliqua cœleſtis gratiæ ad inferos recideret. Deinde quos fines ſtatuamus, quot actus & incrementa virtutis, quantum meritorum cenſum, ut quis in cœli civitatem le-

gatur, & qui proximo gradu insistit, ad gehennæ di-
tionem sit depellendus? Quin hæc recta & syncera
conversio est ipsius Dei opus ac munus, & æternæ ele-
ctionis effectus; quæ personas designat, & nomina
conscribit in albo vitæ, nullis inde lituris delenda:
hæc sacri fœderis participes facit, & ipsius cœli mu-
nicipes: estque nova generatio, quæ (ut illa cum quâ
in nobis malitia nascitur) momento confit, tempore
perficitur: hæc e mediâ damnatorum turbâ, in exi-
tium pertinaciter pronos, fræno quasi injecto, sistit &
retrahit. Hi seipsos nil posse queruntur; ac ne de ipsâ
voluntate gloriari audent; verùm omnia, Deo juvan-
te, & volunt, & possunt; nullis illecebris abducendi,
nullis deterrendi cruciatibus: dum illi, qui naturæ re-
liquias jactant, & se plurimùm posse profitentur,
plerumque nil minus faciunt, nunquam ad tantam
pietatem ascendunt. Eant itaque qui volunt, & ex-
periantur virtutem suam; Gigantum more e terrâ
ad cœlum consurgere nitantur, Pelio Ossam, Ossæ
Olympum accumulent; donec cæsi divino fulmine, ad
matrem recidant; & suis molibus obruantur. Hìc te
cautum & admonitum volo, ne confidas in hoc emi-
nenti scopulo, ad quem plurimi in salutis cursu fluctu-
antes, ut tutissimum receptum, confugere solent, hìc
emori placet, neque fidei arcam ingressi, ad optatos
portus emergunt. Obsoleta est atque damnata hæc
prioris Adami via: nunc foris exeundum, atque ab
alio indies mendicandum est. Neque hæc fides est o-
perarum nostrarum, sed a Deo divinitus insita; ne-
que in meritorum numerum succedit, sed Christi me-
rita & virtutem amplectitur. Propterea hæc semina
gratiæ, quæ nunc tibi ipse largitus est, duc esse
majoris pretii, quàm aurum & gemmas, & dia-
demata

demata regum, quin prosequere ejusdem liberalitatis spem, & succede fœlicitati tuæ. Equidem, si meâ sit usus operâ ad tanti muneris dispensationem, plùs gaudeo, atque triumpho, quàm si totum terrarum orbem meo ductu atque imperio subegerim. Politianus omnia intentè carpebat, avidis auribus, & ardore maximo sitientis animi: extremo autem sermone sic affectus est, ut deinde exclamaret: O Josephe! proxime post Deum me tibi in æternum debeo: hic iterum periissem, nisi tu rectius præmonuisses. Siquidem mecum destinaveram, summâ vi, & contentione animi, hunc pœnitentiæ cursum conficere, & per omnia pietatis officia ad Dei gratiam tandem accedere, a quâ nunc esse auspicandum sentio. Credo in te Domine Jesu! tu succurre incredulitati meæ! Hæc vota vehementer & suspiriosè fundebat, ad cœlum suspiciens, oculis impetu lachrymarum turgentibus. Josephus dextram strictim amplexus, tantâ compassione, & gaudio percitus est, ut a fletu quoque non temperaret. Tum iterum; Hic, inquit, hære, hic insiste; meo periculo nunquam concides, peribis nunquam. Huc omnia dirige, quacunque feceris; & sunt plurima facienda, ad quæ te hæc fides impellet, & a cœlo vires accerset. Errant plurimi in conversionis crepusculo, neque hunc cœli aditum diu dispiciunt: huc illuc cursitant, atque anhelant; & interea tantùm promovent, quantum in hac cœlesti semita procedunt, omnis reliquus labor irritus est: hæc lactea via te rectâ deducet, & quasi æthereo currui impositum facili actu sublimem evehet. Multùm ab initio amavi te; nunquam verò magis quàm cùm jam tibi vilissimus appares. Perge itaque ac omni studio & diligentiâ annitere, ut salutis partem capessas,

ac non ſpecie aut fæce religionis differtus, ſed ſpiritu & ſuco enutritus, nobilis & ingenuus Chriſtianus evadas. Ingredere veræ fœlicitatis viam: eſt nempe pietas omnium rerum juſtiſſima rectiſſimaque fruitio, quas optimo jure a Deo accipit, & in ſolidos uſus convertit: quicquid ſyncerum eſt in rebus proſperis, cum bonæ conſcientiæ condimento deguſtat, ut particulam divinæ bonitatis, cujus ſummam in Deo poſſidet, & cui cætera ſuperſtructa, aliquam inde firmitatem acquirunt. Res adverſas, æquâ mente, ut paternam caſtigationem & neceſſariam & ſalutiferam perfert: denique æternam fœlicitatem ſpirat, & in ejus certiſſimam ſpem ſummam omnium votorum rejicit. E contra impietas optima vitæ beneficia male collocata diſperdit; ipſa gaudia fonte ac fundamento carent: neque in ſtabili loco conſiſtunt, quia nihil certi & perfecti habent, cui in æternum inniti queant: ipſæ voluptates ægræ & inſanæ ſunt, ſcilicet venenatæ conſcientiæ ſtimulo, aut impendente gladio conturbatæ. Tum fontes in miſeriis ſuis, ceu tot feræ laqueis irretitæ, nullo modo explicare ſe poſſunt; nulla ſolatia, aut ſuſtentacula ſuperſunt; ſed improviſâ malorum facie territi et circumſeſſi, adhuc viventes mori ſe ſentiunt, & extremam omnium ſupplicíorum conſummationem exhorrent. Dum hujuſmodi colloquiis diutius inſiſtunt, ſervus propere accedens nunciabat Alcimum malè habere, ſeque a patre miſſum qui Joſephum ad illum acciret. Nempe Alcimus paternis monitionibus incitatus, ubi cœpit reſipiſcere, ſeveriſſimâ pœnitentiâ exercebatur. Joſephus cum Politiano illum adibat. Ad eorum adventum de priſtino ſtatu nihil mutabat. O ſcelera, ſcelera, exclamans, quæ diu ſopita, nunc tan-

tandem intolerabili ſupplicio miſellam mentem exeruciant. Hic Apollos non ultra paſſus, his verbis pacare conatus eſt. Agnoſcimus quidem te cœleſti fulmine eſſe confixum, neque non meruiſſe ſuſpicamur: moneo tamen et hortor, ut te divinæ voluntati patienter ſubjicias, neque oblatam medicinam reſpuas. Ille adhuc loquentem impatienter abrumpens, quaſſato capite, ſic referebat. Non ſi orbis totius imperiũ et certiſſima hæreditas cœleſtis gloriæ pœnitenti præmium ſit conſtitutum, ad hanc meam mentem inflectere poſſum. Satis ſcio eſſe janitricem cœli, ſed in ipſius aditu poſitam, extra ditionem hujus naturæ: ac tu, ſi hìc eſſes, idem ſentires. Tum pater lachrymis fluens, O fili, dicebat, id tecum agnoſco, idcirco velim a Deo expetas. Ille parum commotus, et ingenti mœrore oppreſſus, ad ſolitos queſtus divertit. Et, ſum, inquit, omnium vitiorum ſentina, omnia humana jura perrupi, omnia divina violavi: vos teſtes habeo non minimorum criminum: eſt vero quiddam quod altius latet, quodque reliquorum noxam impenſe aggerat, & obſtruit omnem ſalutis ſpem. Cui Joſephus. Ede vero, quicquid ſit, Ego me ſpondeo, & certiſſimè ſcio, Chriſti gratiâ ſuperaturum. Hunc Alcimus graviter intuens. Ergone interfuiſti conſilio Dei, ut quid ille de me ſtatuerit, tam certe affirmare auſis? qui ſcis annon in æternum ſecluſerit? Contra Joſephus. At tu, unde te ſecluſum narras? quin extrahe modo, & oſtende nobis hoc telum, quod te tam graviter ſauciat; & videbis an vulnus non ſit capax remedii. At ille. Experior intus atque perſentio me omni gratiâ, ipſaque pœnitentiâ ſpoliatum. Inde alter. Cedo quodvis; at quid de te poſtea fieri poſſit, nondum præſentis:

tellus frigore rigidiſſimo conſtricta, Deo Solem reducente, laxata eſt, & verno tepore emollita; deinde fructus ubertim parturit: illo nutante ſæviſſimæ tempeſtates conticeſcunt, & rabioſum mare deſævit: neque minus in nos valet: quin & iſte impœnitentiæ ſenſus eſt primus ad ſalutem gradus. Si quæras exempla. Memento Theophraſti, qui ex immaniſſimi ſceleris nexu, & extremæ deſperationis abyſſo, hanc gratiam adeptus eſt: quid ceſſas itaque explicare ægritudinem, & medelam experiri? Ipſe nondum ſpe aliquâ incitatus, ſed ut Joſephi importunam pietatem retunderet, ſic demùm exolvit. Probe novi, & ſemper agnoſcam benignitatem Dei; at mei ſceleris ea eſt ratio, quæ & hujus incapacem reddit. Cum enim adhuc puer eſſem, & in optimâ familiâ educatus, hauſi aliquem religionis ſenſum, & adveram pietatem ſpectare cœpi; diuque & longè procedere viſus ſum, & libare cœleſtem gratiam. Deinde tædio pulcherrimi incœpti, & redundante libidinum æſtu, ad priſtinam vanitatem prolápſus fui, & ingruentium ſcelerum mole depreſſus. Inficiari nolo, ſubjecit Joſephus, quin hoc ſit maximum crimen, & plurimis rationibus aggravatum; eoque admirabilior eſt indulgentia Dei, quæ ſic mentem tuam circumegit, ut nunc deniq; recognoſcere incipias; neque in hoc curſu præceps abeas: atque ipſe interdum utitur his flagellis, ad caſtigandam ſuorum licentiam tam praviter aberrantium. Hic ille truci vultu ſubridens, Quaſi mihi perſuaderi poſſit, aut a te ſerio cogitari, in tam averſo & impio pectore ullam ſubeſſe ſanctitatis ſcintillam. Non eſt hæc, crede, pœnitentia, non eſt; ſed inferorum juſtiſſima deſperatio. At Joſephus. De præteritâ

teritâ conditione nihil ſtatuo in utramvis partem, neque te temerè ſtatuere velim: ad præſentia ſpectemus; de quibus equidem conſtanter aſſero nullum hic eſſe deſperandi locum. Ille breviter. Si ullus eſſet reſipiſcendi. Mox addebat, immaniter ejulans, O ſi huic cœleſti ſemitæ nunquam pedem intuliſſem! nullam ſalutis auram hauſiſſem! Utcunque immerſus vitiorum gurgite, & hucuſque volutatus, ſpem tamen haberem reliquam: nunc utroque fœdere violato, ipſo quoq; remedio deſtituor. Joſephus, poſtquam improbitatem querendi paululùm compreſſerat, ſic deinde pergebat. Fingis argumenta ex ingenio tuo, & pro modulo humanæ mentis Deo limites & cancellos apponis: verùm Chriſti gratia, & exolvit in legem commiſſa, & quæ in ipſum ſunt perpetrata. Non eſt ulla pœnitentia pura, nulla perfecta & inculpabilis fides; a Deo quotidie deficimus, & optimus quiſque ex parte relabitur; neque eſt in divinis ſcriptis ullius culpæ frequentior exprobratio, aut certioris remedii promiſſio: adeo futilis eſt hic nodus, quem tu tibi innexuiſti. Subinde Alcimus. Recordor quidem Chriſti ſententiam. Si quis in ipſum peccaverit, condonatum iri; qui verò peccaverit in Spiritum ſanctum, nullam veniam conſecuturum, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. De quo alibi pronunciatum eſt, quod ego jamdudum perlegi, & attentè ſum meditatus. Fieri non poſſe, ut qui ſemel illuminati ſint, et cœleſte donum deguſtaverint, factique participes ſpiritûs ſancti, atque ſapuerint bonum verbum Dei, virtutemque futuri ſeculi; ac deinde prolapſi forent; ut denuò renoventur ad pœnitentiam. Hæc mea culpa eſt, hæc mea ſententia; quid fruſtra litigamus

de

de re judicata? Sinite me meis calamitatibus immori: vos qui ſtatis, et nondum concidiſtis, cavete ab hoc fatali crimine, ac, dum licet, veſtræ ſaluti conſulite. Hæc dicens non expectatâ reſponſione ſe in miſerrimam lamentationem abjecit. Cui Pater. Nullo modo hæc tam dira et formidabilis ſententia quadrat in hos qui lapſi ſunt vel a cœli confinio, ſi non animo odio & vindictâ ſuffecto hoſtiliter oppugnent, & univerſæ pietati, quod eſt Spiritus ſacri in noſtris pectoribus opificium, cum ſcientiâ, & ſenſu, & ſceleratâ libidine bellum indicant. Tu vero qui alios cavere jubes ab iſto crimine, ipſius es minimè particeps: neque ſimulabis pœnitere te velle, non poſſe doles & quereris. Perge itaque & pœnitentiam ſtude; neque eſt ulla divina prohibitio, quæ quenquam nunc inter homines agentium ab illâ excludat: perge, inquam, atque perſiſte contra omnes ſcrupulos & obſtacula, quæ aut mens ſibi adverſa, aut inſidioſus hoſtis ſtruere poteſt: quid enim aliud, miſelle, facies? nullus aditus, nulla præterea ſalutis ſpes eſt; ac nihil eſt ultra hanc damnationem, cui te nunc devoves; quamque tentando forſan effugias: utcunque non ſegnis, atque averſus, ſed adverſa fronte procumbas. Perge, ſuſpiciendo, precando, carpendo, eam a Deo gratiam aſſequi, cujus in te nullam poteſtatem, ac vix ullam voluntatem perſentis. Nos certe non abnuemus tibi noſtras preces adjungere. Tu ſolus ne deſis tibi. Spes eſt ultima viventium poſſeſſio, & deſperatio prima damnatorum. Extrema verba efficacius inſederant: ut tandem conſentiret ſe experturum. Multum vero diuque eſt confli.tatus cum tempeſtate conſcientiæ: adeo ut ejus calamitate omnis familia commoveretur, & preces publicè communicarentur:

nulla

nulla tamen valuerunt remedia, uſque dum ipſi ex inſperato divinus favor affulſerit, & non tantum omnes pacaverit querelas, ſed inuſitato more correptum cœleſti gaudio expleverit. Omnes plurimum lætabantur ob hunc fœlicem & admirabilem exitum tam atrocis atque ancipitis prælii. Vix altero abhinc menſe exacto, Apollo forte per viam exeunti quaſi Clementis ſpecies oblata eſt; quem dum ſenex propius inſpicit, ipſe ſtatim feſtinato gradu prior occurrit. Et, O, inquit, auſpicatiſſime mortalium qui nobis tot moleſtias exolvis! Equidem e diverſorio egreſſus, Jacobi domum jamdiu quærito, tu ſanè opportunè advenis, & prioris beneficii hanc ſummam partem tibi vendicas. Cui Apollos. An ergo tu ſolus venis? an & dominus hic prope adeſt? Tum ille: Scilicet ad Joppam ſubſiſtit modo dum ego revertor. Hinc, Apollo præeunte, ad domum deveniunt. Primùm Eugenius, mox Politianus in præſentiam adducti, admodum geſtiebant, audito parentis adventu: nec diu erat quàm equis præparatis ad congreſſum properè evolarent. Ut primum ſe in conſpectum dediſſent, inceſſit animos humile gaudium, & reverentia paterni vultûs, non ſine tincturâ modici pudoris, ex audaciſſimi facinoris memoriâ. Ille pronos ac ſponte demiſſos, leni caſtigatione permulſit. Deinde per veniæ ſponſionem utriſque integram gratiam indulſit. Tum pauca diſſerens de Jacobo, de filio, deque hoſpitii & convictûs ratione, ab ipſis omnia impenſè laudantibus, ſenſit in fœliciſſimum errorem dilapſos, ut nunc omnis ſollicitudo in lætitiam abiret. Poſtquam hoc ſolatium liberius concepiſſet, & multam noctem mutuis confabulationibus egiſſet, ſequenti die, ad Solymam iter inſtruit, aliquot nobiliorum civium de viâ excipientibus.

bus. Inde in urbem invehebatur ad ædes ſuas quas Clemens conduxerat. Mox Apollos, atque una Joſephus adeunt, a Politiano ad vitricum introducti. Ipſe Apollon, ut qui prior obvenerat, & erat notiſſimus, familiariter amplexus, mox, Eugenio monſtrante, ad Joſephum progreditur, illi ſe filios ac fortunas ſuas debere profeſſus; nec ſolùm amici, ſed & fratris, atque parentis vicem impleviſſe. Contra Joſephus, ſe multis amicitiæ officiis non immeritò obligatum, & abundè compenſatum retulit. Cras Jacobus quoq; inviſit. In ipſo introitu, Apollo conciliante, ſe cum mutuâ ſalutatione agnoſcunt, quam Angelus plurimis verbis, & exundanti gratitudine proſecutus eſt. Jacobus invicem. Filiorum tuorum merita, & in noſtrum Apollon collata beneficia, abſtulere titulum liberalis officii. Aggerebat inſuper jucundiſſimam ſibi Adriani memoriam: cujus illum prædicabat, ut in conjugio, ſic amicitiâ quoque ſucceſſorem. Cum his dictis ad interiora tranſibant; ibique Angelus repetere cœpit gratiſſimam Adriani mentionem: ſe ejuſmodi quædam ab uxore domi audiviſſe, cùm ei Jacobi nomen, & patria, & ſpecies, ab Apollo objicerentur. Ex his initiis, & quotidianâ congreſſione, ſummoque morum & animorum conſenſu, maxima inter ſenes familiaritas brevi coaluit. Interea juvenes cum Joſepho quotidie verſati perſiſtebant in pietatis ſtudio: præcipuè Politianus, cœleſtibus gaudiis recreatus, Dei gloriam ac munificentiam, cum ſuæ vilitatis ſenſu, humillimè recognoſcebat; de perſeverantiâ curioſè ſollicitus: quin ad egregiæ ſanctitatis opera ſe ſummis viribus accingebat, ut priorem vitam magnis incrementis repararet. Fortè Eugenius in Joſephum incidens formidabile quiddam & inuſitatum

in

in vultu gerens, ubi in conſpectum venit, ſic prior in-
clamabat. O amice! horret animus efferre quæ cogi-
tat: non cœlo, non Chriſto, non numini parcit: di-
ra & infanda ſpectacula miſerrimam mentem indeſi-
nenter infeſtant. Joſephus quid eſſet ſecum præcipi-
ens, confeſtim occurrit. Sentio inquit hujus querelæ
ſummam: nunc furit, nunc irruit, atque incurſat in
fines animi, ab arce exturbatus, & excluſus hoſtis:
neque ullæ ipſius artes manifeſtiùs patent, his injecti-
onibus, quas nobis invitis & reluctantibus ingerit:
non tamen diffiteor etiam has impias cogitationes,
ut & prima libidinum momenta, mente inconſultâ
oriri poſſe; ac inde, ex animi perverſitate, timentes
& obnitentes acrius inſectari: cum autem voluntas
minùs interſit, quin ſimul gemat, & patiatur, &
ſurgentes continuo repellat, plus ſupplicii, quam
ſceleris ſubeſſe videtur: & quidem priſtinæ va-
nitatis licentia eo modo puniri ſolet. Ad Deum
itaque confugere debes, qui ſolus dæmonem arce-
re poteſt: tu vero comprime oculos animi, & in-
cunctanter exclude: tum etiam excita ingenii lumen,
auguſtaſque & magnificas contemplationes objice:
neq;te adeò præmetuere velim (nam ipſe metus, quod
horret, ſuggerit) verum generoſâ indignatione oc-
curſum vitare, & calcatas illicò præterire. Quam
vereor autem, ne his monſtris in fugam abactis,
te juſtâ acie cupiditatum invadat, & in graviora
pericula conjiciat? Hìc Eugenius vehementer inge-
miſcens. Imo nunc, ait, omnes inſtruxit copias, ac
ſummo impetu impreſſionem facit: tot ſcele-
rum facies undique inſiſtunt, tot irritamenta mul-
tiplicis nequitiæ alternatim exercent; ut in E-
rebò potiùs quàm inter homines me degere credam.

At

At Joſephus. Ita fortè fit : et ſanè cavendum eſt, ne aut tædio fatiget, aut horrore perterrefaciat, et ſic a ſtudio pietatis avellat, magis quam ut in hæc ipſa ſcelera impellat : mox tanquam victus abſcedat. leniter et inſidioſe palpabit, et per aliquam gratiſſimam eſcam ſuis illecebris in laqueos pertrahet : quin te ita compara, atque conſtitue, ut neque cedas violentiæ, neque incautus deludaris dolis. His dictis compoſitum atque inſtructum dimiſit. Poſtea ipſe Politianum requirens, de animæ valetudine percontabatur. Ille ſe nunc quidem vitam incipere dicebat, & omnia quaſi novis oculis intueri : quod ſi, inquit, nobiſcum, uti priùs diſſerere vacaret, jucundiſſimos tuos ſermones, haud tantùm ad ſciendi voluptatem, quin ad uſum ſenſumq; demitterem. Joſephus ſuaviſſime complexus, laudabat egregiam pietatem, plurimum hortatus, ut omni curâ ac diligentiâ hunc ſtatum et tenorem animi ſervaret; et ſe fortiter præmuniret contra omnes injutias hominum, arteſque et inſidias dæmonum, quæque his omnibus, velut initâ conjuratione, aditum facit, ſuæ mentis perfidiam : a fide verò quam ſemel hauſerat, tanquam a centro religionis nunquam decederet : nullis rationibus, nullis difficultatibus, nullo lapſu atque relapſu, ſe dejici pateretur. Optimè verò facis, aiebat, quod piis colloquiis exerceri velis ; quibus ego ſemper libentiſſimè accedo, quod et loquentibus, et auſcultantibus, ex æquo proſint. Nunc cum Apollos apud nos ſit, a quo me plurima didiciſſe profiteor, vos ad ipſum deducere cupio. Eſt his nempe rei Chriſtianæ maximè gnarus, libris deditior, et plurimos ſcriptitat : interea optimatum filios ſummo cum fructu erudire ſolet. Tu igitur

Euge-

nium accerſe, dum ego hunc vobis coram ſiſto. Politianus inde fratrem veſtigans, in cubiculo incluſum reperit, carmina quædam, a ſe dudum compoſita, exſcribentem. Dum hic longiùs immorantur, Joſephus cum Apollo ſucceſſit, et chartam nondum amotam in menſâ fortè conſpicatus, cum Eugenii veniâ, perlegere cœpit.

Salve ſancta dies,, ævi venientis imago,
Noſtro tradita Chriſto!
Hinc ſordes, & terra vale! ſatis hiſce, ſuperq́,
Sex impendere luces.
Æra ſonant, pulſuque vocant tremefacta canoro,
Ad Dominique Deique.
Huc alacres, hinc quiſq́, ſui de limine tecti
Puris tendite plantis.
Hic neque ſanguineo poſcit diſpendia cultu
Armentive gregiſve:
Prima nec inſtituunt humiles elementa figuræ:
Sed lux aurea vitæ
Attonitas penetrat ſubito ceu fulgure mentes,
Sacri numinis igne.
Scilicet & ſuperi circum laquearia Divi
Pronis auribus adſunt:
Dum ſua mortales expandunt munera linguæ,
Et miracula Chriſti.
Nunc juvat æternum cœleſti in ſede parentem
Affari prece pronâ:
Ille vigil noſtras avidâ bibit aure querelas,
Et quæſita perimplet:
Ut pater indulgens puerum promiſſa petentem
Blæſis vocibus audit.
Nunc juvat unanimes divino carmine cantus

Toto

Toto tollere templo.
O gaudete Deo gentes! accedite festo
Coram numine versu!
Ille Deus, Deus ille, genus mortale creavit;
Nec nos finximus ipsi.
Ipse suos censet famulos, & frugibus almis,
Pastor ceu pecus explet.
Ite, nec ingratas in laudem solvite linguas
Intra mœnia templi!
Hæc æquum est præstare Deo, summisque beatum
Nomen tollere verbis.
Est bonus, est omni miseris mitissimus idem,
Et verissimus ævo.

Deinde addebat, Eugenium intuens, Gaudeo te vacare his studiis, & poeticas voluptates ad meliores usus tecum convertere. Tum ipse. Nunc, inquit, Deo juvante, ab infandis imaginationibus liberatus, & tui consilii memor me, divinis meditationibus addixi, quas olim, ingenuè fateor, ut graves & insipidas fastidiebam: quin jam usu Christiani Sabbati non parum recreatus, ejus expertam utilitatem hoc hymno celebravi. Ex hac occasione pauca præfati, mox omnes Apollon orabant, ut de die dominico sermonem faceret. Ille sic invitatus, atque obsessus, minimè recusabat rem tam gratam & utilem perficere: tum ita continuò exorsus est. Nolo de Sabbato argumentari (ne ad Judaismum reclinare videar) vel anxiis & nodosis disputationibus gravare tenellam pietatem: præsertim cum omnes sani consentiant, tempus aliquod solenne & integrum, his sacris officiis, ut ceteris omnibus, esse debitum; quodque sit sæpius repetitum, neque nimis laxum, aut infrequens, aut quantum cæ-

tera

tera vitæ munia excludat: non tamen ullis diebus nativam ineſſe ſanctitatem; ipſamque primi ſabbati conſecrationem fuiſſe divinam deſignationem naturalis circumſtantiæ, nempe illius temporis exciſionem, ad commemorationem perfectæ creationis, & Dei laudes celebrandas: diem verò dominicum, in honorem reſurrectionis, & exercitia Chriſtianæ religionis, vel ſurrogatum, vel uſurpatum ab ipſis Apoſtolis, & per tot ſecula ad nos deductum, aut non licere, aut ſaltem non oportere mutari. Illud ſolum a nonnullis controverſum eſt, an ex neceſſitate præcepti indictus, an conſilio conſenſuque humano acceptus ſit; ac perinde num certâ inſtitutione, & propriâ benedictione donatus, vel hic tantummodo in partem veniat communis & univerſæ conſecrationis, quæ omnia tempora ſacris operibus juſtè dicata, ut jejunia, & feſta, ex minoribus occaſionibus ſuſcepta complectitur. Cæterùm nulla eſt diſſenſio de obſervandi modo; ut cultus ſit conveniens ac liberalis, & Judaicis reſtrictionibus ſolutus (neque ullum ferè mandatum eſt cui lex Moſaica non aliquid tale ſuperimponat) tum civilium operarum curſum, per id tempus eſſe intermittendum. Ab hac itaque ratione iſti qui maximè oppugnant recedere non debent: cùm enim dies ſolidus in hos uſus ſit deſtinatus, æquum eſt; ut quiſque ſe accingat ad eum integrè abſolvendum conſentaneis ſtudiis & actionibus: unde enim ullâ ex parte res profanas magis admitteret, quàm ſtatuta jejuniorum tempora; ac non ſabbati finem exequitur, qui, ut in reliquâ ſeptimanâ, quandoq; ſacris operatur, quandoq; ad alia divertit: aut paulò infra Judaiſmũ collapſus, externâ requie, aut luſibus celebrat: cùm potiùs toto die exerceri debeat in omnimodæ pietatis gymnaſio: neq; eſt ulla juſtior

opportunitas, mentis noſtræ, quæ civilibus negotiis hebeſcere ſolet, continenti ſtudio refricandæ, & omni genere fomentorum calefaciendæ: aut unde pleniores hauſtus divini ſpiritus & cœleſtis gaudii ſenſum imbibat: neque ullum ſeverius judicium ſancti & ſynceri hominis, quàm quod ille vates noſter pulcherrimè depingit. Si hic dies oblectamento ſit, ut Deo ſacer, atque ſolennis, ſi a ſuis operibus abſtineat, neque ſuæ libidini, aut ſermonibus indulgeat. Imo quidem notatu digniſſimum eſt, in omni populo ubi hujus diei autoritas valet, univerſam religionem meliùs progredi, & qui illam perditam volunt, ab hac parte primùm ſubruant. Quocirca cùm ſit propria diei intentio, divinarum rerum ſtudium; huc omnia dirigi oportet; neque nobis licet cum ignavis & male feriatis, ea quæ interveniunt, pro deſidiæ obtentu gratulanter amplecti, quin potius genuina diei opera in voto & deliciis habere: ecquando enim ſalutis curam ſecuturi ſimus, ſi non illa tempeſtate, quæ huic negotio unicè dicata eſt? nec quis ſperet cœleſte ſabbatum, qui nunc nullum ipſius ſaporem præcipit. Ac non ſufficit, ſicut omni alio tempore, animam ſupra res terrenas erigere, ſed penitus abſtrahere & amoliri, cùm illud quotidianum penſum, cui reliqua vita a Deo ſubjecta eſt, ex virtute ejuſdem autoritatis laxari, & omitti debeat: nec Deo quidem, ſed ſibi ſervit, qui non, ipſo jubente, deponit. Chriſtianum ſabbatum, a creatoris gloriâ, ad miracula noſtræ redemptionis, & myſteria futuræ æternitatis aſcendit; & tum terreſtrem, tum cœleſtem globum circumſpicit. Atque hæc contemplatio ad cætera pietatis officia fomitem confert, & vacuas partes per ſe ipſa perimplet. Sunt autem plurima præterea negotia,

tia, quæ hujus diei ſtadia percurrunt: hæc alternatio, & viciſſitudo eſt ſacra Sabbati recreatio. Duobus præcipuè operibus impendi ſolet: precationi, & prædicationi. Primùm veræ & ingenuæ preces animam coram Deo ſiſtunt: nemo enim abſentem rogat: atque eſt hæc proxima ad Deum acceſſio, per quam ipſum ambimus, prenſamus, amplectimur: quemque oculis intueri vel per imaginem eſt nefas, ore alloqui ceu præſentem jubemur: propterea cùm nihil ſit externis orationibus inſyncero cultori facilius, nihil eſt quod magis reformidat internis & animatis precibus; quantum tanta eſt efficacia, ut vel peccandi libidinem exurant, vel hæc illas ſenſim extingat; cùm fontem & conſciam mentem in conſpectum ſummi judicis adducant: unde ſancti & pii homines, poſt immane flagitium perpetratum, ab hac conſuetudine ſe non parum alienatos ſentiant: nec vero attentio mentis & votorum explicatio hujus officii rationem abſolvunt; tum enim naturæ deſideria (quo more corniculæ precari dicuntur, cùm importunis vocibus pabulum efflagitant) ad pietatis ſenſum accederent; eſt autem precatio divinum opus, cum amore, fide, & reverentiâ conjunctum; his affectibus Deus ſe vult adiri: ac ipſe patulas aures ſemper erga nos gerit; quaſi expectaret, dum ſollicitaretur. Eo itaque exorato, ad alios fruſtra converteremus, ac non priùs exorato, nihil rectè ſperari poteſt, utcunque plurima prior indulgeat. Cùm autem Dei ſit perfecta juſtitia, nos verò impii atque injuſti, ipſæque preces tot maculis infectæ, ſumma eſſet tum impudentia, tum amentia, noſtram impuritatem illi objicere, Chriſti mediatione non interpoſitâ. Tum quia cæci atque ignari ſumus, & quid conducat ad Dei honorem, & quid ad noſtram beatitudinem

faciat; neque ſyncerus amor, neque recta fides exerceri poteſt, ſine adminiculo divini ſpiritûs: neque aliud Deus in noſtris precibus intuetur quàm quod ex ſui ſpiritus miniſterio per Chriſti interceſſionem oblatum eſt. Sic ergo inſtructi nos primùm exinanire debemus, & ex vero ſenſu miſeriarum implorare paternam indulgentiam, ſummo niſu, & contentione animorum, ac improbâ quadam colluctatione: neque ceſſare, neq; omittere fas eſt, donec mens demum acquieſcat, aut in re partâ, aut fide ſatis confirmatâ. At non aliter ſe quiſquam ſperet Dei mentem inclinaturum, niſi præſcriptam voluntatem ſequatur: quæ cùm ipſius gloriâ cum ſalute noſtra conjungat, ſit etã inoſtrorum votorum ſumma. Ac non eſt ulla precatio, aut vibratio animi, aut interjectio, aut ſuſpirium, aut gemitus, ſic ad Deum tranſmiſſus, qui non certiſſimam reſponſionem acquirat, ſuo tempore referendam; quam interim non expectare, eſt perdidiſſe, & per infidelitatem in ſcelus vertere: neque preces, ut penſa, peragimus, quæ ipſe labor tranſactus terminat, & conſcientiam opere exolvit; ſed in ſpe & ſucceſſu vis omnis repoſita eſt, & quantum verè precamur, tantum adipiſcimur: ſunt enim preces certiſſima cum Deo mercatura, quam qui rite exercet, experietur magis quæſtuoſam omnibus ſtudiis & laboribus ſuis. Quin hæc vera deſideria, ut ſupplicationem, ſic induſtriam accendunt; quod his verſiculis ſcitè expreſſum eſt.

Qui rogat, & ſummis votum non viribus æquat,
Quod petit a cœlo, denegat ipſe ſibi.

Imò hoc quoque precibus inſerendum eſt, ut deinde manus in opere procedat. At non ideo orationes vanæ & ſuperfluæ ſunt, cùm ipſâ naturâ dictante in arduis

arduis rebus ad cœlum ſponte ſuſpiciamus, quodam ſubito & inopinato inſtinctu ad Deum erecti: quin vera fides id ipſum cujus eſt certiſſima promiſſio, quodque Deo maximè cordi ſit, ſummo ardore voluntatis expoſcit; quo nihil poteſt eſſe magis pium, aut ingenuum. Tum precatio arcanam communionem efficaciſſimè cum Deo exercet, & animam in ejus ſinum effundit: neque credendum eſt, illum omnibus argumentis aliter commoveri, quàm quòd nos inde vehementiùs accenſi, ad ipſum propiùs evehamur. Præter juſtas preces ſunt etiam ſubiti motus, & coruſcationes animi, quæ ipſius intentiſſimos affectus, ceu tot ſpicula, ad cœlum trajiciunt. Harum expirationum plurimus eſt uſus, ad perpetuam familiaritatem cum Deo ſervandam, præſertim in ambiguis & inſtantibus negotiis, quæ divinam opem continuò poſtulant. Precationibus affinis eſt cantitatio pſalmorum, quæ has plerumq; complectitur, & ad ſummam intentionem attollit; ac quodammodò cœleſtium Angelorum choris adjungit. Nempe ineſt muſicæ ſpiritus ſublimis & vehemens, qui ipſam mentem incantare videtur: neq; hoc tam nativum & conſentaneum inſtrumentum Deus omiſit in cultu ſuo; non quod ipſe, ſic uti nos, concentibus oblectetur; ſed quia noſtros affectus alacriùs impellat, excitetque ſimillimos cœlitibus ſenſus. Vana eſt itaque omnis melodia, & ſuaviſſima vocum conſpiratio, ubi non ſubeſt intellectio carminis, et divinoris animi elevatio. His uſibus vox eſt aptiſſima, ut minimè operoſũ, & conjunctiſſimũ mentis organũ, vivaq; et oratoria exercitatio; ſine quâ non poteſt eſſe veræ cordatæque ſanctitatis expreſſio, utcunque ſit omnis externa ſolennitas: ſic enim Chriſtianorum religio aſcendit ſupra Moſaicam celebrationem

nem, quæ in pompis, & festis ostentari solebat, hos internos animi motus suo more præfigurantibus. Sermocinatio omnis de rebus sacris, aut fit in publicis concionibus, aut in domesticis confabulationibus, quas utrasque Christus exercuit. Illæ plus autoritatis, & divinæ majestatis habent; & in magnis conventibus hominum quiddam altius & augustius sonant; nec tantum excitant dicentis studium, qui in ore omnium versatur & publici silentii reverentiâ excipitur; verùm etiam auditorum animos magis exertos & capaces reddunt. Colloquia hoc habent proprium, quod ad rem privatam sint magis accomoda, seque insinuent familiariter, & strictim feriant: nec qui in acie impressionem vitat, in duello tam facilè declinat: cumque sit unus & alter auditor, ad auscultandum quasi nomine compellati, propiùs obligantur; & ipsi interdum suas partes interrogandi, obtrectandi, & adjiciendi capessunt, quæ omnia tædium allevant, mentemque variè occupatam reficiunt. Autoritatem utrisque divina veritas, salvificam virtutem & efficatiam, sacri spiritus operatio conciliat. Veritatis omnes mancipia sumus: hanc ut dominam intueri, hujus nutus sectari necesse est: judicandi concessa est atque laudata libertas, veritatem semel expressam & agnitam adorare, & exequi debemus: neque ego ullum unquam sermonem accepi de re divinâ tam inerter habitum, ex quo aliquem fructum non perciperem, aut non percipi posse adverterem: imò alti & præstantis ingenii id esse censeo, humilitatem dicentis attentiori studio & conceptu erigere, quippe omnis sacra sententia ampliſſimam materiam præstat: & quidem tantum discimus, quantum agimus: unde satis liquet opus esse frequenti inculcatione cujusque notissimæ

notissimæ veritatis. Præsentia documenta, pro dimenso nostro, a Deo præparata sunt; si quid insigniter affulgeat, & percutiat animam subito ac vehementi ictu, id quisque in suam partem capiat, ac si spiritus sacer aurem vellicet. Vanissimus autem et ignavissimus magnorum ingeniorum mos est, sua tantum admirari, suisque commentis & contemplationibus incubare: cæterùm fastidire oracula Dei ex ipsius cathedrâ ab aliis prolata; quod est certè magis prurigine speculandi quam vero pietatis affectu corripi. Nos audita nobiscum ruminare, & in sanguinem, succumque convertere optamus. Sermocinationi lectionem adjungam; cum sit ejus optimum supplementum, neque parum prodesse compertum; si studio & diligentiâ utamur, crebris commentationibus & ejaculationibus intermistis: ac non levi curâ digna videntur tot egregia præstantissimorum hominum monumenta; præ cunctis vero Dei verbum, quod est universæ pietatis exemplar, intentissimâ meditatione dignissimum est. In his omnibus exercitiis, cùm aliis aque disciplinis inserviant, videmus adhuc aliquem esse naturæ usum in cultu divino. Siquidem publicarum concionum efficacia, quæ animos auditorum ceu vehementi flatu huc illuc impellit, in re civili non minimi momenti est. Sic et Deus homines humanitus tractat, summæ operis suum Spiritum præficit, sine quo omnis eloquentia, omnis intentio, & studium est irritum. Pariter externi ritus, & circumstantiæ loci, temporis, vocis, gestûs, habitûs, quæ ad religionis apparatum spectant, a naturæ officinâ deprompta sunt; in quibus potissimùm ea valet regula, ut omnia decore & ordinate fiant, per modum nativæ ancillationis, sine adulterinæ superstitionis maculâ, aut al-

tioris efficaciæ reſpectu. Sunt quædam præter communem naturæ ordinem a Deo inſtituta, quæ quamvis aliquam alluſionem præbeant, ex occaſione, quâ Deus utitur, & cum ſingulari benedictione ad promovendā fidem indicit: cum tamen iſta inſignis virtus ab ipſâ inſtitutione omnino pendeat: ac nihil tale directè indicent, non ſunt a nobis recipienda, ſine divinæ præſcriptionis imperio. Hujuſmodi ſunt gemella Chriſtianorum ſacramenta, quæ etiā magis ingenua videntur ullis Moſaicis cæremoniis: nempe iſta imbecilla & inopia elementa Meſſiam venturum obſcurè prænunciabant, hæc jam editum clarè reſpiciunt, & ſecundum ejus adventum præcipiunt. Quinimo in ipſo paradiſo Deus totidem ſacramenta conſtituit, quæ primi fœderis ſignacula eſſent: quibus hæc noſtra quodammodo reſpondent. Baptiſmus enim a culpâ abſolvit, quæ per violationem arboris interdictæ admiſſa eſt: cœna Domini eſt ſanctorum vitalis alimonia. Ex his conſtat ſacramentorum uſum propriam & ſignatam fidem exigere: illud autem intuendum eſt, quod expreſſe & evidenter inſtitutum fuit: ſunt enim modi, & circumſtantiæ conſequenter adhibitæ, quæ non eſſe videntur ejuſdem juris. Atque hic eſt noſter ſabbatiſmus, qui & ab inferorum, et mortalium negotiis, quouſque vivendi neceſſitas tolerat, ad opera cœleſtis vitæ ſecernitur. Non vero ad eundem modum per reliquos dies a civilibus negotiis ceſſare fas eſt, circa quæ tamen ita ſe gerere oportet, ut ſit facilis & confinis tranſitus a rebus ſacris ad terrenas, et ab iſtis retro ad ſacras: quod is rectiſſime fecerit, qui utriſque Deum præficit, ut Dominum & inſpectorem totius vitæ. Multi ſunt ſobrii et prudentes viri, qui humanis rationibus incitati ad ſuas cupiditates omnia contorquent, ac

modo

modò a civili injuriâ caveant, hujus maximæ, quam Deo injuriam faciunt, curam non habent: cùm revera quicquid ab illo distrahit sit omnino impium atque nefarium: neque mirum est huc delapsos, suâque libidine irretitos, ad ipsum ægerrime allevari. Qui autem Deum in omnibus intuetur, & ab ejus nutu unicè pendet, in quamcunque vocet obedientiæ partem, æquo et indifferenti animo transmigrat. Ex adverso sunt alii religionis admodum studiosi, qui magno interim illius probro negligunt officia communis vitæ, & rem suam familiarem corrumpunt: atqui vera religio permeat universum hominem, & ipsa secum undique consentit: cum isti plerumque sint vagi, vanique, et nullis usibus constanter idonei; atque in ipso sanctitatis studio, quod unice profitentur, nugaces, & curiosi, & novellis opinionibus dediti; ut qui flosculis magis quam frugibus abundent. Quin vos tam a dextris, quam a sinistris erroribus cautos dimittam. Hic Josephus occurrens: Bene quidem admones; et solent sæpe novitii, dum a prioris vitæ flagitiis cavent, in hos laqueos incidere. Imo, inquit, Apollos, quidam in cursu religionis longius progressi, non sine tædio solidæ ac synceræ pietatis, in novos tramites seorsim deflectunt; et, dum supra vulgus sanctorum sapere cupiunt, inde sensim infra seipsos, infra alios relabuntur; tumidi et inflati suis opinionibus, sed cassi prudentiâ, & charitate, et veris incrementis Christianæ virtutis. Alii, qui nihil ultra religionis habent, in hanc pompam inanium speculationum, et ardorem insanientium affectuum, ab initio efflorescunt: quæ cum admodum popularis sit, et tum novitate, tum sublimitate quadam, animos hominum commovere soleat, in partes

abeunt,

abeunt, & factionibus ſuis ſe duces præbent: nulliſque vehementius iraſcuntur, quam qui veram ſanctitatem cum gravitate & modeſtiâ conjungunt. Atque hi quidem ſunt ſacerrimi nebulones, quorum non raro impietatem Deus in hominum conſpectu denudat, & in ebullientium libidinum ſentinam per errores ſuos labi permittit. Alii vero pii ac liberalis ingenii, neſcio quo fuco & ſplendore inducti, in horum ſententiam tranſire geſtiunt: mox, velut eodem œſtro perciti, ipſi fere non minus inſaniunt, turbamque ſuâ famâ adaugent: miſerandi ſanè, & digni remedio, ſi non ipſi ſe adeo evehant, & perfectiorem curſum inire credant, ut omnia ſana conſilia aſpernentur, & ſanctiſſimum quemque deſpicatui habeant, qui ab illorum ineptiis vel latum crinem auſit diſcedere. Huic vitio medetur Chriſtiana ſobrietas, tum in judicio, tum in moribus conſtituta; ne quis ſapiat ultra quam ſapere oporteat; & quo ſe putat altiori gratiâ dotatum, eo humiliùs, & reverentius gerat: cùm a veris exaltationibus plurimum hujus periculi impendeat; neque hic vitam minùs, quam mentem inſtruat; cùm ſolida ſcientia utrumque præſtet. Ac non ſolùm de ſeipſis cura eſt; ab aliis quoque cavendum moneo: ne quenquam mortalium, citra ſeculum Apoſtolorum, erroris vacuum & expertem credamus: neque ſufficit malos & falſarios ſuſpicari, ſed etiam pios ac probos homines, præſertim vivos atque præſentes, qui fulgore eximiæ ſanctitatis perſtringunt animos inferiorum, & quo velint circumducunt: quodque indigniſſimum eſt, id quaſi ſuæ eminentiæ debitum ab aliis expectant, & ſibi arrrogant. Denique in ipſis Dei oraculis non nimis alta & occulta captemus, cùm obvia & trita plus afferant utilitatis, tametſi minus com-

voluptatis, aut famæ. In hunc enim plurimi errorem incidunt, ut non ſervato tenore ſanæ doctrinæ, & ſymmetriâ fidei, quicquid magnum & mirum apparet, temere arripiant, & quod peſſimum eſt, per ſe excogitent, & quaſi Deo & ſcripturis conſultum velint, comminiſcantur novæ pietatis formam, ac deinde ab eo patrocinium quærant, & vel adverſa teſtimonia violenter emungant; omnem ſyllabam atque literulam ad ſuos ſenſus criticè inflectunt; præcipuè ex iis locis, ubi verba ſeparatim accepta propoſitæ intentioni plurimum indulgent, nil autem tale directe innuunt, quod illi ex obliquo inſidioſe excerpunt: cùm in ſacris literis multa humanitus, multa vulgariter, multa copioſe & rhetoricè dicantur: iſtos vero apices et obſcuras conjectationes, aut ad fundamenti certitudinem reducere, aut non temerè affirmare præſtiterit: neque eſt hæc humana dijudicatio divinæ voluntatis: neque magnæ pietatis ignava aut meticuloſa declinatio; ſed ſobria, & ſyncera complexio omnium earum ſententiarum quæ ex univerſo ad doctrinam Chriſtianæ veritatis & agendi pietatem conſentiunt. Qui hoc ſacrum & aureum filum ſemel abrumpunt, huc illuc circumvagantur in opinionum ſuarum labyrintho. Hinc præfervida et vehementia ingenia in primam ſanctitatis ſpeciem extemplò incurrunt; ac non ante perpendunt, an id ipſis liceat, atque expediat, neque proſpiciunt quam ſit peſtiferum, et damnoſum humano generi, præripere magiſtratuum poteſtatem: cumque Deus eadem flagitia toleret, non ſine maximâ indignatione, & reſpectu futuri judicii, hi tamen tolerare & indignari neſciunt: imò, quod turpiſſimum eſt ſcelus, ab Erebo ſæpe auxilium petunt, unde cœlo ſuppetias ferant: cenſentque omnem violentiam

lentiam,& fraudem, & fictas calumnias esse piissimas, modo pietatis causâ susceptas: neque inrerea meminerunt, obedientiam esse optimum cultum; seque bonam causam malè perdere. Quidam rebus sacris indesinenter operati, vel ultra naturæ patientiam, vel hujus vitæ conditionem, obliviscuntur illius indulgentissimi præcepti: Misericordiam volo, ac minimè sacrificium. Sed & hi sunt infimi ordinis: proximi ipsâ fide abutuntur; atque ut Stoici naturæ legem, sic illi Dei præceptum transiliunt; & obstinati ad omnia patienda, sui defensionem suscipere non audent: nempe hoc pulchrum & Christianum putant, a Deo remedium, aut ultionem sperare; neque ab illo datam facultatem exercent. Plurimi non dispiciunt, in cultu Dei, quid pro re natâ, aut temporum & locorum exigentiâ, vel consuetudine, et convenientia ordinis atq; decori antiquitus fuit introductum; quin ultra modum laudabilis exempli, æquiparant Mosaicis ritibus expresse præceptis & institutis; quod est ad ipsam superstitionem recidere: neque hic sistere solent, etiam miracula aggrediuntur, ad imitationem istarum virtutum, quæ, præter ordinem communis gratiæ, primis seculis cœlitus dispensatæ sunt. Cùm vero hæc illusio non optimè procedat, enthusiasmos, & istiusmodi figmenta facilius hauriunt; quod hæc intra se peragant, & fingendo sibi ipsi imponant; neque dignoscant operationes sacri spiritus, piorum animis se immiscentis, & ad Dei præcepta dirigentis, a suis impiis & insanis somniationibus; quæ sæpe in turpissima facinora, sæpius in vanissimos errores conjiciunt. Ultimi, ac pessimi omnium, ipsam Dei legem annihilant, aut saltem evacuant, et purissimam Christi gratiam ad suorum scelerũ patientiam distendunt: libidinosi, ut plurimùm, homines, cum sensu primùm non

non inertis conſcientiæ;quam ut capiſtrare queant, & cum ſpe divini favoris nequitiis liberrime perfrui,hanc ſibi prodigioſam opinionem cõmenti ſunt. Hujuſmodi hominum fucata ſanctitas multos imprudentes fautores allicit : nihil tamen æque fobrias mentes ab amore religionis abſterret, quàm cùm hæc faſtigia divinæ veritatis ad tantam inſaniam deflecti ſentiant ; quæ vel ipſos electos, ſi fieri poſſet,de ſtatu dejiceret : unde etiam apparet, quàm ſit anceps atq; difficile rectum pietatis curſum tenere; cum iſtinc tot ſcopuli & offendicula, quaſi ex compoſito, ſtruantur , ad quæ maligni & captioſi navem impingant : hinc ſcyllæ, & ſyrtes incautos hauriant: ut nemini tutò evadere liceat,ſine impulſu et gubernatione divini ſpiritus. His exactis ſermonibus, Joſephus primum,ac deinde alii gratias agebant;his ſe plura debereprofeſſi,qui æternam ſalutem primovent,quam qui aut corpora, aut rem externam, mercabili conſilio juvant:ipſũq; poſſidere ampliſſimã gazam,qui hæc maxima beneficia ſine ſuo detrimento diffundit. Præterea obſecrabant ne graveretur hoc munere ſæpiùs dignari,nunc nonnullã ſpem dabant,operã non fuiſſe male collocatã. Angelus interim negotiationẽ obibat;cujus hæc erat ſũma,ut inter utriuſq;gentis mercatores cõmodæ leges conſtituerentur. Id,Jacobo promovente, ob mutuas commoditates facile impetratum eſt. Negotio rite perfecto,mox in patriam reverſurus, cum filiis forte confabulatus de his quæ in peregrinatione accidiſſent, inter cæteros ſermones de Jacobi familiâ , confeſſionem quoque amoris elicuit. Per hunc, inquit Politianus, turpiſſimum errorem, Deo in melius vertente, ad veram ſalutem redacti ſumus : nunc ab ipſo veniam conſecuti, tuam pacem humiliter oramus. Ille facinoris mentione turbatus,

batus, et utrumq; ſeverè intuens, hic verbis caſtigabat. Furtivos juvenum amores ſemper, uti noſtis, improbavi, qui maximas turbas concitare ſolent, & totius familiæ ſtatum pervertere, per raptum, & cædem, & clandeſtinas nuptias. Cùm enim matrimonium ſit manumiſſio liberorum, & quaſi in novam coloniam traductio, non tantùm conſenſio parentum, ſed inprimis conſilium eſt adhibendum: ac ferè non minùs ipſorum intereſt, quales generos, & nurus, & nepotes ſortiantur: quin ipſæ dotes & patrimonia, quæ in nuptiis excidere & transferre ſolent, hujus officii ſatis admonent. Certè vix poteſt ſperari, ut a Deo probatum ſit illud conjugium, quod parentes improbant, aut recta familiæ conſtitutio expectari, tam perverſè & perperàm inchoatæ. Neque ego ſum rigidus, & difficilis pater, qui ea quæ meipſum reſpiciunt, opes ſcilicet, & affinitatem, veſtro conſenſui & convenientiæ præponam: aut ſi maximè ſim talis, ad amicos aut publicos magiſtratus potius provocandum fuit, & vicaria ſaltem autoritas veſtræ libidini prætexenda. Hìc Eugenius interponit, his votis ſe olim indulſiſſe, nunc ultro deponere ſuâ experientia ſatis edoctos. Ipſis e conſpectu cedentibus, mox Angelus, his ſpontaneis affectibus incitatus, exinde cœpit animum vertere ad juſtarum nuptiarum conſilium, In virginibus nihil non laudabile cernebat, nihil in familiâ, aut fortunis pœnitendum: quin ſummam omnium rationum conferens, magis de nimiâ fœlicitate dubitabat, quàm non ambiendam eſt arbitratus. Proximè cùm Jacobo congrederetur, per intimam familiaritatem hunc ſermonem inſinuavit; primùm filiorum temeritatem excuſans; &, Quidni, inquit, hunc quoque alterum ipſorum errorem ſupremi rectoris

ris providentia ad mutua beneficia convertat? Jacobus, qui aliquid tale ſecum jamdudum agitaverat, non invitis auribus accepit; tempus modò ad deliberandum popoſcit. Inde cum Apollo atque Joſepho conſilium capiens, altero fortunas, altero viros plurimùm comprobante, utriſque non ægrè aſſenſit. Nec diu poſtea Angelum adiens, ad rem ultra tractandam pergebat. Ipſi dotis & patrimonii rationes inter ſe privatim conſtituebant: cætera liberorum voluntatibus permiſſa. Et nunc, aiebat Jacobus, in Politiano gratiſſimum Adriani memoriam, in Eugenio noſtram amicitiam firmabimus. Deinde Angelus ſibi plurimùm gratulatus ob fœliciſſimum rerum ſuarum eventum, juvenes ad ſe accerſens, rem ipſis renunciabat. Illi, gliſcente adhuc amoris ſcintillâ, et nunc excitatâ in liberam atque legitimam flammam, paternis vocibus, ceu tot cœleſtibus radiis, per extremam caliginem irrumpentibus, confixi, neque ſpem tantam ſatis capiebant, neque ullam reſponſionem dabant, donec denuò de conſenſu rogaret. Illi quidem ſe ab injuſtis cupiditatibus averſos referebant, quin adhuc retinere veri amoris ſenſum, ſi legitimo more perficere daretur. Ad hæc Angelus. Ergo nunc optimè ad hoc eſtis comparati, ac præterea expendere velim, quanta hæc res ſit, et quàm non vulgari providentiâ agitata, unde pars maxima præſentis vitæ, ac tot hominum generationes, et ſequentium ſeculorum fata dependent. In hoc tanto negotio haud iterum errare conceſſum eſt, Nova vitæ fabrica, novæ curæ, et conſilia ſuccedunt. Quin hoc primum atque præcipuum eſt in conjugio, quòd cùm propria corpora nobis fato ſint data, quæ arte parum corrigi poſſunt, hanc alteram ſui ipſius partem unicuique ſibi eligere, et inſerere

ferere liceat : quocirca hic opus est summo studio atq; judicio. Sunt quidam, tum virorum, tum fœminarum, tam innocui et simplicis ingenii, ut per se rectè et æquabiliter conveniant, tanquam planum plano corpori applicitum. Alii autem, qui aut exuberant, aut subsidunt, cum contrariis moribus meliùs componuntur, ut convexo concavum perfectè impletur. Optimè, ut plurimùm, in conjugio vivunt constantes, sobrii, moderati, liberales; fœliciùs sanè quàm perpulchri, aut agiles, aut solertes, aut in alio vivendi genere præcipui; imò quàm ipsi molles et uxorii. Omnium dissensionum civiles sunt acerbissimæ, civilium omnium familiares, familiarium conjugales; utcunq; vero, si sors ita ceciderit, curà et patientiâ sunt mitigandæ; imprudentis enim et amentis esset, ab illâ animo dissentire, quacum cætera omnia consociare necesse est. Quod si familiæ regimen spectemus, hæc vita distat a cœlibatu, non minus quam publica a privatâ. Ex hac tabulâ omnes regnorum formæ sunt primum descriptæ, et in ipsis adhuc imperiis singulæ domus sunt totidem provinciæ, suo patrifamilias, ceu domino, subjectæ; qui hic publicas et imperiales virtutes exercet : unus præsidet pluribus, unus consulit, unus alit de suo; quibus nihil potest esse magnificentius, aut pulchrius. Neque illum vere generosum censeo, qui in nuptiis hæreditatem magis quàm dotem sectatur; neque adeo fortunatum, si quis adeptus sit: quippe virilis officii est, ut tegere et fovere fœminam, ita suis opibus sustentare Hujusmodi monitis præparatos rem ipsis delibe randam permisit. Deinde ad Iacobum transmissi concessos amores apertè prosequebantur, et inter se prius consultò partiti, Politianus Annam,

Eugenius

Eugenius Joannam in conjuges ſibi optabant. Virgines hactenus iſtarum rerum, quæ de iis agebantur, prorſus ignaræ, paternis tamen conſiliis, fratriſque hortatibus, & pulcherrimorum juvenum obſequioſis amoribus haud diu repugnabant: mox & mutuo ardore concepto, in eadem vota conſpirabant. Hanc tantam, & tam proſperè conſummatam fœlicitatem nova & inexpectata calamitas turbabat. Joſephus animi æger, & inquietus, per aliquot dies ſe huc illuc agitaverat, præter morem, ſolitudinem & ſilentium quærens, & ingenti ſtupore gravatus. His tenebris, & tempeſtatibus circumſeſſus tandem ſuccumbere coactus eſt. Apollos, qui tum aderat, ad ipſum immiſſus, importunè quærebat tanti mœroris & ægritudinis cauſam. Ille diu cunctatus, & ab hac quæſtione ſe ſæpius avertens, mox ipſo premente doloris æſtu, ſic ultro exclamabat. Deus, Deus meus abiit! Et tu qnid doleam rogas? Hæc breviter effatus cætera lachrymis, & gemitibus mandabat. Apollos attonitus, & vehementer affectus, ac ſi hujus morbi ſenſum intra ſe reciperet, diu tacitus aſtabat. Ipſe poſtquam ſe ſatis defleverat, ſic deinde in querendo pergebat. Hei mihi, aiebat, viſus ſum modò vitam cum ſuperis agere, & præſenti numinis conſortio perfrui. O quæ libavi gaudia? quas animi coruſcationes perſenſi, ex influxu divini luminis, hauſtuque cœleſtis gloriæ? nunc ceu ſomnia evanuerunt: neque hanc quiſquam jacturam æſtimet; niſi qui priſtinam fœlicitatem conſcit. O Apollos! huic dolori par non eſt alius dolor: omnia libens ac lætus perferam, modò mihi ſeipſum reſtituat. At ecce nunc hoſtiles aſpectus objicit, nunc ultricem dextram intentat, nunc gladium in viſcera penitus demittit.

Labor, in æternum labor: neque ullam salutis speciem, neque servatorem uspiam circumspicio. Ubi tot magnarum promissionum largitio? ubi tantæ indulgentiæ ostentatio? ubi ista tam insignis & sumptuosa redemptio, & inanis spes cœlestis imperii? Omnia in fabulas ablerunt; neque nunc, cùm maximè interesit, veram vim & virtutem exerunt. Hæc præ animi angore impatientius effutientem Apollos opportunè corripuit; &, Næ tu, inquit, nunc meritò culpandus es, qui tot precum, & operarum, ac universæ pietatis fabricam uno ictu perdis, & deles: quinimo tecum communem gratiam, ac spem omnium sanctorum subruis: neque ipsi Deo aut Christo parcis: teipsum potiùs excutere debes, annon magis sit fidei deliquium, quàm ulla mutatio divinæ voluntatis: utcunque se parumper abscondat, ab illo certè non longè abest; qui ex tali desiderio prosequitur. Hìc itaque fidem redintegrare te velim, & tanquam septemplicem clypeum contra omnia tela constanter obvertere: hanc in summis tenebris & conflictationibus ne omittas; quin sub isto munimento securus milita, in illo vinces & triumphabis: modò libeat durare, & spectare maturos exitus. Habet enim hæc virtus quiddam infinitum ac insuperabile, quod omnes animi nodos discindat, omnes calumnias inimicorum excedat. Tum etiam assuesce perpetuis precibus, & offensi patris indulgentiam humillimis affectibus & supplicationibus supera. Hìc ille renovato doloris sensu, sic iterum in questus abiit. Memini hæc olim valuisse: nunc neque vis neque voluntas supereſt: misella mens a Deo destituta, ad ipsum consurgere, & reverti nequit: hæc ubi molior, plus quam lapideus sum: at nempe scelera revixerunt mea; & infandæ libidines, quas jamdudum ut

cœsas

cœsas & emortuas spreveram, nunc refectis viribus violentiùs insurgunt, fessamque & fatiscentem animam indomabili vehementiâ oppugnant. Et ego quid faciam miser his infernis legionibus exagitatus, omnique remedio, & auxilio exutus? Heu vanam esse pœnitentiam, & ipsam fidem nunc irritam sentio. Cui Apollos. Quin adhuc experiri te volo, & prioris naufragii sensu edoctum, hinc cursum rectiùs instituere. Adhuc in vivis es, & hujus aurei temporis, quod lugendo miserè disperdis, pars magna subsequitur. Adversario, quantum potes, obnitere, & te rectè consulentibus audientem præbe. Non hic socordiæ, aut ignaviæ est locus, qui sedentes æquè cum pronis præcipites trahit: medicinam quanquam sæpè regeras, sæpiùs repete, aliquantillum semper subsidet. Primùm exquire diligenter hujus tantæ alienationis causam; quid vitii aut offensionis inciderit: num divinæ communionis fastidium; num securitas & negligentia officiorum, aut ulla lascivientis animi intemperies. Hic Josephus. Rectissimè admones, quod ipse priùs facturus fui, & hanc quidem culpam conscientia in se recipit, me eximiæ pietatis studio incensum, altissimum ejus gradum ambire, et ceu debitum arrogare, Deo ipsi tacite offensum, quòd non illico in tantum attollat. Apollos admirans, Est hæc, inquit, pia culpa, & ex parte pulcherrima: siquidem optima est pietatis ambitio, licetque divinis promissionibus instare, et per Christi merita flagitare a Deo. In hoc quidem peccatum est, si ad animi ornatum, et præeminentiam, magis quàm pro Dei gloriâ quæsiveris. Subindè Josephus. Scio fas esse, et oportere præstantissima dona divini spiritûs petere, spirare, anhelare; sed cum humilitate et patientiâ, ut dona supplicitermendicare. Et

Christus ipse hanc gratiam suis membris mensuratè impertit: unde illorum vota dedignatus est, qui ab eo petebant, ut alter dextram, alter sinistram cœlestis solii occuparent. In hujus gratiæ cursu nos ipsos cunctari nequissimum est, Dei autem non impellentis oportet agnoscere justissimam voluntatem & gratuitæ liberalitatis indulgentiam. Pariter sceleri succumbere est maximum scelus; verum in summo vitiorum dominio, æquum est fateri vanitatem nostram, non minùs quàm ipsam turpitudinem: quod qui rectè & submissè fecerit, non est prorsus expers pietatis; quinimò hæc sobria subjectio animi ad veram pœnitentiam propiùs accedit, quam superba & furiosa sceleris execratio. Hæc quidem jam serò expertus didici; interim me meritò excluſum sentio ab illâ gratiâ, cui tam protervè manus injeci. Ergo, inquit, perspecto crimine, defle, atq; devita: hoc obice semel amoto, ipse uberior & benignior influet. Ingerebat plurimos hujusmodi sermones, ac interdum descendebat in preces; at parùm promovebat, Deo nondum revisente, & suavissimi favoris aspectu discutiente caliginem mentis. Politianus atq; Eugenius frequenter admissi, conturbabantur tã inexpectato eventu: nec quid statuerent, facilè subiit: hunc esse tantæ pietatis effectum: ipsum, qui sibi, qui pluribus aliis salutẽ attulisset, nnnc tã graviter conflictari, neq; suorum omnium medicamentorũ virtutẽ experiri. Hunc stuporem Apollos animadvertens, seorsim a Josepho sic explicuit. O juvenes! mirãda sunt hæc opera Dei, et contrariis ictibus in se reflexa: vult nempe apparere, et quasi in scenã produci, ut omnium reliquarũ rerũ, sic et ipsius fidei vanitatem: quàmomnino pendeat ab illo, qui dedit; neq; per ullam, quæ in se sita est, virtutem consistet; illius verò subsidio innixa, ex

graviſſi-

graviſſimis oppugnationibus certam ſpem & victoriam reportet. Quocirca fortiſſimos milites huic pugnæ ſubjicit, ut in his omnem ſuperbiam domet, & ceu vaſa optime purgata altioris gratiæ & amoris impleat. Ac non dubito quin iſte futurus ſit hujus certaminis exitus, quem vos patienter expectare velim: neq; in medio tempore, aut de hujus ſtatu ſecus decernere, aut ipſam religionem inſimulare. Cùm abirent, Eugenius ſecum perplexe reputans hujus ſeculi incertitudinem, cœpit animum intendere ad contemplandum illum fatalem diem, qui cujuſque certam conditionem exponet: multoſque quos hic ſanctorum nomine celebramus, perditos atque damnatos prodet: nonnullos nunc forte damnatos abſolvet: ſingulis ſuas partes, ſuum locum, & ordinem conſtituet. His fœtus cogitationibus, in carmen ſubito congeſſit, angelum inducens, tubæ clangore ſuſcitantem rediviva mortalium cadavera.

Surgite cæcis
Sedibus omnes:
Quoſcnnq; ſinu
Terra recepit,
Et permiſcuit
Inſcia pulverem:
Quoſcunque rogo
Perdidit ignis,
Et vix cinerem
Rettulit urnæ:
Quoſcunq; fretum
Fluctibus hauſit:
Carneſque ſuis
Piſcibus addidit

Pejusq; feris
Genus humanum
Auxit adeso
Corpore corpus.
Justas omnibus
Omnia partes
Reddite certis
Elementa modis:
Quos disposuit
Providus autor,
Et naturæ
Lex rediviva
Quærit, ut aptos
Conferat artus.
Vosque receptis
Jungite membris
Omnes animæ;
Quæque per ætheris
Atria summi
Sacra volatis;
Et quæ nostris
Finibus exules,
Carceris imi
Claustra subitis.
O mortales,
Non morituri!
Audite sonum
Terribilem tubæ:
Vocemque simul
Vivificam Dei:
Et vos coram
Judice Christo
Sistite cuncti;

Quot-

Quot quot ab unâ
Stirpe creatos
Peperit tellus
Omnibus annis;
A primævo
Patre nepotes;
Qui damnavit
Secula letho,
Auſus vetitos
Carpere fructus:
Ut quiſq; ferat
Præmia vitæ:
Seu qui riſit
Numinis iram,
Trepidus tandem
Sentiat inſe:
Seu qui flevit
Crimina ſupplex,
Cernat fidei
Minimè vanæ
Munera latus:
Nec gerat ultra
Sceptra tyrannus:
Nec miſer ultra
Ingemat inſons:
Quiſque potitus
Ordine digno,
Non mutandâ
Sorte fruatur:
Et qui cunctis
Imperat unus,
Minus heu quondam
Cognitus orbi,

Solus in omni
Tempore regnet.

Non multi dies interceſſerant, cum Joſephum forte reviſerent, in lecto ſupine jacentem,& jam precibus intente defixum, nihil ipſorum adventu remoratum, neque oculos in cœlum erectos quovis reſpectu dimoventem. Quin mihi liceat, inſiſtebat, agere tecum,priuſquam me neci dedas,et tuas ipſius partes exequi. Ecquidnam eſt, rogitem, quod tantopere expetis, an victoriam,& laudem, an lucrum tuum? En habes victum,& ſupplicem,et,ſi id tibi adeò cordi ſit,vel jugulo gladium accipientem. Et potes,& licet,fateor;neq, juris æquitatem redarguo: laudo potius ac uſq; demiror;&,quantumvis ad infernum detrudas,vel inde hoc ſaltem ſolatii capiam, quod ex meâ pernicie gloriam conſectaberis. At videris,obſecro, num hoc tantum ex re tuâ et dignitate fuerit,homuncionem pronũ & conſtratum ſternere, miſerum & ſponte exanimatum cædere;cùm ne quidem ipſâ internecione, & immortalibus iſtis ſuppliciis,infinitam tuam ultionem expleveris; quam ſi ultro ignoſcere libeat,et,quâ te adeo delectatum prædicas, tuâ me indulgentiâ impertire; ac præmanu perſolutum a filio pretium, in meum modo nomen tranſcribere. Quod ſi hæc non ſit impacabilis offenſio;quin adhuc ſub iſto tuo tam averſo vultu mentem placidam ac paternam geras; cur me ſterili languore confectum, & inerti morbo conſtrictum tenes? quid hinc tibi voluptatis accedat? aut quæ fructûs et utilitatis ſpes eſt? taceo conſolationem meam,& quæ tecum poſſem percipere gaudia, ut ne regum deliciis commutari poſtulem. Hic voce paululùm compreſſâ, quaſi celeres motus incenſæ mentis, & ſurgentis fidei vehe-

vehementes nixus non ſatis adæquaret, in contemplandi ſtudio tacitus perſtabat. Deinde vix ſui præ gaudio capax, Venit, advenit, adeſt, exclamat, quem tam diu deſiderabam. & cœleſtis gloriæ manifeſtam lucem huic miſerrimo pectori ſecum invexit: nunc te video, ac ſentio, mi Chriſte Jeſu! & intus amplector in animo meo. Proh mirum! fore, ut ego tam prope perditus, tali lætitiâ repente obruar Proh divini amoris incredibilem vim! Nugæ ſunt, & inanes fabulæ, quæ de humanis affectibus cantari ſolent: mortales nuptiæ corpora contrahunt, hæ mentem ipſam ac ſpiritum conflant. O fratrem! O conjugem! O Dominum, & Deum! quem ſummi numinis immenſum jubar; quem omnium gratiarum gratia condecorat: quis unquam tot ab amorem ſibi exantlandos labores ſuſcepit? O dotem egregiam & infinitam! terras, cœlum, immortalitatem, omnia, & omnium conditorem apportat. O feſtum atq; fœlicem diem! cùm hæc gravis & terrea moles, ſomno ſuæ mortalitatis excuſſo, æthereâ faciem ac virtutem induet; neque, uti nunc, animam ad ſe rapiet, & corporeis ſordibus immerget; ſed ipſa in animæ ſortem tranſibit, eiq; unicè inſerviet, omnium neceſſitudinum nexu ſoluta, & pertæſa mortalium deliciarum. Tum mens pura, & libera, & ſui potens, has congeneres ſibi induvias, volatilium more, per ſumma cœli ſpatia circumaget, et ex ipſis, tanquam e pellucidâ laternâ, ſuæ lampadis fulgorem effundet. Nimirum a fonte divinæ lucis, ut Sole oculus, illuſtrabitur; & propriâ Dei fœlicitate, ipſius ſcilicet fruitione, fruetur. O æternam beatitudinem! a cujus purâ & perfectâ excellentiâ omnes mundanæ voluptates, ut faces et ſedimenta, decedent. Quantis ſumptibus par

eſt

eſt illud apparari convivium, quod inchoabitur tot rerum diſpendio & univerſæ naturæ exitio? Videre viſus ſum cœleſtem pompam, & ſupremi judicii diem, cùm ille amicus & ſponſus meus prodibit e cœli palatio, regiâ fronte, regio cultu conſpicuus, ac mille millibus Angelorum ſtipatus: tum univerſa mortalium ſecula, & omnium populorum greges coram ſolio conſiſtentium: iſtinc multo maximam multitudinem; & in iis, tyrannos ac principes viros, ſtupentes ac pavitantes metu: hinc exultantes pios, & humilitatem ſuæ fidei mirantes tam ingentibus præmiis in immenſum attolli. Video judicatas, & damnatas gentes ſimul in ſui orbis incendium, cum infernis tortoribus, præcipitari; dum interea omnis ſanctorum militia, ſummi ætheris oſtium ingreſſa, triumphantem in medio Ducem cum ingenti plauſu & concentu reducat.

Laudemus Dominum Deum:
Laudemus Dominum cœtibus in ſacris;
Cantibus inſolitis, & multâ laude ſonandum.

Dilecti domus Iſaci
Autoris patrio numine gaudeat:
Plaudat ob æternum gens tota Sionia regem.

Hunc cantu celebrent chori,
Et clarum meritâ nomen adoreâ
Concordes citharæ, pulſataq; tympana tollant.

Illis nam pater optimus
Indulget, placidis pronus amoribus:
Atque humiles pulchris attollit in æthera donis.

Exultent

Exultent juvenes Pii
Ornatu nitido luminis aurei:
Et grato reſonent per læta cubilia cantu.

Alti gloria numinis
Os & perpetuis laudibus occupet:
Omnis & ancipitem ſe dextera tendat in enſem.

Irâ vindice barbaros,
Et ſontes populos ſupplicîis premant,
Sæva triumphatis innectant vincla tyrannis:

Nectant compedibus duces.
Nec non veridici judicis impleant
Præſcriptas leges. Hæc eſt data gloria Sanctis.

Hæc ſecum raptim & ardenter expirantem, cum inſolitis geſtibus, ac oris figuris, vociſque vehementer accenſæ modulatione pronunciantem, omnes, qui aderant, taciti demirabantur; & quaſi eadem flammâ correpti, una intereſſe cœleſtibus ſpectaculis, & cum illo præſentire viſi ſunt. Ipſe his gaudiis refocillatus, macilentus tamen, & invalidus corpore, conſumptis per animi æſtum ſpiritibus, tamdiu in ſommum abiit ut de vitâ dubitaretur, ne ad animi defectionem vergeret. Sopore tandem exhauſto, reviviſcere cœpit, & inde vires ſenſim recipere; donec integram valetudinem cum perfectiori corporis formâ acquireret. Et jam annus prope convolvebatur; quo tempore Solymæ cives magiſtratus annuos eligere ſolent. Comitiis habitis. Jacobus cum ingenti omnium ordinum aſſenſu, Pater, ſeu princeps Senatus, qui in eâ urbe ſummus eſt honos, atque in eadem domo, & Joſephus, Ductor, ſive princeps Juventutis, & Joanna filia Sionis edicitur. Cumque inſtaret nuptiarum

ptiarum dies, rebus ſe ita præbentibus, conſenſum eſt extra ordinem publicæ ſolennitati adjicere. Redierat jam dies huic ludo quotannis deſtinatus, ineunte tertio menſe, quem illi Sivan vocant. Sol ipſe fœliciter arriſit, & omne cœlum ſuis favit ſpectaculis: non ventorum tumnltuantium furor, non intempeſtiva pluviarum benignitas, nullius ne nubeculæ labes, aut ſoli ſcenam, aut liquidiſſimi ætheris faciem turbavit. Primo mane, in æde ſacrâ apparatus omnis includebatur, per capacia atriorum ſpatia intus inſtructus, & exornatus. Hic Jacobus conſuetis cæremoniis in Principatu inſtitutus eſt. In urbe, qua pompa produceretur, parietes tapetibus foris induebantur, poſteſque floribus coronati erant: quin & limina, & feneſtræ, & tectorum culmina, confertiſſimam ſpectatorum multitudinem ferentia, in ſpectaculi partem veniebant. Ubi omnia ſatis proviſa ſunt; primum biſſeni tubicines, cum totidem fœcialibus, equis impoſiti, e portis in publicum emittuntur. Hi cæruleâ veſte donati, argenteis radiolis virgulatâ, cum pallio ejuſdem coloris & operis: hi talari, & picturato habitu paludati, & gentilium ſignorum figuris, ab altero quiſque diſtincti. Poſtquam in proximo diverticulo conſtiterant, ac tubicines jam tertio inflaverant, Rex fecialium, qui aurei leonis imaginem, coccineo ſolo excubantem, a pectore atque a tergo iutextum gerebat, altâ voce, in hunc modum proclamabat. Beatus populus, quorum hic ſtatus. Beatus populus, quorum Dominus eſt Deus. Adeſte, ſpectate, jubilate, & ut hac vobis & liberis veſtris in perpetuum ſuccedant, orate. Hæc ſolenniter enunciantem ingens circumſtantium plauſus eſt conſecutus. Cum illi per urbem præceſſerant,

altum

altum undique erat ſilentium, & prodeuntis pompæ expectatio. Primus exiit eques, loricâ indutus, ex argenteis ſquamis fabricatâ : enſe nudo, & inæquabilibus equi ferocientis veſtigiis, huc illuc per mediam viam, quæ intra cancellos in ſcenam vacabat, ad ſummovendam turbam circumvolans. Is erat Alcimus, cui nunc ſatellitii præfectura obtigit. Poſt illum, fronte per totam areæ latitudinem diductâ, incedebant centum ingenti ſtaturâ & facie viri, oſtrinis incincti ſagulis, argenteâ Angelorum formâ impreſſis. Haſtas quoque in manu tenebant, eodem metallo cacuminatas, & rutilantibus religatas tæniis ad venti libidinem fluentibus. Hos omnis urbis militia longis ordinibus ſequebatur, quibus deinde ſucceſſit Augentius cum ducentis pueris, patritii ordinis, albis mannulis inſidentibus. Omnes viridi byſſo veſtiti, tunicis manicatis, & multicoloribus floſculis, ſurculiſque miro artificio acu pictis. Leve jaculum vivis floribus a cuſpide redimitum in dextra ferebant. Ab his alta, & immanis machina, quaſi ſeipſam commoveret, inconſpectis portitoribus agebatur. Orbis erat ex cryſtallinâ materiâ mirificè conflatus, qui velut in aere ſuſpenſus, & ubique luci, præterquam in ipſo meditullio, pervius, colorum, ſyderumque circulos, & poſituras, cum auris, et aquis, ac intimo telluris globulo, unico intuitu exhibebat : Proximè, Auximo duce, aſſurconibus vehebantur bis centum prætexati juvenes. Telam byſſinam, coccineo colore perfectè intinctam, auram filatim intertextum pulcherrimo fulgore variabat. Parmam puram ac ſimplicem præ ſe quiſque ferebant : cumque his unà incedebant duo puditer, ex artificum officinis, ipſique rutilo veſtitu flaven-

flaventibus undulis ſegmentato pariter nitebant. Ultra hos Alphæus, & publici lectores, quorum in numerum Apollos jampridem aſcitus erat, curribus ſeorſim trahebantur. Nec longè ſubibat ingens aquarum diluvium, fictitiis imaginibus expreſſum; in cujus ſuperficie cadavera hominum pecudumque & avium adhuc palpitantium natabant: nec quid vivi uſpiam viſebatur; niſi quod in arcâ undique concluſâ (quæ mediis fluctibus, ſine remigio, ſine velis, ſine gubernaculo, ferebatur) ineſſe ſperandum. Proxima turma conſtabat ex ducentis nobilium juvenum, bellicum in morem apparatis. Ante hos proceſſit Joſephus equo candido, ſed nigricantibus maculis per omnia membra ſparſim compuncto. Ipſe ab imis pedibus ad verticem armis circumtectus. Hinc ſuper apertæ caſſidis conum coronam ex auro in duodenos radios conſurgentem prætulit. Sol interea cum jubare ſuo in armorum nitorem incidens, alterum ſolem quaſi a ſpeculo urgebat: Baculum aureum lateri decenter innixum ſublimi dexterâ ſuſtentabat; læva frænos pulcherrimè regebat; vultu viriliter erecto, cum tanto venuſtatis ac majeſtatis conſortio, ut non hominum, ſed ipſius naturæ ſuffragio, in hunc principatum evectus crederetur. Tertium ferculum erat hujuſmodi. Templum magnificè conſtructum, & mirabili arte exculptum: unde omnimodæ harmoniæ concentus a circumſtantibus exaudiebatur, & ſuaviſſimorum aromatum odores per feneſtrarum aperturas ſpargebantur. Huic ſubinde inſiſtebant ſenatores, ac publici magiſtratus, catenis aureis ac purpurâ inſignes, mulis undique phaleratis, togiſque in tergum ſpatiantibus auguſtiſſimo more ſedentes. Princeps in quadrigis tractim ſubeuntibus ſolus inducebatur, ſtolâ purpu-

purpureâ circumvelatus, & gemmeâ catenâ præfulgens, cujus pretium nulla vis auri indicet. Aureum erat in dextrâ pedum; ac alia plurima præferebantur majeſtatis inſignia: multique lictores varia pœnarum & præmiorum emblemata portabant. Cum illo ſacra vitis in conſpectum venit. Joanna ſororio habitu induta eandem ſedem capeſſerat: cæterùm ulmus ingens arbori adjuncta eſt, cui ipſa inniti videbatur. Ad hanc juxta Eugenius, exotico cultu notabilis, auream ſellam implebat. In alteris bigis cum ſuo Politiano Anna convehebatur, non tam ullis ornamentis, quam ipſâ rei novitate ſpectabiles. Centenorum equitum extremum agmen pompam immuniebat. Interea undique diſpoſiti ſymphoniſtæ, clariſſimo tubarum, cornuum, lituorumque concentu, aures animoſque præſentium ampliſſimo ſolennitatis ſenſu implebant. In medio, podiis penſilibus collocati erant variarum gentium legati. Inter hos Angelus ſedebat, omnium prætereuntium oculis ſignatus: quin ipſe, cum filii conſpectum ſubirent, tantis fortunis, & honoribus dotati, vix ullo modeſtiæ aut gravitatis pondere exultantem animum reprimere potuit. Hinc per mediæ urbis circuitum reducebantur in ædem publicam, unde primùm egreſſi fuerant. Hæc erat verſus orientem ſita. In quâ patrum defunctorum imagines ſe quoque una repræſentabant, quaſi natorum rebus adhuc intereſſent. Univerſis in ædem receptis, utrumque par conjugum, Apollo præeunte, nuptiali fœdere uniuntur. Convivio ſplendide ac ſobriè peracto, novum conſulem comitabantur in campum militarem. Hic ipſe, cum cæteris ſenatoribus, in foris ad id extructis, ſpectabat bellicas exercitationes, & artificum dona recognoſcebat. Inde

domum

domum reductus, publicis ſpectaculis finem impoſuit. Hìc denique nuptiæ peragebantur, ubi Joſephus hoc ſacrum Canticum, quod recens abſolverat, per convivas legendum ſparſit.

Huc ades ô dilecta! diu ſat lumina noctem;
Sat nimis ingratam ceperunt membra quietem:
Hei mihi nocturno concreſcunt rore capilli;
Et nunc ora rigent pallentis frigore Lunæ;
Dum queror, & ſervo tua limina: deſere tandem
Infames thalamos, & deſidis otia lecti.
Jam canit erecto connixus gutture gallus,
Et vigil auroram geminatâ voce ſalutat.
Quæ te longa tenent iuſomnia? quis tibi tantus
Incubat, & triſtem nocti ſopor adjicit umbram?
Jam venit, & fuſcas accendit Lucifer auras,
Stellarumque choros verſo deducit Olympo.
Surge, quid indulges nimiæ moritura quieti?
Ah ne te primo languentem Cynthius ortu
Spectet, & immiſſo nudam ſub lumine prodat.
Quin ego per dubiæ poſtrema crepuſcula Lunæ
Irrumpam, & tacitâ diſcludam lumina dextrâ;
Et ſurrepta graves adiment hæc oſcula ſomnos:
Surge, nec æterno poſthac concede ſopori.

Hei mihi! quæ placidam diſrumpunt viſa quietem?
Quis labra labris inſerens
Afflavit teneram ſacro ſpiramine mentem,
Et molle cor incendio?
Qui pulchros abiens in me deflexit ocellos,
Amoris omen intimi.
Pulchrior es certè noſtrâ de gente creatis;
Divinus apparet decor:

Pul-

Pulchrior aurato naſcentis ſydere Phœbi;
Qui flammeum ſpargit diem.
Te licet ignotum primo mens perdita viſu
Non leniter deſiderat:
Te ſequor infœlix; etenim tua veſtis amomi,
Caſiaq; ſuavis halitum
Spirat, & effuſam redolent veſtigia myrrham:
Ergo ſequuntur virgines.
Ah quibus illecebris, vel quo te munere victum
Amore nectam mutuo?
Has ego purgatas Tiberino flumine ſordes,
Baiiſque totis abluam.
Et quamvis lapſam nativâ tabe ſalutem
Herbis reducam Colchicis
Quinetiam niveos ceruſſa munere vultus,
Minioque pingam Bætico.
Ipſa novam multâ contexam Pallade veſtem
Quæ nuda membra contegat.
Aurea dona ſinu fundet mihi barbarus orbis,
Gemmaſque Ganges erutas.
Undique Panchæos thalamis afflabit odores
Fragrantis Euri ſpiritus.

At ô quid ambis cæca? quid miſera facis?
Heu pulchra nimium viſa jamdudum tibi,
Et ſomniatis opibus incaſſum tumens.
Pater ecce terrâ cretus, & luto ſoli,
Damnatus, exul, idem genetricis genus:
Nec ipſa tantis pulchrior parentibus.
Hac os reflexum cerne cryſtallo tuum:
En ulceroſâ lepra perrepit lue;
Corpuſq; totum veſte ceu fœdâ tegit.
Sed nec levari pharmaco morbus poteſt:

Non cedit herbis, non fugandus cantibus.
Citiùs recoctum sole Maurum patrio,
Maculisq́ tinctam lyncis abstergas cutem.
Quin nulla membris forma nec decor subest,
Abiere crines aurei radicitus:
Oculi cruentis lachrymis lippi fluunt:
Incestat ora spiritu exhalans gravi
Odor inquinatis teter e præcordiis:
Artusque tortis ossibus cunctos trahis;
Ut dirus anguis volvit obliquos gradus
Lethale virus ore spargens sibilo.

Sic est profectò: tota periit funditus:
Deforme monstrum, debitum pœnis caput.
Quis hanc amare cupiat, aut possit pati?
Heu misera, misera, mitte conceptam fidem,
Spes mitte vanas: alius en thalamus tibi,
Et digna meritis præmia parantur tuis.
Sub pedibus altè Tartarus præceps hiat,
Ubi nox Nox perennis regnat, & sævus Dolor;
Alasq́ circum ferreas Horror quatit:
Annisq́ metam subtrahit, pœnis modum.
Super ipse justâ lance perpendit ream,
Oculosq́ flammis acuit & frontem minis
Armat severis, scelere sublatus Pater.
Tuq́ ô Beate, gentis humanæ salus!
Quid hæc amoris immerens speret tui?
Occide sontem potius, ac meri jube.
Merui, fatebor, ac volens pœnas feram.

At nec salutem quam mereri non potes
Superba carpis obviam?
At usq́ fictis libero calumniis

Pugnas

Pugnas amorè pervicax?
Ergo repentè deferam in domum meam,
Doteſque pandam ſingulas.
En iſte rupe fiſſâ fons in aureum
Qui ſe refundit balneum:
En hæc medendi ſcita Gileaticis
Sudata ſylvis balſama:
Hæc pura veſtis, quæ nitore candido
Nives recuſat æmulas:
Et hæc in orbem nexa diſcoloribus
Catena gemmis omnibus:
Mihi mille regum ſceptra, mille fulgidæ
Auro coronæ ſuppetunt:
Nec bellicorum laureæ deſunt ducum
Ob rem potenter editam:
Gazæ talentis auri & argenti tument;
Doniſq́ pulchris affluunt:
Hortus perenni vere formoſiſſimus
Fructus amœnos parturit.
His ſponte cunctis & meipſo conjuge
Impertiam te conjugem.

O Rex! ô Deus ingens!
Mene rebellem? me tam vilem?
O pulcherrime rerum!
Tam deformem ſponte reviſis?
O tot præditе donis!
In me gazam prodigis omnem?
Ergo reſpicis unam?
Dum tot eodem pereunt letho.
Et me conjuge gaudes?
Nimium longe quàm par credere.
Sin tam prona voluntas:

At rejeci ſtulta volentem.
Parces huic quoq́, culpæ?
Quanquam dubiâ te capio fide.
Puris ablue lymphis:
Si lymphæ maculas ſolvant meas.
Confer balſama membris:
Si non morbus balſama vincat.
Nudam veſtibus orna:
Si quæ turpem deceat veſtis.
Heu duc ipſe ſequentem,
Et ſuccenſam perfice tædam.

Sunt nitidi flores, texendiſq́, optima ſertis
Lilia, ſunt alto ſydera nata polo:
Phœnicem volucres pennâ plaudente ſequuntur:
Aligeri roſeâ luce nitent ſuperi.
At vos ô cœli! ô tellus oſtendite! ſi quid
Virgine formoſâ pulchrius eſſe poteſt:

Sunt albæ pecudes, & puræ vellera lanæ:
Paſtor ubi liquidis corpora lavit aquis.
At ſi tu noſtrum venias formoſe per agrum:
Sordet ovis, niveo lana colore caret.
Non tamen ô pecudes quòd vos hunc vincere credã,
Sit pudor, æthereum vincit & ille genus.

Mollis olor niveis & ſponſa ſimillima pennis,
Qui ſuper innocuæ ſtagna ſedetis aquæ
Vos ſimul æquales thalamo deducitis annos:
Et ſacer in teneris mentibus ardet amor.
Ah noſtræ, quoties huc venerit illa, ſorori
Dicite vos ſuperûm vivere regna pares.

Virginei cœtus, æquævaq́ turba puellæ:
Voſque leves citharæ, voſq; valete chori.
Non ego me poſthac comitem venatibus addam,
Aut timidis tendam retia rara feris.
O ſtultæ! me immenſus amor torretq; tenetque,
Oblectans animam nocte dieq; meam.

O ſoror! ô conjux! uno me perdis ocello:
Illa tenent animam labra petita meam.
Iſta placent niveo donata monilia collo,
Quæq; tegit pulchros candida palla ſinus.
Hanc quoq́ conſtructam gemmâ ſtellante coronam
Sume decus capiti, regia ſponſa, tuo.

Hei mihi virgineos vincunt tua lumina viſus,
Lumina Phœbeâ ſplendidiora face:
Dumq́ oculis meditor divini dona decoris,
Mens deſiderio deperit icta ſuo.
Tu quoq́ quam languens inter tua brachia fundam,
Hanc animam noſtri munus amoris habe.

Huc ades ô formoſa! novos jam terra colores
Parturit, hibernus dudum conſumitur annus:
Jam tepor, & Zephyris halantes mollibus aura:
Plumeus in fluviis olor enatat: & ſua cantu
Concelebrant pictæ frondentia tecta volucres;
Turturis & noſtras vox exaudita per oras.
Jam tener æternis pubeſcit fœtibus annus:
Luſibus indulgent obnixi cornibus hædi:
Piſcis & in tepidis ſalit amnibus: aureus æther:
Arridet pelagi facies immota profundi.
Huc ades! hæc blandos en hora ſuadet amores.

O beata ſurge tandem, linque lectum conjugis,
Aucta donis, & decoris enovata gratiis:
Ecce nymphas, ecce cunctas antecellis virgines:
Bracteam nitore vincit veſtis hæc argenteam:
Hæc catena gemmularum fulget inſtar ſyderum.
Ne reconde tot decores, totq; dotes aureas:
Ireviſe tecta matris, & ſorores priſtinas;
Ecce vineâ racemos in paternâ colligunt:
Ipſa carpe vitis uvas vinolentæ lividas,
Has, & illas, & petitas ore læto devora.
Nunc eamus, & legamus capita florum mollia:
Nexa ſertis & corollis induamus tempora.
Nunc eamus, & legamus conchulas ſub rupibus:
Colla pulchris vinciamus, & manus monilibus.
Nunc eamus, & premamus feſſulæ cubilia:
Et ſopore blanda ſero ſomniemus ſomnia.

Siccine divinos animo deponis amores?
Hæc primo meus perdita viſu eſt?
Siccine gemmarum congeſtâ dote ſuperbis?
Hæc tantis data gratia donis?
Hos etiam flores, atq; has, vaniſſima, conchas,
Syncerifers pignus amoris?
Rurſus & æterno concedis lumina ſomno?
En iſtæc promiſſa fides eſt.

Deus ô relictum, mi Deus, cur me fugis?
Hei mihi quæ blandas aſperat ira genas?
Demens abegi rurſus offenſum prior:
Quæ nunc ſpes ſupereſt, quæ reditura ſalus?
O ſi perenni fonte turgeſcat caput!
Inq; ſinum ſalſæ defluat imber aquæ!
Ergone ceſſas has inanes conchulas,

Hæc

Hæc procul ultrici ſpargere ſerta manu?
Necdum profanæ vitis ingratus liquor,
Nec dentes acidus ſtringit & ora ſapor.
Heu quam repente perdidit nimbus diem,
Spiſſaq; pullatis nubibus aura ſubit?
Rutilis nec orbem Phœbus incendit comis,
Nec roſeum pulchro ſpargit ab ore jubar.
Cornuvè lumen fundit ex argenteo
Cynthia; nec tremulâ ſydera fronte nitent.
Tenebricoſam noctis ingredior viam,
Et claudunt oculos vincula cæca meos.
Limum per udum, perq; ſyrtes ambulo:
Feſſa nequit ſtabili planta manere loco.
Abſinthiumq; fel merumq; rumino;
Et myrrhæ lachrymis pocula tincta bibo.
Fruſtra recordor oſcula & amplexus tuos,
Oſcula, quæ volucres diripuere noti.
Ut vidua ſaxo fixa turtur murmurat:
Ut queritur vaſtis noctua ſola jugis:
Sub luce noctis invoco gratam vicem:
Heu miſeris terrent ſomnia dira modis.
Sub nocte ſtellas ceu morantes increpo;
Et queror averſum ſponte latere diem.
Terres Gigante bellico non ſegnior;
Ut fremit immani victor ab ore leo.
Oculoſq; flammis acuis & frontem minis,
Et quatis impreſſâ colla refracta manu.
En ſtatuis iræ me velut metam tuæ:
Dividit & renes fixa ſagitta meos.
Heu viperinum virus animos ebibit:
Et mea fulgureas mittis in oſſa faces.
Fractam reſolvis oſſium compaginem,
Infractum nullâ parte velut calamum.

Conscriptus Orci civis infœlix eo;
Meq́, sui censet mors inimica gregis.
At quis perenni conditus silentio
Laudat, & infernâ te colit usq́, domo?
Ut me trucides, pertinax in te fides
Hæret, & amplexu nescit abire tuo.
Reverte citiùs himulo, vel capreâ,
Montis odoriferi qui juga persiliunt.
Ut anhelus acres dama quem fugant canes,
Grata procul gelidi pocula fontis avet;
Ut hiulca tellus imbrium rorem sitit;
Mens mea tam longæ te petit ægra moræ.
Vos ô tenelli ferte custodes gregis
Me miseram pulchras quâ meus arcet oves:
Quibus furentem lenit umbris Sirium,
Quo solet æstivam fonte levare sitim.
Vos ô beati virginum obtestor chori,
Dicite, conversum sicubi nostis iter.
Amore nimio me perire languidam
Dicite, si vobis obvius ora ferat.

Quid ah misella mentem,
Ceu relicta, perdis?
Nec respicis meipsum
Brachio levantem
Artus anhelos, & manu medentem?

Te pone fixus hausi
Vota lachrymarum;
Et non amore ficto
Percitam probavi;
Auremq́, gratis contuli querelis.
En hæc beata divûm

Carpe

Carpe ſercla morſu;
Suavemque tolle ſuccum
Æſtuantis uvæ.
Qui cordis ægros diluat labores.

Longum tibi & moleſtum
Eſt iter terendum:
Dux ipſe præparatum
Tramitemq́ ſtravi,
Manuq́ ſiſtam te comes tenellã.

Per ſaxa nunc eundum,
Obvioſq́ montes,
Qui vepribus cruentis,
Cautibuſq́ ſurgunt;
Paneſque cantant fiſtulis petulci.

Nunc te beata viſu
Per vireta ducam
Quæ floſculis caducis
Frugibuſque rident,
Pometa quales Sodomæa jactant.

Per ſaltuum latentum
Abditos receſſus,
Per noctium tremendas
Ibimus tenebras;
Tu vocis audi prævias ſuſurros:

Per imbrium furores
Turbidoſque flatus;
Per fluminum liquores.
Igniumque flammas;
Sævique fauces horridas Averni.

Jam læta tolle frontem!
En fugata nox eſt,

Ac avolant procellæ,
Lachrymæq; ſiccæ,
Omniſq; depugnata pugna ceſſit.

O Rex! ô hominum ſanguine pulchrior!
Labris fuſa tuis gratia diffluit:
Nam te, qui genuit, Deus,
Tantâ dote beavit.

O invicte! latus ſe gladio tegat:
Frontem velet Honos, & Decor aureus.
I fœlix! pede te ducem
Fer ſublimis equino!

Te ſtipant comites, Gratia candidâ
Pallâ cincta ſinus, & ſoror Æquitas:
Circum tempora Veritas
Sacro lumine fulget.

Te divina docet dextra Potentiæ
Stragem belligeris edere præliis,
Telis figere pectora, et
Fractas ſternere gentes.

O ſtirps vera Dei! tu decus imperij
Non mortale tenes, ac ſine terminis:
Sceptrum juſtitiæ potens
Subdit legibus orbem.

Recti juris amans, non ſinis impios:
Ergo pro meritis te genitor Deus
Præ mortalibus editum
Lato ſacrat olivo.

Veſtes, quas loculis promis eburneis,
Expirant aloes & caſiæ nemus;
Et quæ recreat halitu,

Fundit

Fundit purpura myrrham.

Stant centum famulæ regibus editæ:
Omnes ante micat veſtibus Indicis,
Quæ dextro lateri tuo
Hæret regia conjux.

At tu ſponſa tuis auribus inſitum
Hauri conſilium pectore credulo:
Jam chari patris, & domûs
Sis oblita paternæ.

Quin hunc tu Dominum ſuſpicis, & Deum:
Sic te Rex placidam mutuus ardeat.
Te dono Tyrus, & duces
Quærent ſupplice vultu.

En Regina decus corporis intimi
Velat barbaricis aurea veſtibus;
Pictas quæ referunt acu
Docti pollicis artes.

Solenni ſubeunt agmine virgines;
Conſcenduntq́, domus limina regiæ:
Necnon in thalami toro
Fauſto carmine ſiſtunt.

I nunc ſepoſitis orba parentibus!
Prolem læta feres mater amabilem:
Quos tu ſceptrigeros duces
Ponas omnibus oris.

At te perpetuo carmine nobilem
Vates ipſe tuus per populos feram:
Gratis ut tibi plauſibus
Omnis conſonet ætas.

FINIS.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Quicquid erratum est in accentibus, interpunctis, diphthongis, atq; istiusmodi literariis lapsibus, qui sensum non pervertunt, ex eo facile notabis & corriges. Graviora vitia, quotquot nobis occurrunt, (atq; erat ipsum exemplar nimis anceps & obscurum) in hac tabula sic emendavimus.

Pag:	Lin:	Lege.
2.	28. inumescens	intumescens
3.	3. deris	denis
20.	33. fœciliter	fœliciter
49.	8. casos	cæsos
50.	14. juvenes	juvenis
56.	14. recediſſe	reſediſſe
63.	29. Italicam	Italiam
64.	29. &	id
65.	28. obiiſſe	abiiſſe
71.	20. prominiebat	prominebat
75.	12. tum ut	tum ſi
ib:	13. & quicquid	quicquid
83.	16. am	nam
87.	19. ſitis	ſiſtis
ib.	24. ſapiens efficax	ſapiens & efficax
96.	1. Eugenius	Politianus
118.	30. concilia	conſilia
144.	29. ſeu	ceu
173.	26. agetetur	agitaretur
207.	14. igitur	etiam
220.	3. Prorege Siciliæ	Duce Panormitano
266.	5. forte	poſtridie
291.	20. alii	cum alii
302.	16. Meſſemq;	Meſſemvè
317.	32. vere	Theologicè
376.	26. excubantem	excubantis

74. 15. *Poſt* (efferamus) *Lege*: Dei opera, quæ obvia ſunt, & cuivis oculo patentia, per contemptum aut negligentiã prætereamus.

AUTOCRITICON.

PRæter errata quæ Typographus emendavit, & plura ejuſmodi quæ emendare debuiſſet, ſunt alia majoris momenti; & quidem tanti, ut Author aliquandiu hæſitaverit an opus tam rude & impolitum luci daret. Cum enim in æſtu juventutis fuiſſet compoſitum, nec-dum ſupremam manum ſubiiſſet (quod in aliud tempus dilatum fuit) cumque poſt longam intermiſſionem, maximis occupationibus ac non minimis perturbationibus intereu diſtentus, jam ultimo retractaret, agnovit hunc fœtum ſuum non modo abortivum eſſe, ſed & adeo mutilum atque diſtortum in ipſo corpore & ſtructura operis, ut plurimum laboris ſupereſſe videret: nec, ſi convellere aggrederetur, ſatis ſibi vacaret ut omnia perfecte refingeret. His utrinque penſitatis, quid faceret diu incertus, tandem ut ederet confirmatus eſt Apellis exemplo; qui tabulas ſuas oculis tranſeuntium ſubjicere ſolebat, ſubauſcultans quid quiſque cenſeret, unde poſtea accuratius abſolveret. Præſertim in tam novo & audaculo inſtituto aliorum judicia de inventis ſuis experiri voluit, antequam plus negotii ſibi faceſſeret (neque eſt inſcius quam invito ſeculi genio heroicas mortalium libidines excidat & divinas virtutes inducat) ut ſi legentibus omnino diſpliceant, ab opere ſupervacaneo deſiſteret; ſin placere ſentiat, & faventium gratia ſubnixus, & cenſorum caſtigationibus inſtructus, ad incœpti conſummationem pergeret.